Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCILIA GALLIÆ NARBONENSIS.

STEPHANVS BALVZIVS Tutelenſis in unum collegit, nunc primùm edidit, Notíſque illuſtravit.




BLIOTECA NAZ.
ROMA
TTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud F. MUGUET, Regis ac Illuſtriſs. Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum, viâ Citharæ, ad inſigne Adorationis trium Regum.

MDCLXVIII.
CVM PERMISSV.

Digitized by Google



ILLVSTRISSIMO VIRO D. D.

IOANNI BAPTISTÆ COLBERTO,

REGI AB INTIMIS CONSILIIS,

Generali ærarij moderatori, ſummo regiorum ædificiorum Præfecto, regiorum ordinum Quæſtori, Marchioni de Seignelay, &c.

PRVDENTVM reprehenſioni meritò eſſem obnoxius, ſi Concilia Galliæ Narbonenſis, quæ nunc in lucem eduntur, tibi non inſcriberem, VIR ILLVSTRISSIME, *tibi, inquam, qui cùm literas ac ceteras bonas artes ſummo amore proſequaris, mihi privatim tri-*

ã ij

buiſti ut plurimum & honeſtiſſimum otium tua benignitate ac munificentia conſecutus ſim, nulla alia in re quàm in literarum tractatione conſumendum. Adjunxiſti autem huic otio magnum adjumentum magnúmque ſubſidium, mirificam ac valde locupletem optimorum librorum bibliothecam, quam in ædibus tuis pulcherrimo in loco ac quietis & tranquillitatis pleniſſimo conlocaſti, quam verò dum meæ curæ committere dignatus es, totam integram mihi dediſti fruendam. Pro ſummis illis tuis in me beneficiis cùm quod referrem, nihil haberem, VIR PRÆSTANTISSIME, ſedit animo meo illa cogitatio, quærendam eſſe aliquam occaſionem, qua & meæ in te reverentiæ teſtimonium darem, & tibi perſuaſum pro mea virili facerem redundare in animo meo gratiam quam neque verbis neque factis rependere poſſum parem beneficiis tuis. Inſtitui itaque æternitati tui nominis conſecrare ingentem Conciliorum Eccleſiæ catholicæ collectionem, quam, confidenter dicam, non mediocri labore meo confeci, rem præclariſſimam, ut quæ multùm conducere poteſt ad informandos Chriſtianorum mores revocandámque veterem diſciplinam, quæ eſt maxima ac præcipua iſtorum ſtudiorum utilitas, tum etiam ad illuſtrandam hiſtoriam eccleſiaſticam. Verùm quia editio illa longum deliberandi ſpatium requirit, multæque me & eæ graves cauſæ vetant

manum integro operi admovere impræſentiarum, hanc illius partem edere in anteceſſum placuit ſub felicibus tui nominis auſpicijs, VIR ILLVSTRISSIME, *ne quis vel hanc partem occupet operis tibi deſtinati, & ut ex ea occaſione planum omnibus faciam valde cupere me, ſi vires ita ut animus adeſſent, maxima tua in me conlata beneficia tibi ſolvere, ac præterea, ut juſtiſſimam, quæ ſummis tuis virtutibus debetur, venerationem tibi impendam. Sentio atque intelligo heic mihi magnum aperiri campum ad celebrandam immortalium tuorum facinorum gloriam, ſineret modò tua ſingularis modeſtia, qua id aſſecutus es, ut cùm omnes laudes merearis, nemo, cui tua gratia cordi ſit, illas audeat enarrare, ſatíſque habeat digitum ad illas intendiſſe. Eſſet enim iſtic locus ampliſſimus & opportuniſſimus commemorandi ac debitis honoribus proſequendi caritatem tuam erga rem publicam, obſequium in Principem, ſpectatiſſimam fidem tuam in dandis conſilijs, aſſiduámque & indefeſſam diligentiam induſtriámque admirabilem in exequendis negotijs quæ provida & alta Regis incomparabilis mente deſtinantur. Adeo nihil eſt tam arduum, nihil tam excelſum, quò animus ille tuus pertingere non poſſit, quando de gloria Principis agitur, aut de publica utilitate. Felicitati ſanè ſeculi, quæ tantum Re-*

gem huic florentiſſimo regno rectorem edidit, ſed tamen etiam tuæ providentiæ, VIR SAPIENTISSIME, *tuis curis, tuæ vigilantiæ, & ut uno verbo omnia complectar, ſtupendo labori tuo tribuendum eſt quòd res olim difficillimas ac pulcherrimas, ſæpe ſub alijs Principibus in caſſum tentatas, ſub Ludovico demum Auguſto feliciter conſummatas eſſe videmus. Vnde facilè augurari licet quòd ſicut nos res à majoribus noſtris fortiter ac præclarè geſtas læti admirantéſque laudamus, ita grata poſteritas ætati noſtræ gratulabitur ſacrum ærarium reſtitutum, opes regni auctas, ſanctiſſimas leges, quæ per ſummam audaciam perdiu jacuerant neglectæ, revocatas, hanc urbium reginam nocturnis latronibus aliiſque rei publicæ peſtibus & incommodis purgatam, Gallicum nomen ad ultimos uſque terrarum mariſque terminos delatum per commercia externa, negotiatores honoribus auctos, ampla bonis ſtudijs atque artibus præmia conſtituta, & quod vel in primis dici debuit, magnificentiam ædium regiarum. Nam hæc ſunt oblectamenta regnantis, potentiæ imperij decora facies, teſtimonium præconiale regnorum. Hæc legatis ſub admiratione monſtrantur; & prima fronte talis Dominus eſſe creditur, quale ejus habitaculum comprobatur. Citiùs me deficeret oratio quàm materia ſcribendi de te præclara ac magnifica, ſi liceret ire per lau-*

Caſſiodor. lib. 7. Var. epiſt. 5.

Digitized by Google

dum ac virtutum tuarum titulos. Sed revoco me, VIR ILLVSTRISSIME, *ut & verecundiæ tuæ obſequar, & ut ad hanc muneris mei partem redeam, quam tibi cum ea qua par eſt veneratione offero, quámque valde te rogo atque etiam oro ut boni æquique conſulere velis, qui ita es ingenio placabili inter cetera virtutum, ut boni conſulas errata leviora.*

Lutetiæ Pariſiorum
VI. Kal. Februarij
MDCLXVIII.

STEPH. BALUZIUS.

Digitized by Google

STEPHANI BALUZII TVTELENSIS

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DIVINO planè conſilio factum puto ut cùm omnes ingenij mei fœtus referre me oporteat ad immortalis memoriæ gloriæque virum, ac totius eruditionis parentem, Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem, qui me pro ſingulari bonitate ſua puriſſimo diſciplinæ doctrinæque ſuæ lacte per multos annos aluit, magnúmque meis ſtudijs attulit incrementum, tum hic præcipuè liber ei meritò debeat acceptus referri. Nam cùm ille anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono ineunte Narbonem perveniſſet, conventum Galliæ Narbonenſis illic habiturus, intellexiſsétque me teneri deſiderio vi-

Digitized by Google

dendi ſi quid notatu dignum reperiri poſſet in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis, effecit auctoritate ſua ut vir illuſtriſſimus Claudius Rebeus Archiepiſcopus Narbonenſis mihi cuncta armaria reſerari juberet, omniúmque codicum ac membranarum copiam fieri, facta etiam poteſtate exſcribendi quæcunque viderentur eſſe alicujus momenti. Poſtquam amplius duos menſes in hoc labore conſumpſeram, animadverti ſchedas meas excreviſſe in immenſum, refertáſque tum pluribus venerandæ antiquitatis illuſtribus monumentis, ſed in primis quamplurimis Concilijs in Gallia Narbonenſi celebratis, quorum memoria jam obliterata erat, atque adeo foret haud dubiè ſine me ut adhuc oblivione, velut pleraque alia, manerent obruta. Lætatus eſt autem vir optimus & excellentiſſimus, videns tot & tantos ex mea curioſitate fructus proveniſſe; inſtituerátque ipſe omnia illa Concilia in unum volumen referre, & in publicum edere. Quo nihil illuſtrius aut utilius his ſtudijs contingere poterat.

Fine ejuſdem anni Ludovicus XIV. Rex Francorum Toloſam venit cum ampliſſimo totius aulæ comitatu, futurus inſpector eorum quæ gererentur in Co-

Digitized by Google

mitijs Occitaniæ, quæ tum in ea urbe habebantur. Ea occaſione Toloſam exciti ſunt Epiſcopi & proceres ex univerſa provincia, & inter hos, illuſtriſſimus vir Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Monſpelienſis, vir in quo non ſolùm plurimæ ſunt literæ, ſed interiores quædam & reconditæ, ac divini humaníque juris magna cognitio. Tum temporis Marca tenebat cathedram Toloſatium. Vetus illi cum Boſqueto ac minimè vulgaris amicitia, vetus familiaritas, mutuis etiam officijs ac literis exculta. Habuit ſanè Marca condimentum amicitiæ haudquaquam mediocre, ſuavitatem ſermonum atque morum, &, qua ſola amicitiam doctorum virorum ſibi conciliare facilè poterat, rariſſimam modeſtiam & humanitatem penè incredibilem cum ſumma eruditione conjunctam. Ad hunc ergo pro veteri familiaritate ventitabat Boſquetus, ad illum quoque Marca ventitabat. Inter hæc, quia literarum amor vulgò ſolet conciliare benevolentiam, nemóque doctorum hominum eſt qui non lubenter gratiæ ſuæ participem faciat juvenem bonarum artium cupidum, ex conſuetudine & uſu frequenti tantorum virorum factum eſt ut Epiſcopus Monſpelienſis, cum quo mihi jam erat aliquod literarum commer-

cium, in ſuam me familiaritatem reciperet. Ex eo deinde factum ut cùm inaudiviſſet multa me notatu digna retuliſſe ex commoratione Narbonenſi, deſideraverit ut eorum ſibi copiam facerem. haud difficilè impetratum. Itaque & Concilia illa Galliæ Narbonenſis & reliqua veterum temporum monumenta, quæ in ſchedis meis continebantur, deſcribi curavit per amanuenſem ſuum, ac poſtea ſchedas meas mihi bona fide reſtituit.

Haud ita multò pòſt vir clariſſimus Philippus Labbeus Preſbyter è Societate Ieſu, multitudine editionum ac librorum famoſus, cœpit cogitare de noua & ampliſſima omnium Conciliorum editione, omnéſque per orbem eruditos invitavit ut ſymbolam ſuam ad tam præclarum opus conferrent. Heic verò meus Archiepiſcopus, ſtudiorum ac ſtudioſorum omnium fautor & adjutor perpetuus, ac privatim Labbeo amicus, operam ſuam deſiderari paſſus non eſt; ſed ſchedas ſuas diligenter evolvi & excuti juſſit, indicémque Conciliorum quæ penes ſe eſſent nondum edita confici, ut in Synopſi Labbei, quę tum ſub prælo erat, inſeri poſſet. Factum eſt ut imperavit; ac non ſolùm quæ in ſchedis ejus jacebant illic repoſui, ſed etiam multa Concilia à me reperta, & inter hæc,

Digitized by Google

etiam iſta Galliæ Narbonenſis. Inſtituerat autem, ut dixi, illuſtriſſimus Archiepiſcopus hęc Concilia antè edere quàm in Collectionem Labbei referrentur, eáque Notis illuſtrare. Sed varijs iíſque graviſſimis occupationibus interim diſtractus, morbis etiam aliquot fatigatus, denique acerbiſſima morte extinctus, deſtinato operi vacare non potuit. Ergo quandoquidem Deo ita viſum eſt, ea mihi nunc cura & ſollicitudo incumbit; ut cujus ſtudio & labore Concilia illa à tenebris revocata ſunt, ejuſdem operâ in publicam lucem prodeant.

Sed tamen admonendus es, amice Lector, omnia illa Concilia quę nunc eduntur, ſumpta non eſſe ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Nam canones Concilij Monſpelienſis, quod anno MCCXIV. habitum fuit à Petro de Benevento, deſcripſimus ex veteri codice MS. monaſterij ſancti Albini Andegavenſis, cùm illic ageremus anno MDCLXI. in comitatu illuſtriſſimi Archiepiſcopi. Canones verò Concilij apud Biterras celebrati anno MCCCLI. invenimus in veteri codice MS. Eccleſiæ Helenenſis anno MDCLX. cùm Marca ad Ruſcinones perveniſſet ex delegatione Regis ad figendos regnorum limites in Pyrenæo. Státuta denique Concilij

Vaurenſis trium provinciarum deſcripſimus ex veteri codice illuſtriſſimi Archiepiſcopi, quæ nonnullis in locis contulimus cum authentico, quod extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Epiſtolam demum Vrbani V. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos qui convenerant ad Concilium Vaurenſe deſcripſimus ex alio veteri codice MS. Eccleſię Helenenſis eodem anno MDCLX.

Huic noſtræ collectioni placuit adjungere Concilium quod anno MCCCXXXVII. habitum eſt apud Avenionem, ea maximè de cauſa, quòd viderem canones trium Conciliorum à Petro de Iudicia Narbonenſi Archiepiſcopo celebratorum ſumptos eſſe magna ex parte ex canonibus iſtius Concilij Avenionenſis, tum etiam ut data occaſione vulgarem regulas vicinę provinciæ, quæ hactenus in lucem non prodierunt. Extare illud in veteri codice MS. celeberrimę Bibliothecæ Colbertinæ admonuit me qui illam in eo pulcherrimo, quem nunc oculis uſurpamus, ordine conlocavit, vir clariſſimus ac de me optimè meritus Petrus Carcavius in Magno Regis Chriſtianiſſimi Conſilio nuper Conſiliarius, qui pro multiplici eruditione ſua ac rei antiquariæ librorúmque cognitione meruit

ut ei Ludovicus XIV. curam Bibliothecæ ſuæ verè regię omniſque ſuppellectilis antiquarię committeret.

Sequuntur deinde Notæ noſtræ, non illæ quidem perpetuæ, ut dignitas operis poſtularet, ſed feſtinatæ, ac eo tantùm conſilio ſcriptæ, ne liber prodiret abſque Notis. Verùm ſi Dêus conſilia noſtra fortunaverit, liceátque mihi ſive per valetudinem, ſive per occupationes meas, hæc ipſa Concilia quæ nunc eduntur, in majori opere rurſum edemus cum Notis uberioribus. His interim fruere.

Addidimus demum pro more noſtro Appendicem Actorum veterum, valde illuſtrem ac locupletem, in qua edidimus quamplurima veterum temporum monumenta quæ non ſine gravi rei literarię detrimento hactenus latuerant. Horum autem magnam partem debemus Antonio Vioni Herovallio viro clariſſimo: qui cùm omnibus literarum ſtudioſis benefacere amet, mihi privatim tantam ſui in me amoris abundantiam oſtendere ſtudet, ut planè ingratus ſim neceſſe ſit, niſi beneficia ejus prædicem.

Ad extremum monendus es, Lector, ſub prælo eſſe novam editionem operum Innocentij III. Romani Pontificis, quæ tibi dabimus & emendatiora & auctiora

quàm hactenus prodierunt. Nam præter ea quæ jam edita ſunt, ſive Romæ, ſive Coloniæ, ſive etiam Toloſę, tibi dabimus quintum librum Regeſtorum ejuſdem Pontificis, itémque decimum, undecimum, & duodecimum, quorum tres poſteriores ad me miſit vir illuſtriſſimus Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Monſpelienſis, qui Notas etiam & Obſervationes ſuas ad libros illos pollicetur. Vnde jam facilè intelligis magnam rei literariæ acceſſionem factum iri ex illa noſtra Innocentianorum operum editione, cùm & libros quatuor hactenus ineditos habiturus ſis, & eruditiſſimi Præſulis clariſſimum lumen illis debeat affulgere. Itaque cùm tua quoque interſit ut editio abſolutiſſima, quantum fieri poterit, emittatur, ſi quid habes nondum vulgatum, quod Innocentij operibus addi debeat, confer in publicum, & ad Franciſcum Muguetum mitte. Sic in te redundabit pars boni operis. Neminem enim ſua gloria fraudabimus.

Vale, Lector, & Hildebertum Cenomanenſem Arnulphúmque Lexovienſem, quorum novas editiones polliciti ſumus in Præfatione ad Agobardum, à nobis expecta, brevì, ſi Deus voluerit, illas habiturus. Curantur enim quàm diligentiſſimè.

Digitized by Google

ELENCHVS CONCILIORVM
Galliæ Narbonenſis.

897.	*Portuenſe,*	*pag.* 1.
909.	*Magalonenſe.*	5.
1056.	*Toloſanum.*	8.
1090.	*Narbonenſe.*	18.
1195.	*Monſpelienſe.*	28.
1214.	*Monſpelienſe.*	38.
1224.	*Monſpelienſe.*	58.
1255.	*Biterrenſe.*	64.
1279.	*Biterrenſe.*	81.
1280.	*Biterrenſe.*	84.
1299.	*Biterrenſe.*	87.
1337.	*Avenionenſe.*	341.
1351.	*Biterrenſe.*	91.
1368.	*Vaurenſe.*	112.
1374.	*Narbonenſe.*	301.
	Statuta Guidonis Fulcodij Archiepiſcopi Narbonenſis.	79.

CONCILIA

CONCILIA GALLIÆ NARBONENSIS.

CONCILIVM PORTVENSE
Habitum anno DCCCXCVII.

ILLUSTRANTE gratia ſancti Spiritus corda fidelium Dei, conventus factus eſt Epiſcoporum ſanctorum apud Nemauſenſem pagum, loco qui Portus cognominatur, in Eccleſia ſanctæ Dei genitricis Mariæ, anno ejuſdem Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti incarnationis DCCCXCVII. XIII. Kal. Maij, Indictione XV. Reſedente verò in eodem Concilio magnificentiſſimo Pontifice primæ Narbonenſis Eccleſiæ Hernuſto, ſimùlque cum eo Gilaranno

Digitized by Google

Epiſcopo Carcaſſenſe, Agilberto Biterrenſe, Amelio Vceticenſe, Boſone Agatenſe, Agilardo Nemauſenſe, Servo-Dei Gerundenſe, Abbone Magdalonenſe, Abbatibus quoque ibidem venerabilibus ſiſtentibus, quorum ſunt nomina, Froia ex monaſterio ſancti Laurentij Vernupradenſis, necnon & Vuithardus ex cœnobio ſancti Iuliani, Albarus quoque Legatus Abbatis Durandi ex monaſterio ſanctæ Mariæ, præſentibus etiam Preſbyteris & Diaconibus, ceteríſque ordinibus eccleſiaſticis & plurimis religioſis laicis inmodico numero, quidam venerabilis Preſbyter, Adalfredus nomine, unà cum patrone Eccleſiæ ſuæ, vocabulo Pharaldo, protulit querimoniam ſuam in ſupradictorum præſentiam adverſùs Abbonem reverendum Magdalonenſem Epiſcopum, eò quòd Eccleſiam quæ eſt in honorem beatiſſimi Baptiſtæ Iohannis, loco qui dicitur Cocone, illi ab eodem Epiſcopo Abbone adtributam, parrœchiam ejuſdem Eccleſiæ, ex parte ſubtraxerat in villa Cocone, vel in ſuo terminio, & niſi ipſam parrœchiam haberet, nec Eccleſiæ ipſius nec epiſcopale ſervitium ſe poſſe facere queſtus eſt. Præfatus verò antiſtes Abbo dixit quòd jam à longo tempore ipſa ſancti Iohannis Eccleſia parrœchiam, quam idem Sacerdos Adalfredus vel Pa-

Digitized by Google

tronus ejus Pharaldus quærebant in prædictis villulis, non habuerat, ſed potiùs Eccleſia ſancti Andochij in eadem villa Cocone poſita eas poſſederat. His verò inter ſe ſuper hac querimonia altercantibus, reverendi prænominati Præſules percontati ſunt qualiter aut ex quo tempore prædictæ decimæ ab eadem Eccleſia ſancti Iohannis ſublatæ ſint, vel quomodo Eccleſia ſancti Andochij eas legitimè poſſederit. Supradictus verò Preſbyter Adalfredus, paritérque cum eo Pharaldus, reſponderunt quòd ipſa Eccleſia ſancti Andochij non legaliter, ſed injuſtè, eas pro ſeptennio tempore tenuerat, & ab antea per centum ferme annorum curricula Eccleſia S. Iohannis juſtè atque κanonicè ex prædictis villabus parrœchiam ipſam poſſederat. Tunc ſupraſcripti Epiſcopi ab ipſo Præſule Abbone exquiſierunt ut in omnibus evidentiſſimè rei veritatem ex hac quæſtione proferret. Itaque venerandus iſdem Abbo Epiſcopus, mallens ſemper veritatem proferre quàm reticere, in conſpectu totius ſanctæ coadunationis Epiſcoporum, Abbatum, ceterorúmque ſacrorum ordinum, atque religioſorum laïcorum ibidem adſiſtentium, profeſſus eſt prædictam parrœchiam ex jamdicto loco Cocone, exceptis ipſum alodem qui fuit de Epiſcopo Mal-

Digitized by Google

domari, vel etiam & quod Aloardus ibidem comparavit, magis juſtè & legaliter ad Eccleſiam ſancti Iohannis Baptiſtæ debere pertinere, quàm Eccleſiæ ſancti Andochij, quæ nuper inſtructa fuerat, deſervire. Audita verò ſanctiſſimi Epiſcopi omníſque collecta ſynodus hujuſmodi rei prolationem, omnes pariter, Epiſcopis quidem primùm judicantibus, decreverunt ut Eccleſiæ ſancti Baptiſtæ Iohannis, immo Adalfredo Preſbytero, atque Pharaldo patrono ipſius Eccleſiæ, parrœchia prædictarum villarum redderetur, quia longo tempore rationabiliter eam jam poſſederat, & quod injuſtè per ſeptem annorum curricula amiſerat, juſtè & kanonicè iterum recipere mereretur per omnium ipſorum rectum judicium. Prælibatus verò Præſul Abbo perſpiciens rectum .... ſe judicium, abſque ulla retractatione ipſorum paruit præceptis, reſtituens in conſpectu omnium parrœchiam ſancti Iohannis Eccleſiæ, quam olim injuſtè perdiderat. Viſum eſt autem univerſo cœtui ſanctorum Epiſcoporum, ut pagina ſuper hoc ſcripturæ exararetur, atque roboranda eorum manibus deferretur, ut deinceps miniſtri ejuſdem ſancti Eccleſiæ Iohannis nullam ex hac re moleſtiam patiantur.

Ego Abbo humilis ſedis Magdalonenſis Epiſcopus S.

Digitized by Google

✠ Arnuſtus ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus S.

Servus-Dei humilis Epiſcopus ſedis Ierundenſis S.

Tructarius humillimus ſedis Biterrenſis Epiſcopus.

Seraldus Archidiaconus S.

Sauvo Archidiaconus S.

Deſiderius Preſbyter.

Nantigiſus Archipreſbyter S.

Milo Archidiaconus pręſens fuit.

✠ Retmarus Preſbyter pręſens fuit.

Teutingus Archidiaconus.

Modicus Georgius Sacerdos indignus, ac monachus exiguus, hæc ſupra .... manu.

CONCILIVM MAGALONENSE, apud Iunquarias, habitum anno DCCCCIX.

DISPOSITIONE arcerſiti divina ann. .... CCCCVIIII. Indictione XII. v. Non. Maij, in Regno Septimaniæ .... rias vocato, in Aeccleſia ſancti Vincentij, nos perhumiles Septimaniæ, Hiſpaniæ, ... Ieſu Chriſti Pon .... Arnuſtus videlicet ſanctæ Eccleſiæ primæ Narbonæ Metro-

polita, Amelius Vzeticenſis, Gimera Carcaſſenſis, Reginardus Biterrenſis, Nantigiſus Vrgellitanenſis, Audgerius Lutovenſis, Geirardus Agatenſis, Vgbertus Nemauſenſis, Gontarius Magalonenſis, Benedictus Forojulenſis, item Reginardus Cavelienſis, unà cum immenſam congregationem nobis commiſſam, abſolvimus & benedicimus Suniarium Comitem, cum ceteris Comitibus filiis ſuis, ſimúlque cum uxoribus, & cunctis ſuíſque fidelibus; ſi tamen ita peregerint ſicuti per domnum Metropolitanum ſuprà nominatum audivimus, ut honor & decus, qui ſub tanto regimine debet eſſe omni tempore, cum magna religione obſervetur. Prævideat namque ipſe Archipræſul ut in viſceribus eorum nulla machinamenta nec nulla fallacia diaboli remaneat, & poſtea aput noſtrum pariconſilium taliter abſolvat & benedicat. Veniántque ſuper vos univerſæ benedictiones novi & veteris Teſtamenti, & apprehendant vos; & omnes maledictiones, quas dudum intulimus ſuper vos, diutiſſimè auferantur à vobis. Benedicti vos in civitate, & benedicti in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ veſtræ, fructúſque vinearum veſtrarum, greges armentorum veſtrorum, & caulæ ovium veſtrarum. Benedicta horrea veſtra,

& benedictæ reliquiæ veſtræ. Benedicti eritis ingredientes & regredientes. Emittat Dominus benedictionem ſuper cellaria veſtra, & ſuper omnia opera manuum veſtrarum. Abundare faciat vobis Dominus omnibus bonis. Aperiat Dominus theſaurum ſuum optimum, & tribuat pluviam terræ veſtræ congruo tempore. Benedicat Dominus operibus manuum veſtrarum, & conſtituat vos in caput & non in caudam, ut ſitis ſemper ſupra & non ſubtus. Domos ædificetis, & habitetis in eis longævo tempore. Plantetis vineas, & fructum earum colligere faciatis. Sementem modicum jacietis in terram, & multum ex ea congregetis in horrea veſtra. Omnes arbores & fruges terræ veſtræ rubigo non conſumat. Perenniter felicitérque conſeneſcatis; & cum Michaël Archangelo ad portas Paradiſi inlęſi pervenire mereamini, præſtante Domino.

✠ ARNUSTUS SANCTÆ NARBONENS. ECCLESIÆ EPISCOPUS S.
✠ Amelius Vzeticenſis Aeccleſiæ humilis Epiſcopus.
✠ Gerardus humilis Epiſcopus.
✠ Nantigiſus ſanctæ Vrgellitanæ Eccleſię Epiſcopus.
Reginardus ſanctæ Biterrenſis Eccleſiæ Epiſcopus S.

Vgbertus ſanctæ Nemauſenſis Aeccleſiæ Epiſcopus.

Gunterius Epiſcopus.

Gimera Carcaſſenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Audgerius ſanctæ Lutovenſis Eccleſiæ Epiſcopus S.

Benedictus ſanctę Forojulenſis Eccleſię Epiſcopus S.

Item Reginardus ſanctæ Cavelienſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus.

QVERIMONIA BERENGARII Vicecomitis Narbonenſis adversùs Guifredum Archiepiſcopum Narbonenſem, propoſita in Concilio apud Toloſam habito ſub Raimbaldo Arelatenſi & Pontio Aquenſi Archiepiſcopis, Victoris ſecundi Papæ Legatis, anno Chriſti MLVI.

SANCTÆ huic conglomerationi Vicariorum Dei, Legatis ſcilicet Summi Pontificis Romani vicem obtinentis beati Petri Apoſtolorum Principi, ejúſque vice fungentibus, Archiepiſcopis videlicet & Epiſcopis, necnon & Abbatibus hanc in Synodum ſanctam ſiſtentibus, ex catholica fide tractantibus, hæc querimonia non modica ideo pręſentàt, ut & legatur, & audiatur, dijudicetur, atque definiatur.

Digitized by Google

Sed ut pleniùs dijudicetur, ad originem incoëtur. Ego Beringarius Narbonæ urbis Proconſul querimoniam hanc vobis omnibus facio palam, quam de Metropolitanum meum fratrem veſtrum habeo magnam. Archiepiſcopatus quippe Narbonę fuit cujuſdam avunculi mei Ermengaudi Archiepiſcopi, cujus in diebus idem epiſcopatus unus erat ex melioribus qui ſunt de Roma uſque Yſpaniæ finibus, villis atque caſtellis ditatus, prædiis & alodiis locupletatus: cujus Eccleſia plena erat codicibus, aureis adhornata tabulis & ſcriniis & crucibus, aureis fulgebat coronis precioſiſque lapidibus. Canonicorum ibidem multorum voces certis horis audiebantur, orationes dabantur, & omnium bonorum operum incrementis ibidem agebantur. Caſtra autem ipſius Aeccleſiæ, & villas, prædia, & poſſeſſiones, non à laicis fruebantur, ſed à famulantibus in ea Deo poſſidebantur. Aeccleſiam verò illam olim pius Rex Karolus fabricaverat, atque in honore ſanctorum Iuſti & Paſtoris conſecrare fecerat, & eam inclitè caſtellis, & villis, terríſque locarat, & vineis; ſicut & à veteranorum traditur dictis, & ut legitur in regalibus ejuſdem Eccleſiæ Præceptis. Defuncto autem præfato divæ memoriæ Archiepiſcopo, Guifredus Cerdanienſium Comes

Narbona adiens, cujus conſanguinea ego jam poſſidebam uxorem, exquiſivit utroſque parentes meos & me ipſum de præfato archiepiſcopatu ad opus filij ſui ſupraſcripti noſtri antiſti, qui non erat adhuc niſi decem annorum, & ſpopondit pro eo magnum dare donum inter Comitem Rutenis & patrem meum centum milia ſolidorum. Sed pater meus & mater mea non ei adquiebant. Ego autem amore tantæ conſanguinitatis ductus, & ſimulationis amicitate deceptus, ſegregavi me pro hac re à conſortio genitorum meorum; & niſi mihi adquieviſſent, arbitratus fui interficere illos. Cernens enim pater meus me motum, méque contra ſe ita fore moleſtum, adquievit meæ voluntati, & petitionibus præmemorati Gaufredi, atque inter ſe & Comitem Rutenis acceptis centum milia ſolidis pretium pro epiſcopatu, dedimus eum prænotato filio ſuo antiſtiti noſtro; qui jurejurando, Deúmque teſtando, dixit nobis ſuum dictum firmum & fidem firmam, quia ſi ille foret antiſtes noſter, ut fuit & eſt, ullum noſtrum neque de noſtris non eſſe damnum, neque damnum ipſius epiſcopatu. Sedente autem illo in kathedra, & ætate atque honore creſcente, dum fiſus eram ut ipſe eſſet mihi auriga & arma & clipeus contra cunctorum hoſtium telis, &

Digitized by Google

memoraret conſanguinitatem meæ uxoris, & tanti locum honoris, in quo adjutus ſum ponere illum, & ut mihi erat teſtatus, juvaret mihi honorem tenere atque habere; tunc ſurgens, quaſi diabolus, ſuperbè atque repentè, exacerbavit me, & provocavit ad iracundiam, & hedificauit ſuper me caſtra, venitque cum ingenti exercitu ſuper me, & fecit mihi guerram crudelem, & fuere interempti pro ea ex utraque parte ferè milia homines. Tunc verò caſtra, & villas, prædia, & poſſeſſiones, quæ erant in domnium præfatæ Aeccleſiæ, fiſcos & poſſeſſiones Canonicorum, & quæque ex comunia erant, abſtulit Deo & famulantibus ei, deditque diabolo ac militantibus illi. Et ita alia omnia ad laicalem vertit cenſuram, ut etiam omnes qui ea poſſident, quaſi per alodia habent paterna. Inter hæc autem Eriballum Vrgellitenſem Præſulem contigit mori. Et præfatus Archiepiſcopus adquiſivit illud epiſcopatum ad opus fratris ſui Guilielmi, & ſpopondit dare pro eo centum milia ſolidos. Quod mihi ſatis libuerat, ſi meum damnum non eſſet. Firmato autem tanto munere pro ipſo epiſcopatu, Archiepiſcopus præmemoratus, hoſtis Dei & hominis, ad ſedem ſuam rediens, atque Aeccleſiam ſuam adiens, theſauros quoſque, qui à conditione in eam

congregati erant, ſubtraxit. Tabulas verò & poſtabulas & cruces & ſcrinia reliquiarum aurea & argentea excoriavit. Patenas inſuper calicum aureas vel argenteas, ubi ſancta ſacrificia ſumebantur, in manibus aurificum Judæorum miſit ad deſtruendum, & Yſpaniam venundari pro ipſo epiſcopatu. Codices autem, qui ibi erant variis generibus, non meliores reliquid. Sed ita malè ſuam Aeccleſiam diſſipavit, ut etiam & Clerici deſunt, & qui inibi ſunt, inopes & mendici: & nullus pulcher in ea apparet. Non clamides neque capas polemitas, non ciclades, non dalmaticas, non cureballi, non lignum dominicum. Omnia hæc, quæ à conditione ibi plura congregata erant, ſed diſſipavit ea, deditque pro epiſcopatu fratris ſui. Inſuper, quod pejus eſt & inhoneſtum, comendavit ſe manibus ad Comitiſſam Vrgelli. Pro qua re non ſolùm mihi, ſed etiam cunctis noſtræ patriæ nobiles in magnum ruit odium. Quo peracto, aggregavit Concilium non modicum juxta præfata urbe Narbona multorum ſui dioceſi Epiſcoporum, inter quos fuit hic Raimbaldus Arelatenſis Archiepiſcopus; & in eorum atque noſtrorum omnium præſentiam reliquit cunctas armas militarias, & omnem ſęculi militiam, atque excommunicando miſit ſub anathema tam ſemetipſum quàm

omnes ſuï dioceſi Epiſcopos, qui ab illa die deinceps armis erant ſumpturi. Qui non multò poſt acceptis armis ut miles, non corrigia ſuccinctis lumbis, ſed ferro, & debellavit mecum. Et quot mortui, quot vulnerati, quot detruncati, quantæque aduſtæ Eccleſiæ, & exarſæ reliquiæ, ſi per ſingula enarrare voluero, fortaſſe & vobis foret faſtidium, & faciliùs dies quàm copia deſerit. Deinde venerunt Epiſcopi in meam terram, & mecum unà cum eodem Archiepiſcopo firmaverunt treguam Dei inviolabilem tenere in omnem meam terram, atque ex eadem corruptores teterrimam juſtitiam facere. Vnde idem Archiepiſcopus & ego hanc fecimus convenientiam, ut de cuncta quæ emendata fuiſſent per ipſius treguæ fractionem, una medietas fuiſſet præfatæ Aeccleſiæ, alia mea pro exercenda juſtitia. Ego autem conſenſi ipſam meam medietatem condirectioni ipſius Aeccleſiæ. Sed ille non in ejus condirectionem, ſed in deſtructionem miſit: quia & ab Aeccleſia eam abſtulit, & militibus per ſolidatas tribuit pociùs quàm decem milia ſolidos. Qua data Deo & fortiter firmata, qui primi eam fregerunt in noſtra patria, ſui milites ex ſuo exientes caſtello, occiderunt unum militem meum in treguam Dei, & retinuit homicidas illos, & nullam qui-

vi ab eo impetrare juſtitiam. Deinde Petrus Raimundi Biterrenſium Comes in treguam Dei violavit Aeccleſiam ſanctæ Mariæ cœnobium loci Electi, ubi mirificum habetur lignum dominicum, & extraxit abinde duos milites inclinatos atque innoxios, & unum ex eis, qui erat conſanguineus meus, pependit in ligno, & occiſit morte crudeli quaſi cleptem. Vnde idem Archiepiſcopus talis ſuffragator extitid, ut etiam ſacrilegos & homicidas illos in ſua ſe mittentes poteſtate patrocinavit, ſuffragatorque eorum extitit; & in eo ullam non valui invenire juſtitiam. Præterea ſacramenta quæ mihi ſuper ſancta altaria manibus juratus eſt multa, unquam non mihi tenuit, ſed omnia fregit. Ad ultimum verò bonum opus operatus eſt, ſatis Deo & univerſæ plebi Narbonenſis placibile. Vnde mala hęc omnia obliviſceramus, ſi nobis in bonum veniſſet. Corpora namque ſanctorum Iuſti & Paſtoris, qua prememoratus Rex Karolus ab Yſpania deferens, atque in via carens, in prętata in eorum honore ædificata Aeccleſia collocare obtaverat, quæ nobis noſtríſque patribus multùm erant obtata, ab idem Archiepiſcopo explorata & capta, ad ſuam uſque cum honore aſportavit Aeccleſiam, atque honorificè collocavit. Vnde non ſolùm à me, ſed

etiam à ſuis civibus laudatus atque dilectus erat. Qui non multò pòſt, litigante eo cum ſuo Archidiachono, voluit trahere prædictorum corpora ſanctorum ab Aeccleſia eorum. Et ego rogavi eum ne hoc feciſſet, & volui ei dare obſides per decem milia ſolidos, ut ſi ullus homo vel femina ullam vim ei faceret de ipſorum corpora ſanctorum, aut de ullo munere eis oblato vel præſentato, ego de illo vel illis hoc facientibus adjutor eſſem prędicto Pontifici per fidem non finctam. Idem verò Archilevita voluit ei ſatisfacere in judicio Epiſcopi Arelato. Qui rennuit; ſed ſubſtracta ab eadem ſede tantorum corpora ſanctorum duxit & inhoneſtè collocavit in quandam villanam Aeccleſiam. Ibi ſuam cathedram fabricavit, ibi ordinem ſuum fecit, ibi ſuas Synodos tenuit, ibi codices & cruces & lignum dominicum aſportavit, ibi Clericos primæ ſedis, quos meliores invenit, conſtituit; & ita eligens membrum, caput reliquid quaſi tugurium. Inſuper cuncti noſtræ patriæ nobiles & plebs cuncta, qui ſoliti ſunt occurrere ad civitatem & ad ſedem ſuam, & pœnitentes ſua munera ad ſuam ſedem dare atque preſentare ſolentibus, multóſque adjutorios ad operam ſuæ Aeccleſiæ facientibus, abſtulit, & munera illa ſuis militibus per ſolidatas tribuit, & ſuam Aeccle-

Digitized by Google

ſiam deſertam & ſine capite dereliquit. Interim verò idem Archiepiſcopus habuit mecum placitum, & conſtrinxi me ei ad ſuum libitum ſatisfacere, & dixit mihi ſuum dictum & fidem, quam meliorem ei requirere potui, ut & ad ſedem ſuam rediret, & corpora ſancta in ea reſtitueret. Qui mentitus eſt mihi, ſed, ut mihi fuit teſtatus, facere noluit, & eſt mihi mentitus ſuum dictum & ſuam fidem. Deinde conjux mea videns eum, rogavit reſtituere corpora ſancta, & idem ipſe ad Aeccleſiam ſuam redire, directúmque noſtrum ſupra modum accipere: neque audire voluit, ſed teſtatus eſt ei altitonantem ducere ipſa ſancta corpora in aliena patria, & uſque in æternum nobis non eſſe recuperanda. Quæ audiens, metuens ne ſubitò, ſicut juratus eſt, hoc faceret me abſente & ignorante, fuit ad præfatam villæ Aeccleſiam, non adhuc conſecratam, & traxit exinde corpora ſancta, reſtituítque & condidit honorificè in ſedem ſuam. Deinde conjux mea proſtrata coram eo, ſuum poſtulavit accipere directum. qui rennuit. Ego autem confeſtim ut hoc novi, vidi pręfatum Archiepiſcopum; voluíque ei affirmare directum & de me & de conjuge mea & de omnes meos in judicio ſui dioceſi Epiſcoporum & Epiſcopi Arelato per decem milia ſolidos. qui rennuit.

nuit. Deinde in judicio Legatis Apoſtolici & hujus ſancta Synodi. & hunc ſprevit. Ad ultimum verò exclamavi ſanctum Petrum & judicium Domni Apoſtolici, ut irem coram eo, & in ejus manu ei affirmarem directum. Hunc multò parvi pendit; ſed excommunicavit inclementer atque injuſtè me & meam uxorem meóſque infantes & omnem noſtram terram, tam crudeliter, ita ut nullus ibi baptizetur, nec comunicetur, nec ſepeliatur. Nos autem, niſi timor Dei eſſet, parvi penderamus ſuam excommunicationem, quem tot malis novimus ſceleratum, & à Papa Victore cum c x x. Epiſcopis anathemizatum, & ſimoniacum, qui omnes ordines ſuos vendidit, qui omnes Epiſcopos, taceam de alienos, ſed omnes quos in mea terra ordinavit, uſque ad noviſſimum quadrantem redimere fecit. Quòd ſi non creditis; Lutevenſem requirite Epiſcopum, & Helenenſem; & hi hoc vobis teſtificentur, qui ab eo ſunt ordinati Neque Eccleſias meæ terrę conſecrare voluit, donec datum earūm tenuit. Nuper autem duos meos milites venientes ex vigiliam ſanctæ Salvatoris Anianæ, die Epiphaniæ., eo jubente atque ſuffragante ſunt capti & tenti; & eos qui illos ceperunt patrocinat, & dat eis ſolidatas. Ideo ego Beringarius præfatus hanc

B

vobis & Domino Deo facio querimoniam, & poſtulo juſtitiam: quam niſi impetravero, ſuæ excommunicationi parvi pendero, & in meam terram treguam nullam tenebo, neque judicium Apoſtolici ampliùs adclamabo.

Quod ego Beringarius ita ſuperiùs queror ad Legatos Summi Pontificis ſuperiùs, & ad cunctos Epiſcopos & Abbates, quoniam ad ſynodum Arelati conabam oſtendere. Sed quoniam nihil profuit, ad Domnum Apoſtolicum ideo libens mittere curavi. Quem rogo per Deum & ſanctum Petrum ut ab hac excommunicatione me abſolvat, meóque Præſuli de me ſatisfaciat: quoniam uſque Romam ego lubentiùs ſatisfacere ire non ambigo; ille, niſi ligatus, unquam ſponte non ibit.

CONCILIUM NARBONENSE Habitum anno MXC.

IN nomine Domini. In Concilio apud Narbonam ad honorem Dei celebrato veniens Domnus Rotbertus Abbas, cum majori parte Conventus ſibi commiſſi, ante præſentiam Domini Dalmacij Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopi, atque ejuſdem Eccleſiæ ſuffraganeorum, Tholo-

Digitized by Google

ſani, Carçaſſonenſis, Helenenſis, & Biterrenſis, ſeu Magolenenſis Epiſcoporum, & Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ Narbonenſis, ceterorúmque virorum religioſorum, Abbatum, & nobilium virorum, qui venerant ad dictum ſanctum Concilium. Proclamavit ſiquidem dictus Abbas, cum majori parte ſui Conventus, contra præfatum Dominum Dalmacium Archiepiſcopum, coram toto Concilio, quia injuſtè moleſtabat eos ſuper abbatia quondam ſancti Laurentij, quæ propter terræ malitiam erat redacta in prioratum: quæ Abbatia, ſive prioratus, dicebat eſſe pleno jure Craſſenſis monaſterij ſub cenſu annuo unius vaccæ optimæ vel X. ſolidorum Narbonenſium monetæ curribilis, quod magis Canonici Narbonenſes recipere elegerint. quod cenſum tenetur ſolvere Craſſenſe monaſterium dictis Canonicis ratione feudi. Item conquerebantur Abbas & dicta pars Conventus ſui, coram toto ſancto Concilio, quòd præfatus Dominus Dalmacius Narbonenſis Archiepiſcopus & Canonici S. Juſti prioratum S. Martini, olim exiſtens abbatia monaſterij Craſſenſis propria, & Eccleſias parrochiales, ac heremas, & Capellanos, Clericos, & Laïcos parrochianos dictarum Eccleſiarum Craſſenſis monaſterij, ſitos Narbonenſi

dioceſi, moleſtabant injuſtè, eos de facto interdicendo, & aliis modis infeſtando, & quòd nihil habebant in aliquo vel aliquibus de prædictis vel habere debebant aliquo jure dioceſiano vel epiſcopali, niſi unum ſextarium tantùm olei perſolvendum ad menſuram Narbonenſem curribilem terræ, pro omnibus ſupradictis, feriâ IIII. Capitis jejunij annuatim, pro jure epiſcopali quod petent in prædictis, cùm omnia ſupradicta ſint per privilegia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exempta ab omni juriſdictione epiſcopali, & dicto Craſſenſi monaſterio conceſſa jure pleno. Ceterùm petierunt ſimiliter dictus Abbas & pars ſua monachorum abbatiam ſancti Polycarpi plenariè Craſſenſi Abbati & ejus monaſterio pertinere. Et contrà dictus Dominus Dalmacius Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus & Canonici ſancti Iuſti & Paſtoris negabant omnia iſta ita eſſe, & aſſerebant omnia ſupradicta ad Narbonenſem Eccleſiam de jure communi in omnibus pertinere. Et cùm fuiſſet ſuper iis in dicto ſancto Concilio hinc inde diù proclamatum, & privilegia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ perlecta, ubi omni prioratus Eccleſiæ parrochialis & heremæ Craſſenſis monaſterij ſiti in Narbonenſi dioceſi pleniùs continetur, totum ſanctum Concilium

ordinavit & dixit quòd juſtum erat quòd tam Narbonenſis Eccleſia quàm Abbas monaſterij & monachi Craſſenſes haberent jus ſuum in prædictis, & ne privilegia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dicto monaſterio conceſſa in aliquo frangerentur. Ego igitur Domnus Dalmacius Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus ex judicio & conſilio præſentium Epiſcoporum ſuffraganeorum Narbonenſis Eccleſiæ & Canonicorum ſancti Juſti & Paſtoris dimitto atque relinquo & in perpetuum concedo prioratus & Eccleſias parrochiales & heremas ac earundem Capellanos, & earundem Clericos parrochiales, & parrochianos, ſecundùm quod omnia continentur pleniùs in privilegiis ſanctæ Romanæ Eccesiæ, prædicto Rotberto Abbati Craſſenſis monaſterij, ejúſque monachis, & eorum ſucceſſoribus, ad honorem Dei & ſancti Benedicti regendas, & perpetuò habendas, & in omnibus gubernandas, remota omni juriſdictione dioceſiana vel epiſcopali; tali videlicet ratione, ut pro omnibus Eccleſiis, Prioribus, & Prioratibus, eorúmque Clericis, Capellanis, & parrochianis, ratione omnis juriſdictionis epiſcopalis, unum ſextarium olei feriâ IIII. Capitis jejunij ſolvant Abbates & Craſſenſes monachi Canonicis ſancti Iuſti & Pa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

ſtoris, & nihil ampliùs teneantur facere ſedi Narbonenſis Eccleſiæ pro omnibus ſupradictis. Et prædicta loca ſancti Laurentij & ſancti Polycarpi dimitto & concedo ſimiliter ex judicio & conſilio omnium ſupradictorum tam Epiſcoporum quàm Canonicorum ſancti Iuſti & Paſtoris, dicto Abbati & monaſterio in perpetuum; ea videlicet ratione, ut pro recognitione quòd locus ſancti Laurentij cum ſuis pertinentiis, qui antiquitus abbatia fuit, pertinet ad dominium ſancti Iuſti & Paſtoris, unam vaccam optimam aut X. ſolidos Narbònenſes curribiles, quod iſtorum magis Clerici ſeu Canonici ſancti Iuſti & Paſtoris recipere elegerint, reddent Abbas & monachi Craſſenſes beato Iuſto & Canonicis ejus annuatim à Natale Domini uſque ad Carniprivium, & nihil ampliùs Priores vel Clerici ſeu gubernatores, qui præ monaſterio fuerint præfati ſancti Laurentij, teneantur reddere vel facere Archiepiſcopo vel Canonicis aut eorum ſucceſſoribus, pro dicto loco, Eccleſiis, & pertinentiis ejuſdem ſancti Laurentij. Præterea præfatus Domnus Rotbertus Abbas Craſſenſis & pars ejuſdem monachorum præſentium prædictum ſextarium olei aſſignarunt prædictis Canonicis ſancti Iuſti & Paſtoris ſuper locum ſancti Laurentij,

ad menſuram rectam Narbonenſem curribilem, in prædicta feria IIII Carniſprivij perpetuò ſolvendum, & apud Narbonam portandum, pro omnibus juribus diocesianis vel epiſcopalibus quæ Narbonenſis Eccleſia poſſet petere aliquo jure vel ratione in aliquo vel in aliquibus prioratibus, Eccleſiis parrochialibus, vel heremis Craſſenſis monaſterij ſitis in dioceſi Narbonenſi & ſcriptis in privilegiis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conceſſis monaſterio Craſſenſi. Ceterùm abbatiam ſancti Polycarpi ego jamdictus Dominus Dalmacius Dei gratia Archiepiſcopus Narbonenſis, cum conſilio & voluntate omnium prædictorum, & ſpecialiter Canonicorum ſancti Iuſti & Paſtoris, præfato Craſſenſi Abbati ejúſque ſucceſſoribus committo & trado perpetuò gubernandam, ut juxta regulam beati Benedicti Abbates ibi de Craſſenſi monaſterio eligantur & ordinentur, conſentiente ac laudante Archiepiſcopo Narbonenſi ejúſque ſucceſſoribus, & ab eiſdem electi in Abbates benedicantur, & debitam ſubjectionem prędictæ ſedi Narbonenſi promittant, & in manu ejus Archiepiſcopi obedientiam & reverentiam ſecundùm Deum in omnibus profiteantur. Factum eſt hoc anno ab incarnatione Domini milleſimo XC. XIII. Kal. Aprilis, regnante

Rege Ludovico, in præſentia Domini Dalmacij Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopi, qui hanc cartam fieri juſſit, & ſubſcriptis nominibus tam Epiſcoporum quàm aliorum & Canonicorum ſancti Iuſti & Paſtoris adnotari fecit, & in prædicta carta hoc ſignum ſanctæ crucis fecit ✠, & tam ipſe quàm Domnus dictus Abbas Rotbertus alios hanc cartam firmare rogarunt.

Signum Petri Carcaſſonenſis Epiſcopi.

Signum Gotafredi Magalonenſis Epiſcopi.

Signum Raimondi Abbatis de Quadraginta.

Signum Bernardi Archidiaconi Narbonenſis.

Signum Guillelmi Archidiaconi.

Signum Canonicorum S. Iuſti, Petri Amelij.

Signum Pontij Setfredij. Signum Petri Ebrini.

Signum Petri Raimundi. Signum Petri Geraldi.

Signum Augerij. Signum Raimundi. Signum Petri Olivæ.

Signum Vitalis. Signum Guillelmi Bernardi.

Signum mei Iohannis monachi, qui hanc cartam ſcripſi apud Narbonam, in

Digitized by Google

clauſtro S. Iuſti, mandato prædictorum Dominorum, ſub die & anno quo ſuprà.

ALTERA PARS
Actorum ejuſdem Concilij Narbonenſis.

ANNO MXC. dominicæ incarnationis, XIII. Kal. Aprilis, in ſynodo apud Narbonam ad honorem Dei celebrata, veniens Rodbertus Craſſenſis Abbas, cum Priore & cum multa parte Conventus ſibi commiſſi, ante præſentiam & deliberationem Domni Dalmacij Narbonenſis Archiepiſcopi, atque ejuſdem Eccleſiæ ſuffraganeorum, Petri videlicet Carcaſſonenſis Epiſcopi, atque Godafredi Magalonenſis, necnon Bertrandi Barchinonenſis Epiſcopi, & Clericorum ejuſdem Eccleſiæ, ceterorúmque religioſorum virorum & nobilium virorum, ſe & ſuos culpabiles & meritò dignos humili ſatisfactione recognovit. Interdictum quippe Narbonenſis Archiepiſcopi, divinum celebrando officium, tranſgreſſus fuerat; & de quadam abbatia ſancti Laurentij, quam ſine ſui plenaria conceſſione ſuſceperat, quæ ex regali Præcepto & Romanæ Eccleſiæ privilegio in proprio jure Narbonenſis Eccleſiæ donativa auctoritate tradita eſt, atque de monaſterio ſancti Polycarpi, quod in

Digitized by Google

ſua dioceſi ſitum eſſe manifeſtum eſt, quod ſine prædicti ejuſdem Narbonenſis Archiepiſcopi ejuſdémque Cleri deliberata licentia perceperat. Vnde ex judicio & conſilio prędictorum Epiſcoporum ceterorúmque religioſorum virorum utraque in manu prædicti Archiepiſcopi regulariter dimittens deliberavit loca. Proinde ſiquidem ex beneplacito Narbonenſis Eccleſiæ Achiepiſcopi eidem Craſſenſi Abbati & fratribus ejuſdem loci, ad honorem Dei & reſtaurationem prædictorum locorum, Narbonenſis Archiepiſcopus condeſcendens, reſervata ſibi auctoritate regalis Præcepti & Romani privilegij, prædictum locum ſancti Laurentij commiſit & fideliter meliorandum perpetuò gubernandum conceſſit; tali videlicet tenore, ut per unumquemque annum, in feſtivitate Natalis Domini, pro recognitione quia proprium alodium eſt ſanctorum Iuſti & Paſtoris, unam vacam optimam aut decem ſolidos Narbonenſes monetæ curribilis, quod de utroque magis Clerici recipere elegeridt, reddant beato Iuſto & Canonicis ejus, & in feria IIII. Capitis jejunij unum ſeſtarium olei ad juſtam menſuram ſancti Laurentij pro ſimili recognitione prædictis Canonicis reddant. Abbatiam etiam ſancti Polycarpi prædicto Craſſenſi

Abbati ejúſque ſucceſſoribus prædictus Narbonenſis Archiepiſcopus cum voluntate Narbonenſis Eccleſiæ Cleri commiſit & perpetuò regendam tradidit. Tempore autem quo prædicta loca ſecundùm qualitatem locorum juxta regulam beati Benedicti Abbates habere potuerint, canonicè Abbates eligantur, conſentiente & laudante Narbonenſi Archiepiſcopo, ſi ſecundùm regulam ſancti Benedicti eis aſſentire voluerit; & benedictione præfatæ ſedis Narbonenſis benedicantur, & debitam ſubjectionem prædictæ ſedi promittentes, in manu Archiepiſcopi obedientiam ſecundùm Deum profiteantur. Interim verò Priores qui præfuerint in prædictis locis, cum debita reverentia Narbonenſi Eccleſiæ ſubjacentes, jam ſæpedicto Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus obedientiam debitam exibeant. Dalmatius gratia Dei Narbonenſis Archiepiſcopus ✠. Factum eſt hoc in præſentia Domini Dalmacij Narbonenſis Archiepiſcopi, qui hanc cartam fieri juſſit, & ſubſcriptis nominibus tam Epiſcoporum & Clericorum & Abbatum quàm virorum nobilium adnotavit & laicorum.

Signum Petri Carcaſſonenſis Epiſcopi. Signum Gotafredi Magalonenſis Epiſcopi. Signum Bertranni Barchinonenſis Epiſ-

copi. Signum Raimundi Abbatis de Quadraginta. Signum Poncij Sicfredi. Signum Petri Raimundi. Signum Petri Geraldi. Signum Bernardi Archidiaconi. Signum Guillermi Archidiaconi. Signum Petri Amelij. Signum Petri Olivæ Signum Vitalis. Signum Raimundi. Signum Augerij. Signum Arnaldi Guillermi. Signum Bernardi Guillermi. Signum Petri Ebrini. Signum Bernardi. Poncius monachus qui hanc cartam ſcripſit die & anno quo ſuprà.

CONCILIVM MONSPELIENSE Habitum anno MCXCV.

ANNO dominicæ incarnationis MCXCV. menſe Decembri, cùm venerabiles Pontifices, quorum nomina ſubſcribuntur, & alij Pręlati Eccleſiarum provinciæ Narbonenſis, de mandato Magiſtri Michaëlis venerabilis apoſtolicæ ſedis Legati, apud Montempeſſulanum pro celebrando Concilio per ſeipſos & internuntios conveniſſent; ipſe Legatus, de aſſenſu omnium, univerſa quæ ſequuntur ita inſtituit.

I. In primis, ut pax in tota Narbonenſi provincia, ſicut jurata fuerat antea de voluntate Domini Comitis Toloſanenſis, &

poſtmodum in præſentia ejuſdem Legati apud ſanctum Ægidium à venerabilibus Vticenſi & Nemauſenſi Epiſcopis & Abbate ſancti Ægidij pro ſe & omnibus terris juramento firmata, ſine omni malo ingenio & cum bona fide ſervetur, nec aliquis eam violare pręſumat. Hoc ſiquidem inſtituit juxta decretum antiquum, quo dicitur: *Præcipimus ut Epiſcopi ad ſolum Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſepoſita ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeant, neque hoc alicujus amore vel odio prætermittant. Quòd ſi quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.* Idipſum quoque in Lateranenſi Concilio fuit reſidente bonæ memoriæ Alexandro Papa ſtatutum in illo capitulo quod incipit: *Treugam ab occaſu ſolis &c.* Ipſe verò Legatus auctoritate qua fungebatur ſupradictam pacem in eadem Narbonenſi provincia ſtabiliens confirmavit, ſupponens omnem illam perſonam eccleſiaſticam ſive ſecularem excommunicationi, & totam terram ejus nihilominus interdicto, quæ pacem aliquatenus violabit, donec, ſicut in ſtatutis pacis continetur, pacem violatam emendet. Huic ſiquidem conſtitutioni totum Concilium favorem præſtitit & aſſenſum.

Digitized by Google

II. Adjecit etiam Legatus de communi aſſenſu, ut quæcunque eccleſiaſtica ſecularisve perſona pacem infregerit, & commonita noluerit emendare, quicunque ſacramento ei aut fide tenetur, quantum ad hominium vel fidelitatem, ſint, donec ſatisfaciat, abſoluti.

III. Rurſus omnes hæreticos, Aragonenſes, familias quæ mainatæ dicuntur, piratas quoque, & illos qui deferunt arma ſeu armamenta vel lignamina galearum aut navium Sarracenis, de conſenſu omnium ſub anathemate poſuit, & conſtitutione Lateranenſis Concilij, quæ contra hujuſmodi emanavit, in omnibus obſervata, conſtituit ut bona hujuſmodi peſtilentium hominum publicentur, & ipſi nihilominus ſervituti ſubdantur.

IV Conſtituit etiam ut quicunque Princeps ſecularis ab eccleſiaſtico monitus, juriſdictionem temporalem in eos non curaverit exercere, ſit cum eis ſimul vinculo anathematis innodatus; quemadmodum ſtatutum eſt in prædicto Lateranenſi Concilio, & in ſynodo quam prædictus Dominus Alexander apud Montempeſſulanum dinoſcitur celebraſſe.

V. Adhæc etiam Legatus idem ex parte Domini Papæ diſtrictè præcepit ut Narbonenſis Archiepiſcopus & Epiſcopi ſuf-

Digitized by Google

fraganei ejus omnes illos qui mainatas receperint, vel foverint, ſive defenderint, aut eis vendere, ſeu ab ipſis emere, vel equos eorum ferrare præſumpſerint, in ſingulis parrochianis Eccleſiis omnibus diebus dominicis & præcipuis ſolemnitatibus excommunicent & anathematizent, pulſatis campanis, & candelis accenſis.

VI. Item Legatus ipſe decrevit quòd ſi aliqui illorum qui in Hiſpaniam ibunt, juramento vel fide præſtita teneantur aſtricti ut uſuras exolvant, cogantur illi cenſura eccleſiaſtica per Epiſcopum loci ad juramenta laxanda & fidejuſſores penitùs abſolvendos, qui à debitoribus juramentum vel fidem aut fidejuſſores recepiſſe noſcuntur. Quod beatæ memoriæ Dominus Papa Gregorius octavus remoto appellationis obſtaculo ſtatuit emendari. Verùm ſi jam perſolviſſe noſcuntur uſuras, competat eis repetitio uſurarum, ſicut jamdictus Alexander ſtatuit & decrevit.

VII. Rurſus ſæpedictus Legatus ſtatutis adjecit, ut omnes Preſbyteri, Clerici, monachi, ſcolares, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & quæ portant ſemen ad agrum, juxta decretum ejuſdem Domini Alexandri congrua ſecuritate lætentur. Nec quiſ-

quam alicubi novas pedagiorum exactiones ſtatuat, aut ſtatutas tenere aut veteres augmentare ullo modo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfaciat, communione careat Chriſtiana.

VIII. Adhæc, ſecundùm conſtitutionem Nicolai Papæ conſequenter inſtituit ut illi qui peregrinos vel oratores cujuſcunque ſancti, ſive Clericos, ſive monachos, vel feminas, aut inermes pauperes fuerint deprædati, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, niſi dignè emendaverint, anathematis vinculo innodentur. Et qui treugam ſive pacem infregerit, ſervatis omnibus ſupradictis excommunicationi ſubdatur.

IX. Decrevit etiam ut Iudæi ſive Sarraceni nullam ſuper Chriſtianos habeant poteſtatem, nec eos Chriſtianis præficere quiquam præſumant, neque ſub alendorum puerorum obtentu, nec pro ſervitio, nec alia qualibet cauſa, in domibus ſuis ſervientes Chriſtianos aut Chriſtianas permittantur habere. Excommunicavit autem illos, juxta Lateranenſe Concilium & alia ſacrorum canonum inſtituta, qui contra hæc venire præſumpſerint, & commoniti noluerint emendare.

X. Si quis præterea ad fidem Deo inſpirante

Digitized by Google

rante ſe converterit Chriſtianam, juxta memoratum Lateranenſe Concilium à poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludatur; cùm melioris conditionis eſſe oporteat converſos ad fidem, quàm antequam fidem ſuſciperent habebantur. Si autem ſecùs factum fuerit, Principibus & Poteſtatibus eorundem locorum, ubicunque ſint, ſub pœna excommunicationis injunxit ut converſorum eorundem portionem hereditatis atque bonorum ex integro eis faciant exhiberi, eóſque in omni benignitate & caritate pertractent, ſi deſiderant excommunicationis laqueum evitare. Eccleſiarum nihilominus Pręlatis in hoc ſuam exercentibus poteſtatem.

XI. Recepit denique ſub protectione beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Domini Celeſtini Papæ, Dominorum Cardinalium, univerſorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum ſanctæ Eccleſiæ, ac ſua Legatus ipſe omnes illos de provinciis legationis ſuæ qui converſi fuerint de Iudaïſmo vel Paganiſmo ad fidem catholicam, ex quo ipſe Roma exivit, aut convertentur adhuc donec ad Eccleſiam Romanam revertatur; & ſub excommunicatione diſtrictè prohibuit ne quis eos aut bona eorum aliqua temeritate perturbet.

XII. Decrevit etiam, immo decretum renovavit antiquum, ut qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis aut difficilè reddunt, tanquam necatores egentium ſecundùm canones per Epiſcopos locorum excommunicatione notentur.

XIII. Vſurarios ſiquidem manifeſtos, qui utique nec caritatem Dei nec proximi habere noſcuntur, ſi laici fuerint, illa ſententia innodavit quæ in ſynodo Lateranenſi ſtatuta fuiſſe dinoſcitur; ut videlicet ad communionem non admittantur altaris, oblationem eorum nullus accipiat, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, recipiant ſepulturam, cùm id faciant aliis quod ſibi fieri nolunt. Si verò Clerici fuerint, vel alicui religioni conſtricti, ſuſpenſionem eccleſiaſtici officij patiantur, ſicut ſtabilitum fuit in Concilio Turonenſi; depoſitionis ſententia ſecundùm Apoſtolorum canones innodandi, ſi in hoc contumaces apparuerint aut rebelles.

XIV. Item Legatus ipſe in ſynodo plena decrevit ut, ſicut in antiquis & novis canonibus continetur, quicunque ſunt titulo clericalis militiæ inſigniti, tonſuram habeant & habitum clericalem, competentibus calciamentis deinceps utantur, manicas veſtimentorum ſuorum cotidiano filo non conſuant, nec argenti vel alius metal-

Digitized by Google

li laminas ipſis apponant, ludos alearum & taxillorum prorsùs evitent. Illi quoque qui ſunt in ſacerdotio conſtituti, clauſa ſemper ferant indumenta, niſi in equitando aliud facere compellantur. Confirmavit etiam nihilominus idem Legatus conſuetudinem locorum illorum, & ne intermitteretur ſub anathematis interminatione prohibuit, quibus Clerici, etiam in minoribus, ſubdiaconali, & diaconali ordinibus conſtituti, clauſa conſueverunt hactenus veſtimenta deferre.

XV. Prohibuit prætèrea ſub omni ſeveritate eccleſiaſticæ diſciplinæ, ne quis monachus vel Canonicus regularis aut alius religioſus ad ſeculares leges vel Phyſicam legendas accedat. Alioquin, juxta decretum ſub Domino Alexandro in Concilio apud Montempeſſulanum & Turonis ſuper hoc articulo promulgatum, à dioceſanis Epiſcopis canonicè puniantur. De his autem qui contra hæc venire præſumpſerint, quæ de Clericorum mutandis in melius moribus decernuntur, Dominus Gregorius octavus Papa recolendæ memoriæ in Parmenſi Concilio ſtatuit ut per Epiſcopum ſuum remoto appellationis obſtaculo cer. . . . . r, & immunitatis ipſius interim fiant extorres quæ pro tutela Clericorum & coërcenda violentia laicorum noſcitur inſtitu-

Digitized by Google

ta. Cujus utique conſtitutionem Legatus ipſe per omnia comprobavit, & ut ſervetur diſtrictè pręcepit.

XVI. Viri quoque, Clerici, ſive laici, inciſas veſtes ſive linguatas ab inferiori parte non habeant, & mulieres veſtibus ſumptuoſis & proprij corporis longitudinem ſuperfluè excedentibus amodo non utantur; ſed in habitu honeſto & moderato incedant, qui nec laſciviam notet, nec jactantiam vanitatis oſtendat. Cùm enim Dominus, ſicut ei placuit, in amiſſione Ieroſolymitanæ terræ & in invaſione cujuſdam partis Hiſpaniæ totam Chriſtianitatem duplici contritione contriverit, non niſi per emendationem vitæ noſtræ in iis & aliis noſtri dignabitur miſereri. Adjecit autem ipſe Legatus in hoc ſpecialiter inſtituto quod de Clericis emanavit, ut ſi ſecùs factum fuerit, Epiſcopus loci, ſicut deſiderat proprium & affectat honorem, Clericum quemlibet aliter facientem officio eccleſiaſtico beneficióque ſuſpendat.

XVII. Stabilivit præterea Legatus idem, quòd quia peccato ſaturitatis Iſraëliticus populus ab hoſtibus legitur ſuperatus, & eos in parva poſtmodum manu placato per jejunium Domino ſuperavit, multiplicitas ferculorum, quæ boni viri ſenſum obtundit & meliora cogitare non ſinit, de

Digitized by Google

Clericorum menſa præcipuè ſubtrahatur, & duobus ferculis carnium vel piſcium ad plus, præter venationes & exenia gratis oblata, contenti, juxta verbum Ieſu Chriſti, omnes Epiſcopi & Clerici attendant ne corda eorum crapula vel comeſſationibus aggraventur. Si verò Clerici has Conſtitutiones noluerint obſervare, hoc tempore maximè quo Ieroſolymitana terra Sarracenorum dominio ſubjacet ancillata, & Hiſpania ſolito acriùs infeſtatur ab ipſis, Epiſcopus loci eos canonica cenſura compeſcat.

XVIII. Satuit etiam prædictus Legatus, ut matrimonia non niſi ſecundùm ſcita Canonum contrahantur.

XIX. Poſuit etiam in excommunicatione omnes illos, immo confirmavit ſententiam jam latam in ipſos de Capeſtagno, vel extra, qui Dominum R. Lodovenſem Epiſcopum ceperunt, & uſque ad redemptionem malè tractarunt; terram eorum nihilominus ſubiciens interdicto, donec ſatisfactionem exhibeant competentem.

XX. In fine quoque omnium addidit, ut quia in pluribus locis provinciæ Narbonenſis hæretici ſunt, in conſilio Archiepiſcopi & Epiſcoporum ſit qualiter pro eorum quæ ſuperiùs ſtatuta ſunt tranſgreſſione, interdicta debeant promulgari; ne

occaſione generalis & diutini interdicti, hæreticis occaſio pateat ad ſimplices catholicæ fidei ſupplantandos.

CONCILIVM MONSPELIENSE Habitum anno MCCXIV.

Litteræ P. Tituli ſancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinalis, apoſtolicæ ſedis Legati, ad Arnaldum Archiepiſcopum Narbonenſem, quibus eum invitat ad Concilium Monſpelienſe.

P. ſervus Crucis Chriſti divina miſeratione tituli ſancti Stephani in Cœlio monte Preſbyter Cardinalis, apoſtolicæ ſedis Legatus, venerabili per Dei gratiam Archiepiſcopo Nerbonenſi, apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem in Domino. Cùm ex injunctæ nobis legationis officio teneamur generaliter omnium Eccleſiarum, immo totius Chriſtianitatis in regno Franciæ, majoribus præſertim neceſſitatibus ſubvenire, illuc præcipuè in auxilium nos præparare convenit ubi pax & fides catholica periiſſe & corporum & animarum pariter deſtructio invaluiſſe à multis retroactis temporibus dinoſcuntur. Hac igitur conſideratione inducti, & zelo fidei commoti, tantæ miſeriæ compatientes, ſu-

per omnia nobis neceſſarium eſſe videtur, & ſine quo propoſitum noſtrum adeo commodè provenire non poſſit, ut ad reformandam & confirmandam fidem catholicam locis in quibus omnino defecit, vel periclitari videtur, omni opere omnique ſtudio laboremus, maximè cùm Principes & Barones & ferè univerſum populum ad hoc perficiendum pronum intelligamus & voluntarium .... divina inſpiratione commotos, nos ad hoc tam ſanctum negocium perficiendum precibus excitantes. Non enim convenit ſanctæ Eccleſiæ aut Chriſtianitati ſanctum Chriſti negocium contra Albigenſes & Tholoſanos hæreticos, tot & tantis divinis promotum miraculis, imperfectum poſt terga relinquere, cùm jam ſit per Dei gratiam in portu debitæ conſummationis. Et cùm in pluribus partibus quatuor archiepiſcopatuum, ſcilicet Bituricenſis, Narbonenſis, Occitanenſis, Burdegalenſis, peſtem hæreticam conſtet nondum penitùs extirpatam, non immeritò timetur & jamdiu confirmatis in fide periculum, & in noviter converſis recidivum. Omiſſis igitur interim quampluribus magnis & arduis ſanctæ Eccleſiæ negociis in Francia, deliberatione præhabita diligenti, de multorum bonorum virorum & prudentum conſilio, ac Principum, Baro-

Digitized by Google

num, Militum, tam cruceſignatorum quàm aliorum, ad prædicta & alia tractanda ac peragēda, quàm ad deſtructionem omnium hęreticorum & eorundem credentium, fautorum, defenſorum, & utilitatem & commodum univerſalis Eccleſiæ pertinere videntur, proponimus celebrare Concilium cum Prælatis quatuor prædictarum provinciarum, & aliis bonis viris ſecundùm quod videbitur expedire. Locum autem Concilij elegimus competentem apud Montempeſſulanum; tum pro eo quòd ſatis propinqua eſt civitati Tholoſæ, quæ caput & ſentina eſſe dinoſcitur totius maliciæ hæreticæ pravitatis; tum propter opulentiam loci, & amplitudinem tantæ multitudini neceſſariam; tum etiam propter ſecuritatem. Quare vobis cum omni devotione mandamus ut huic Concilio perſonaliter interſitis omnibus poſtpoſitis, Epiſcopos, Abbates, Archidiaconos, & alios quos expedire videritis de provincia veſtra, tam auctoritate veſtra quàm noſtra citetis ut ad prædictum Concilium omni cauſa & occaſione poſtpoſitis perſonaliter accedant. Datum Remis VII. Idus Decembris.

CANONES.

HÆC ſunt Statuta edita apud Montempeſſulanum in Concilio quod ibi

habuit Dominus Petrus de Benevento ſanctę Romanę ſedis Cardinalis & Legatus, unà cum pluribus Archiepiſcopis & Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis & Principibus, anno ab incarnatione Domini MCCXIV. die Mercurij poſt Epiphaniam, VI. Idus Ianuarij.

I. Quoniam propter incompoſitum habitum quorundam Clericorum regularium & ſecularium jam adeo laïci ſcandalizantur, quorum frequenter nobis ſunt oblatæ querelæ, quòd non ſolùm viros eccleſiaſticos hinc contemnunt, verùm & ipſos & Eccleſias aggravant & moleſtant, non credentes hujuſmodi Clericis magis deferendum quàm laïcis, qui non ſolùm á laïcis in habitu & alia converſatione non diſcrepant, verùm & in his & in aliis ſe magis exhibent diſſolutos; Nos volentes prædictorum utilitatibus tam ſpiritualiter quàm corporaliter providere; in ſynodo præſenti ſtatuimus, quin potiùs ſequentes antiqua ſtatuta canonica diſtrictè inhibemus, ut quilibet Archiepiſcopus vel Epiſcopus talaribus veſtimentis & camiſia linea ſuper alios pannos extra domum ſuam, ſi pedes vadat, ſemper utatur; & idem obſervet in domo, cùm Curiam publicè cum extraneis tenet. Chlamydem quoque talarem habeat ſuper ſcapulas conſutam more Romano.

Digitized by Google

II Nullus Canonicus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius Clericus de beneficio eccleſiaſtico vivens, frænis vel calcaribus deauratis utatur; non frequente Curias vel hoſpitia vel colloquia mulierum, quod domneare vulgò appellatur. Ex hoc enim ſolet multa diſſolutionis & laſciviæ materia exoriri.

III. Nullus Clericus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius Clericus de beneficio eccleſiaſtico vivens, indumentis vel caligis rubei vel viridis coloris, vel manicis conſutitiis, vel capa utatur manicata. Archidiaconi verò, Decani, Cantores, & alij qui in Eccleſiis cathedralibus vel conventualibus obtinent perſonatus, ſuperiorem veſtem, ſive lanea ſit, ſive linea, clauſam habeant & talarem. Quod obſervari volumus à Clericis curam animarum habentibus.

IV. Statuimus inſuper ut Clericus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius qui de beneficio eccleſiaſtico vivit, talem tonſuram ferat, quòd gradum non habeat, ſed dirigatur in gyrum, ita quòd capilli qui inter ſuperiorem & inferiorem tonſuram remanſerint, propter ſuam rotunditatem poſſint dici corona.

V. Item nullus Clericus taliter pignora pro mutuo recipiat, ut fructus pignorum

ſuos faciat, nec alias uſuras nec negotiationes exerceat, cùm hoc ſit ſacris canonibus interdictum.

V I. Si verò Clericus non habens locum vel beneficium eccleſiaſticum, habitum ſuum uſque ad menſem non curaverit reformare, in Eccleſia cathedrali lectionem vel epiſtolam vel evangelium minimè ſolemniter legere permittatur, nec ei beneficium eccleſiaſticum aſſignetur, donec habitum compoſitum ferat.

V I I. Nec Epiſcopus nec Clericus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius Clericus de beneficio eccleſiaſtico vivens, aves venatorias habeat in propria domo. Et ſi aliquis exeat cum laïcis ad venandum gratia ſpatiandi, (quod raró fieri expedit) propria manu hujuſmodi aves non portet.

V I I I. Diſtrictè quoque mandamus quòd in nulla Eccleſia laïci recipiantur in Canonicos & in fratres, nec ad præbendam canonicalem, quæ conſiſtit in pane & vino & quibuſdam aliis, cùm propter hoc Eccleſiæ multa damna proveniant.

I X. Quia verò quidam propter divitias, alij propter nobilitatem, & nonnulli propter diuturnum abuſum quem ad excuſandas excuſationes in peccatis allegant, ſupradicta corrigere vilipendunt, hactenus

tam à nobis quàm ab aliis requiſiti; ſtatuimus quòd quicunque ſupradicta vel eorum aliqua infra quindecim dies poſtquam hoc mandatum eis innotuerit, contempſerit adimplere, ſciat ſe, uſque dum mandatum noſtrum impleverit, per noſtram ſententiam ab officio beneficióque ſuſpenſum. Quod & circa illum volumus obſervari, qui poſtquam ſemel mandatum noſtrum impleverit, venire præſumpſerit contra illud. Is autem qui juriſdictionem ordinariam obtinet ſuper eum, poſtquam ad notitiam ejus pervenerit pertinacia contemptoris, ſupradictam ſententiam publicet, & eam faciat uſque ad ſatisfactionem condignam per cenſuram eccleſiaſticam obſervari. Quòd ſi ipſe prælatus id omiſerit exequi infra octo dies poſtquam innotuerit ei, ex tunc ſibi ſciat per ſententiam noſtram, donec id exequatur, ingreſſum Eccleſiæ eſſe interdictum.

X. Ad tollendam quoque detractionis cauſam & materiam ſcandali quæ contra Archiepiſcopos & Epiſcopos quotidie generatur, ſub atteſtatione divini judicij Archiepiſcopis & Epiſcopis diſtrictè præcipimus ut beneficia eccleſiaſtica gratis & liberaliter idoneis perſonis aſſignent, & ut in ſua familia honeſtos Clericos habeant, ut ſuper honeſtate ſua teſtimonium eis ferant,

Digitized by Google

nec ſcienter excommunicatos niſi in caſu à canonibus permiſſo ad colloquium vel ad propriam menſam admittant. Eccleſias verò ſui epiſcopatus in evectionum numero contra ſtatuta Lateranenſis Concilij non aggravent ; & cùm ad eas vadunt, corrigant quæ fuerint corrigenda ; nec pecuniam pro procurationis redemptione recipiant, cùm eas non viſitant.

XI. Item parrochialium Eccleſiarum curam adoleſcentibus vel in minoribus ordinibus conſtitutis contra tenorem Lateranenſis Concilij non concedant.

XII. Item tam Abbates quàm Priores & univerſi monachi & Canonici regulares venationes & negotiationes prorsùs devitent.

XIII. Item fræna, pectoralia, & calcaria deaurata & deargentata non deferant, nec depictis ſellis utantur.

XIV. Item non habeant tunicas curtas vel apertas ab anteriori vel poſteriori parte, ſed longas & clauſas. Item non utantur capis, tunicis, vel palliis de aliqua bruneta vel etiam cameloto.

XV. Item nullus monachus vel Canonicus regularis proprium habeat, nec etiam de ſui Abbatis vel Prioris licentia, cùm ipſis hanc dare licentiam non poſſint. Nulli Canonico regulari certa pecunia pro veſti-

Digitized by Google

mentis detur : quia ex hoc datur materia proprium retinendi. Sed in omni monaſterio vel canonica regulari certi reditus deputentur, de quibus per manum unius qui eos fideliter colligat, fratribus provideatur in veſtimentis.

XVI. Item mandamus ut in quolibet monaſterio vel canonica regulari ſingulis diebus dominicis proprietarij in capitulo excommunicentur.

XVII. Item præcipimus ut nullus in Canonicum vel monachum admittatur cum aliqua conditione vel pacto, per quod aliquid debeat pro receptione ejus dari.

XVIII. Item jubemus quòd nulli monachi vel Canonici regulares in cauſis alienis advocati exiſtant; niſi fortè aliquis caſus gravis neceſſitatis vel magnæ utilitatis occurrat, ob quem ab Epiſcopo, qui fortè regulari loco præeſt, vel ab Abbate vel Priore idem fieri fortè mandetur. Et ſi contra hæc fecerint, tam à judice quàm à parte tanquam excommunicati & infames ab hac advocatione omnino repellantur.

XIX. Mandamus inſuper ut ea quæ in menſa monachorum vel Canonicorum in pane & vino vel pulmentis ſuperſunt, nullus è ſervientibus alicui largiri præſumat, ſed univerſa colligantur ab eo qui curam refectorij obtinet, & juxta ordinationem

Digitized by Google

Abbatis vel Prioris pauperibus tribuantur.

XX. Item præcipimus ut Canonici regulares amplas coronas portent, & monachi ampliſſimas, ita quòd duorum digitorum vel trium ad plus ſit monachius circulus capillorum.

XXI. Item nullus monachus vel Canonicus regularis, niſi propter majorem religionem vel aliam juſtam cauſam à canonibus approbatam, una Eccleſia dimiſſa, ad aliam transferatur, quia ex hoc multam diſſolutionis & evagationis novimus materiam generari. Si qui autem facti ſunt monachi vel Canonici regulares in diverſis Eccleſiis, cogantur in illa Eccleſia moram facere in qua primò profeſſionem fecerint, nec in aliis vocem aliquam habeant.

XXII. Item diſtrictè præcipimus ut Canonici regulares ſuperpelliceis ſemper utantur, niſi propter infirmitatem vel aliam neceſſitatem de permiſſione ſuæ regulæ quandoque id intermittatur.

XXIII. Item Canonicus regularis capam nigram & clauſam, non conſutam pellibus, cùm equitat, & in aliis locis, juxta regulam deferat reverenter.

XXIV. Item nullus monachus vel Canonicus regularis à ſua vel alia Eccleſia vel perſona eccleſiaſtica Eccleſiam vel aliquid aliud recipiat vel teneat pro prębenda. Et

Digitized by Google

ſi aliqui jam receperint ſupradicto modo Eccleſiam vel aliquid aliud, eos mandamus hujuſmodi Eccleſiis vel beneficiis per eos ad quos pertinet abſque ulla dilatione privari. Si quis verò monachus vel Canonicus regularis contra prædicta vel aliquod prædictorum ſcienter venire præſumpſerit; ſi Abbas vel Prior fuerit, opportet eum uſque ad ſatisfactionem condignam juxta Epiſcopi dioceſani arbitrium per noſtram ſententiam ab officio & adminiſtratione ſuſpendi. Quòd ſi fuerit regularis vel monachus tantùm, donec congruè ſatisfecerit juxta ſui Abbatis arbitrium, ab officio noverit ſe ſuſpenſum, & ingreſſum Eccleſiæ ſibi interdictum.

XXV. Ceterùm cùm adeo invaluerit quorundam virorum religioſorum cupiditas, ut uſurarios, excommunicatos, ſeu nominatim interdictos ad religionem ſeu ſepulturam vel eccleſiaſtica ſacramenta recipiant, propter quod multæ Eccleſiæ non modicùm damnificantur, ne de cetero fiat ſub interminatione anathematis modis omnibus inhibemus; & ſi factum fuerit, ad reſarcienda damna ipſis Eccleſiis facta compellantur. ſalvis apoſtolicæ ſedis privilegiis.

XXVI. Cùm monaſteria & canonicæ regulares Prioratus ſeu Obedientias habeant,

beant, & in ipſis ſingulos fratres ponere conſueverint, qui ibidem regulariter vivunt, & quandoque ab uno conſumitur de quo poſſet pluribus provideri; ſtatuimus ut ſi talis fuerit prioratus in quo tres fratres valeant commorari, tres ad minus fratres ponantur ibidem, & unus ex eis Prior fiat, qui curam omnium habeat. Si verò tot fratribus non ſufficiat prioratus, cùm pauciores vix poſſint regulariter vivere, duæ vel tres Eccleſiæ juxta arbitrium dioceſani Epiſcopi, ubi præeſt Epiſcopus, vel Abbatis ſeu Præpoſiti vel Prioris, ubi Epiſcopus non præeſt, conjungantur in unum, & illi Priori qui inſtituetur reſpondeant; & idem Prior in illis Eccleſiis in quibus non ſunt fratres, per Capellanos ſeculares miniſtret.

XXVII. Quoniam in præſenti Concilio agitur de negotio Ieſu Chriſti, qui pacis eſt auctor, quædam ſuper obſervatione pacis duximus ſtatuenda, quæ volumus firmiter obſervari. Si quis pacem infra quindecim dies, poſtquam à dioceſano Archiepiſcopo vel Epiſcopo viva voce vel per litteras ſeu per nuntium fuerit requiſitus, jurare noluerit, ad id per cenſuram eccleſiaſticam cogatur, & ipſe ſit extra pacem, & homines ejus, ſi ei faverint; ſi verò ei favere noluerint, ſed eſſe voluerint in pa-

ce, & adeſſe paci contra violatores ejus admittantur. Qui commonitus à Paciariis infra quindecim dies juſtitiam ad cognitionem Paciariorum facere vel firmare noluerit, Epiſcopus eum excommunicet, & de pace deiciat, & terram ejus interdicto ſupponat. Quòd ſi homines ſui ei faverint, poſt quatuordecim dies eiciantur à pace, & reſtituatur eis compenſum, ſi quod dederunt. Sed ſi homines ipſi velint mandatis pacis parere, dimittantur in pace. Si aliquis pacem fregerit, & intraverit poſtea cum forisfacto vel ſine forisfacto in civitatem, caſtrum, vel villam, dominus vel rectores ipſius loci, poſtquam hoc ſciverint, capiant eum, & tamdiu teneant, donec ſatisfecerit de violatione pacis. Alioquin locus ille emendet fracturam pacis. Si duo ſint domini ejuſdem loci, ſive alicujus caſtri, vel villæ, & alter illorum pacem fregerit, homines illius interdicto ſubiciantur. Qui violatorem pacis ſcienter receptaverit, excommunicetur, & eiciatur de pace donec ſatisfaciat, ita quòd & pater teneatur pro filio qui pacem violaverit, dummodo ſit in ſua poteſtate, & obediens ei fuerit uſque ad illam horam quando pacem violavit. Si exercitus contra violatores pacis collectus fuerit, & de loco ubi aggregatus eſt ſe moverit, violator pacis non

Digitized by Google

audiatur, niſi reſarciat expenſas factas in bobus & aliis quæ pertinent ad agriculturam. Item ſtatuimus ut quilibet laïcus & quilibet nobilis infra quindecim dies poſtquam requiſitus fuerit, pacis innovet juramenta, & de cetero juramentum pacis de quinquennio in quinquennium renovetur. A violatore pacis firmantia vel ſacramentum ſolum nequaquam recipiantur, ſed pignora, vel perſona propria in bona cuſtodia juxta Paciariorum arbitrium retineatur. Si qui vaſſalli vel homines aliquorum propria temeritate inſurgunt contra dominos ſuos, admoniti à Paciariis, niſi à ſua præſumptione deſtiterint, pax aſſiſtat dictis dominis contra eos. Violatores pacis ſingulis diebus dominicis excommunicentur, & in ſero poſt Veſperas campanæ omnes per civitates, villas, & caſtra in eorum deteſtationem pulſentur. Statuimus inſuper ut ſingulis annis in principio Maij conveniant majores Paciarij, & querimonias pacis expediant; & ſi aliquis articulus dubitationis occurrat, illum, prout viderint expedire, declarent. Præterea ſub interminatione anathematis prohibemus ne nova pedagia imponantur, vel antiqua augmententur, nec ij qui conſueverint pedagia juſta recipere, in aliis locis illa recipiant mutatis locis antiquis. Barones & domini lo-

corum, ſeu aliæ perſonæ quæ pedagium recipiunt., ſtratas publicas in diſtrictu ſuo fideliter faciant cuſtodiri. Et ſi fortè mercatores ſeu alij viatores in illius diſtrictu qui pedagium receperit, damnum per violentiam paſſi fuerint, is cujus eſt pedagium, ſi eum qui violentiam fecit poteſt diſtringere, cum auxilio pacis eum diſtringat. Alioquin tamdiu prohibeatur per cenſuram eccleſiaſticam & alio modo pedagium recipere, donec paſſis injuriam de damno fuerit integrè ſatisfactum.

XXVIII. Quia propter conjurationes & conſpirationes quæ confratriæ vocantur, in civitatibus, villis, & caſtris quandoque multa diſcordiæ materia ſuſcitatur, præſens ſynodus ſub anathematis interminatione conſtituit ut in civitatibus, villis, & caſtris non fiant de cetero confraternitates, niſi de voluntate dominorum locorum ipſorum & dioceſani Epiſcopi, & propter urgentem neceſſitatem & evidentem utilitatem id fiat. De his autem confraternitatibus quæ hactenus factæ ſunt, & de quibus querelam audivimus, cauſa cognita quod juſtum fuerit faciemus.

XXIX. Item capitulum Statuti Avinionenſis Concilij innovantes, ſub diſtricti anathematis interminatione præcipimus ut Archiepiſcopus & Epiſcopus in ſingulis par-

Digitized by Google

rochiis tam in civitate quàm extra unum ſacerdotem & duos vel tres bonæ opinionis laïcos, vel plures, ſi opus fuerit, juramenti religione conſtringant quòd ſi quos ibi repererint hęreticos, fautores, vel receptatores, vel defenſores eorum, ipſi Archiepiſcopo vel Epiſcopo dioceſano & Conſulibus civitatum & dominis locorum ſeu Bajulis eorundem cum omni ſtudeant feſtinantia intimare, ut eos puniant ſecundùm canonicas & legitimas ſanctiones, nihilominus bona ipſorum confiſcantes. Si verò prętati Conſules & domini locorum ſeu Bajuli eorundem à dioceſanis Epiſcopis requiſiti, in hoc fuerint negligentes vel remiſſi, ſeu etiam contemptores, volumus ut ipſarum perſonæ excommunicationi & terræ interdicto eccleſiaſtico ſupponantur. Sancimus præterea, eidem Avinionenſi Concilio inhærentes, ut ſi præfati Conſules & domini locorum ſeu Bajuli eorundem, qui, ut prædictum eſt, negligentes inventi fuerint in hoc Dei obſequio, caſtra quædam vel poſſeſſiones ab Eccleſiis noſcuntur habere, ea perdant propter ingratitudinem & indevotionem ſuam, & ad ipſas Eccleſias redeant pleno jure. Ad hæc adicimus, quòd fautores, receptatores, vel defenſores hæreticorum, cunctóſque qui præfatis hæreticis patrocinium pręſti-

Digitized by Google

terint vel favorem ad fovendam in eiſdem locis hęreticam pravitatem, ſimili decernimus ſententiæ ſubjacere, paríque cum ipſis hæreticis pœna feriri.

XXX. In fine ſtatuimus præfata ſtatuta in præſenti Concilio edita publicari per omnes dioceſes & Eccleſias parrochiales, ne quis ignorantiæ vitium poſſit prætendere, & per ſingulos annos relegi in eiſdem Eccleſiis ſemel aut pluries ſecundùm ordinationem Epiſcoporum dioceſanorum, & nihilominus annis ſingulis relegi in ſynodis dioceſanis.

Datum apud Montempeſſulanum, die Mercurij poſt Epiphaniam, anno ab incarnatione Domini MCCXIV. VI. Idus Ianuarij.

Petrus Monachus Vallium Cernaij in hiſtoria Albigenſium Cap. LXXXI.

ANNO ab incarnatione Domini MCCXIV. in quindena Nativitatis dominicæ convenerunt apud Montempeſſulanum Archiepiſcopi & Epiſcopi vocati à magiſtro Petro Beneventano apoſtolicæ ſedis Legato ad Concilium, ut de his quæ pacis erant & fidei, idem Legatus ſecundùm Prælatorum conſilium ordinaret. Convenerunt autem ad illud Concilium

quinque Archiepiſcopi, videlicet Narbonenſis, Auſcitanus, Ebredunenſis, Arelatenſis, Aquenſis. Fuerunt Epiſcopi XXVIII. pluréſque de Baronibus terræ ibi affuerunt. Nobilis autem Comes Montisfortis non intravit cum aliis Montempeſſulanum, ſed manſit diebus Concilij in quodam vicino caſtro quod erat Epiſcopi Magalonenſis. Homines autem Montiſpeſſulani, utpote peſſimi & ſuperbiſſimi, ſemper exoſum habebant Comitem & omnes Francigenas, ita quòd ipſum Comitem non permittebant Montempeſſulanum intrare. Hac de cauſa manſit, ſicut diximus, in caſtro prædicto; veniebátque cotidie uſque Montempeſſulanum in domo fratrum militiæ Templi, foris murum; ubi egrediebantur foris ad eum ..... Archiepiſcopi & Epiſcopi, quoties opus erat. Igitur convenientibus, ut prædictum eſt, Legato, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, apud Montempeſſulanum, fecit Legatus ſermonem in Eccleſia beatæ Virginis Mariæ. Poſtea vocavit in domo, in qua manebat, Archiepiſcopos quinque, & Epiſcopos XXVIII. Abbates, & alios Eccleſiarum Prælatos innumerabiles. Quibus in unum congregatis, primò eos allocutus eſt in hæc verba: Repeto & requiro à vobis ſub obteſtatione

divini judicij & obedientiæ debito, quo Romanæ Eccleſiæ tenemini, ut omni gratia, odio, livore poſtpoſitis, detis nobis fidele conſilium, ſecundùm ſcientiam veſtram, cui meliùs & utiliùs ad honorem Dei & ſanctæ matris Eccleſiæ & pacem terræ ad expugnandam vel expurgandam ſpurcitiam hæreticorum concedi & aſſignari debeat Toloſa, quam Comes Toloſanus tenuit, & aliæ terræ quas occupaverunt exercitus Chriſtianorum crucesignatorum. Omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi habuerunt longam & diligentem deliberationem unuſquiſque cum Abbatibus ſuæ dioceſis & familiaribus Clericis ſuis, & quod bonum videbatur & rectum redegerunt in ſcriptum, & in hoc tandem omnium & ſingulorum vota & conſilia convenerunt, ut nobilem Comitem Montisfortis eligerent in totius terræ illius Principem & Monarcham. O res miranda! Si creandus eſt Epiſcopus aut Abbas, vix in unam perſonam conveniunt pauciſſimorum conſenſus. Ecce in electione Principis tantæ terræ tot & tantæ perſonæ in memoratum Chriſti pugilem ſine aliqua diſſenſione vota ſua unanimiter contulerunt. A Deo procul dubio factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Poſtquam ergo Archiepiſcopi & Epiſcopi elegerunt prænobilem Comitem

modo quo prædiximus, inſtantiſſimè requiſierunt à Legato ut ipſe ſtatim traderet terram totam eidem Comiti. Sed habito recurſu ad litteras Domini Papæ, quas miſerat Legato, inventum eſt quòd Legatus non poterat iſtud facere inconſulto Domino Papa. & hac de cauſa, communi aſſenſu tam Legati quàm Prælatorum, Ebredunenſis Archiepiſcopus Bernardus, vir multæ ſcientiæ & totius bonitatis, miſſus eſt Romam, & quidam Clerici cum illo, litteras tam Legati quàm Prælatorum ferentes ſecum, in quibus ſupplicabant Prælati omnes Domino Papæ inſtantiſſimè, ut nobilem Comitem Montisfortis, quem unanimiter elegerant, concederet eis in terræ Dominum & Monarcham. Illud autem non credimus reticendum, quòd dum celebraretur memoratum Concilium in Montepeſſulano, quodam die Legatus Comitem noſtrum, qui erat foris muros in domo militiæ Templi, fecit vocari, ut intraret ad ipſum & Prçlatos. Statim Comes intravit cum paucis. Militibus verò ſuis, qui cum eo pauci intraverant, cauſa ſpatiandi per villam evagantibus, Comes erat cum Legato & Prælatis ipſe & duo filij ejus. Mox illi de villa, utpote nequiſſimi, armaverunt ſe clanculò pro magna parte; intrantéſque Eccleſiam beatæ Ma-

riæ, poſtquam Comes intraverat, totam viam per quam ipſum redire putabant obſervantes, expectabant reditum ejus, ut eum occiderent, ſi poſſent. Sed piùs Dominus aliter & longè meliùs ordinabat. Innotuit ergo Comiti noſtro quod fiebat; & per aliam viam quàm intraverat exiens, ab inſidiis declinavit. His omnibus rite geſtis, & celebrato per multos dies Concilio, Prælati qui aderant ad propria redierunt.

Vide auctorem libri cui titulus eſt Prçclara Francorum facinora, *qui editus eſt à viro clariſſ. Gulielmo Catello Senatore Toloſano.*

CONCILIUM MONSPELIENSE Habitum anno. MCCXXIV.

Ex Geſtis Ludovici VIII. Francorum Regis, ad annum MCCXXIV.

INFRA octabas Aſſumptionis beatæ Mariæ apud Montempeſſulanum auctoritate apoſtolica Concilium celebratur. Nam Honorius Papa Narbonenſi Archiepiſcopo dederat in mandatis quòd ibi modum pacis quam Raymundus Comes Toloſanus & alij Albigenſes ſanctæ matri Eccleſiæ offerebant, audiret, & quod inde

faceret remandaret. Qui convocatis totius provinciæ Epiſcopis & Abbatibus ac Clericis univerſis, à Comite Toloſano aliiſque Baronibus juramenta recepit quòd terram ſecuram & obedientiam Romanæ Eccleſiæ redderent, & Clericis redditus ſuos in integrum reſtaurarent, eiſque pro damnis quindecim millia marcharum infra tres annos perſolverent, & de hęreticis confeſſis vel convictis juſtitiam facerent indilatam, ac pro poſſe ſuo per univerſam provinciam pravitatem hæreticam extirparent.

IVRAMENTA RAYMVNDI Comitis Toloſani & aliorum Baronum, data in Concilio habito apud Montempeſſulanum anno MCCXXIV.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Anno incarnationis ejuſdem MCCXXIIII. VIII. Kalend. Septembris. Nos Raymundus Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tholoſę, Marchio Provinciæ, cum ſacroſancta Romana Eccleſia pacem ſummo deſiderio facere deſiderantes, ad honorem Dei & ejuſdem Ro. Eccceſiæ & ſanctiſſimi in Chriſto Patris noſtri Honorij Summi Pontificis, pio corde & vera devotione per nos & per omnes homines ac valitores noſtros offerimus vobis Domino A.

Narbonenſi Archiepiſcopo, & per vos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Domino Papæ, omnia illa quæ in alio colloquio vobis & per vos ſanctæ Romanæ Eccleſię obtulimus. Videlicet quòd fidem catholicam, ſicut eam ſancta Romana prędicat & docet Eccleſia, ſervabimus, & per terram noſtram ſervari pariter & fideliter faciemus. Terram inſuper noſtram hęreticis fideliter purgabimus ad cognitionem Eccleſiæ; videlicet bona eorum publicando, eoſdémque corporaliter puniendo. Item pacem plenam & integram in tota terra noſtra ſervabimus, & ſervari pleniſſimè faciemus, Ruptarios de noſtris finibus expellendo. Eccleſiis etiam & viris eccleſiaſticis reſtituemus plenariè omnia jura ſua. Libertates quoque Eccleſiarum & aliorum locorum religioſorum ſervabimus, & ſervari pleniſſimè faciemus in poſterum & in perpetuum. Pręterea pro damnis & injuriis Eccleſiis ac viris eccleſiaſticis irrogatis, & ut ob reverentiam & honorem Romanæ Eccleſiæ & Domini Papæ provideri valeat honori Comitis Montisfortis, dabimus Eccleſiæ xx. milia marcharum argenti terminis competentibus ſolvendarum: ita tamen ſi petitioni quam Comes Montisfortis in terra noſtra & valitorum noſtrorum facit, Dominus Papa nobis abſolvi, & in-

ſtrumenta quæ ab ipſo Domino Papa, vel à Domino Rege Francorum, vel patre ejus, idem Comes Montisfortis vel pater ejus ſuper eo dicitur impetraſſe, Summus Pontifex faciat nobis reddi. Verùm quia nec in primo nec in ſecundo colloquio aliquis præſens fuit pro Comite Montisfortis, cum quo ſuper compoſitione, quam ſanctiſſimus Pater noſter Honorius mandaverat fieri, tractare potuimus, ad pręſens plenè non poſſumus reſpondere. Veruntamen nos in pręſenti ſollemnes nuntios ad Dominum Papam dirigimus; cum quibus tam ſuper compoſitione pręicta, quàm ſuper omnibus aliis ad reconciliationem noſtram pertinentibus, plenè poterit tractari, & omnia ad finem debitum divina gratia mediante perduci. Concedentes & promittentes nos in perpetuum ratum habituros & firmiter ſervaturos quicquid cum illis nuntiis ſuper facto noſtro de mandato & voluntate Domini Papæ fuerit ordinatum aut factum. Et cùm nos credamus pro majori parte reſtitutionem feciſſe Eccleſiis ac viris eccleſiaſticis, ſecundùm quod in alio colloquio promiſimus; tamen ſpecialiter nunc promittimus quòd ea omnia quæ reſtant ad reſtituendum Eccleſiis ac viris eccleſiaſticis pleniſſimè reſtituemus ad cognitionem Domini Papæ, vel Domi-

Digitized by Google

ni A. Narbonenſis Archiepiſcopi, vel cujuſlibet Epiſcopi in dioceſi ſua. Et de faiditis Toloſæ reſtituendis cum honoribus ſuis faciemus quicquid Dominus Papa noverit faciendum. Ad ultimum, ſi ea quæ obtulimus Domino Papæ ſufficientia non videntur; cùm ſervire ſanctæ Eccleſiæ regnare ſit, nos in omnibus & per omnia miſericordiæ & mandatis Domini Papæ pro poſſe noſtro obediemus humiliter ac devotè. Salva dominatione ſereniſſimi Domini noſtri Regis Franciæ, & Domini Imperatoris. Quòd autem omnia predicta attendamus & compleamus bona fide, plenè & ſufficienter cavebimus per ſecuritates idoneas ad cognitionem Domini Papæ.

Et nos Rogerius Bernardi Dei gratia Comes Fuxenſis, & Trencavellus eadem gratia Vicecomes Biterrenſis, idem & eodem modo promittimus nos in tota terra noſtra facturos, & in perpetuum ſervaturos, ſicut ſuperiùs Dominus noſter Comes Toloſæ promiſit pro ſe & pro nobis & aliis valitoribus ſuis ſe in perpetuum ſervaturum. Datum apud Montempeſſulanum die & anno quibus ſuprà.

Digitized by Google

LITTERÆ AMALRICI Domini Montisfortis ad Epiſcopos qui conventuri erant ad Concilium Monſpelienſe, quibus eos obſecrat obteſtatúrque ne pacem faciant cum Raymundo Comite Toloſano.

REVERENDIS in Chriſto patribus & dominis ſuis kariſſimis, Narbonenſi, Arelatenſi, & Auxitanenſi Dei gratia Archiepiſcopis, & univerſis Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis ad Concilium de Montepeſſulano congregandis, Amalricus divina providentia Dux Narbonæ, Comes Tholoſæ, & Dominus Montisfortis, ſalutem, & cum omni reverentia & devotione ſe ipſum. Cùm vos zelo fidei animati, Ieſu Chriſti negocium inceperitis, & manutenueritis ſicut veri fidei zelatores; nunc neceſſe eſt quòd vos, cùm tempus meſſionis propè ſit, & jam fruges albeſcunt ad meſſem, expectetis modicùm, & curſum perſeveranter agatis; ut bravium cum gloria conſequi poſſitis optatum, propter quem tam fideliter laboraſtis; cúm fruſtra mittatur manus ad aratrum, ſi mittens reſpexerit donec conſummaverit quod incepit. Eia igitur, Patres ſanctiſſi[illegible], attendite,& videte quàm mirabilis ſit Deus in ope-

ribus ſuis, & quàm ſint mirabilia facta ſua: quia licèt videatur ſuum negotium totaliter dimiſiſſe, modò deliberat & diſponit ut ipſum negotium reſuſcitet cum gloria & triumpho; cùm ipſe, ſicut credimus, cor Domini Regis Franciæ animaverit ad ſubveniendum ſuo negocio, immo, ut loquamur veriùs, ad conſummationem ipſius. Ideóque paternitatem veſtram exoramus humiliter & devotè, obſecrantes vos & adjurantes per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, cujus res agitur, quatinus nullam compoſitionem ſive pacem, quæ prejudicet juri noſtro, cum Raymundo filio Raymundi quondam Comitis Tholoſę faciatis, nec fieri permittatis; maximè cùm illud in totius Cleri & populi & univerſalis Eccleſiæ ſcandalum & ignominiam perpetuam redundaret.

CONCILIVM BITERRENSE Habitum anno MCCLV.

IN nomine Domini. Anno Nativitatis Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, VIII. Idus Maij, Ludoyco Rege regnante. Noverint univerſi quòd cùm Petrus de Antolio Seneſcallus Carcaſſonenſis & Biterrenſis ex parte Domini

Domini Regis obſediſſet caſtrum de Querbus, ipſe Seneſcallus ſuis litteris apertis ſcripſit rogando Domino Archiepiſcopo Narbonenſi & ejus ſuffraganeis, ut Domino Regi & ſibi pro eo in obſidione dicti caſtri ſuum præberent ſubſidium & ſuccurſum. quarum litterarum tenor talis fuit. *VENERABILIBUS in Chriſto Patribus G. Dei gratia Archiepiſcopo Narbonenſi & ſuffraganeis ejus, P. de Antolio Miles, Seneſcallus Carcaſſanenſis & Biterrenſis, ſalutem & ſinceram dilectionem cum honore. In arduis negotiis quæ Dominus Rex Franciæ illuſtris contra hoſtes pacis & fidei in iis habuit partibus, vos & prædeceſſores veſtri tam laudabiliter laboraſtis, quòd ad laudem Dei & Domini Regis cedit ad commodum & honorem. Et cùm de mandato ejuſdem Domini Regis quoddam receptaculum hæreticorum obſederimus, homicidarum, & latronum, ſcilicet caſtrum de Querbus de feudo Domini Regis, paternitatem veſtram ex parte Domini Regis & noſtra ſicut cariùs poſſumus deprecamur quatinus ad obſidendum & capiendum dictum caſtrum viriliter nobis affectu ſolito ſuccurratis. Non enim intendimus nec volumus Eccleſiæ de jure ſuo aliquod præjudicium fieri in futurum per ſubmonitionem quam vobis nuper fecimus & mandatum. Datum Carcaſſonæ die Mercurii ante feſtum Aſcenſionis Domini, anno Domini MCCLV.*

Digitized by Google

Et dictarum litterarum tenore inſpecto, Dominus Guillielmus Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus præſidens apud Biterrim in Concilio ab eo convocato, præſentibus & aſſiſtentibus ſibi venerabilibus Patribus R. Biterrenſi, R. Toloſanenſi. G. Lodovenſi, R. Nemauſenſi, P. Agathenſi, & B. Vticenſi Epiſcopis, & procuratoribus Dominorum G. Carcaſſonenſis & P. Magalonenſis Epiſcoporum, ſancti Poncij, Anianenſis, Villemagnenſis, Caunenſis, Montis Olivi, ſancti Affrodiſij & ſancti Iacobi Biterrenſis, Iucellenſis, ſancti Hilarij, de Quadraginta, ſancti Aniani Abbatibus, & procuratoribus Electenſis, ſancti Guillermi de Deſertis, & ſancti Polycarpi Abbatum, & pluribus Archidiaconis, Præcentoribus, & aliis perſonis eccleſiaſticis, unanimiter deliberato conſilio, habita inter ſe deliberatione diligenti, convenerunt & repperierunt quòd non tenebantur ex debito ire vel ſequi in exercitum Dominum Regem vel ejus Seneſcallum, nec eis tenebantur facere hoſtem vel cavalcatam; præſertim cùm hactenus retro temporibus Prælati hujus terræ vel homines eorum quandocunque exiverunt vel iverunt in exercitum, illud fecerint mandato Legatorum Eccleſiæ Romanæ vel Domini Archiepiſcopi Narbonenſis, & nun-

Digitized by Google

quam mandato ſolius Seneſcalli. Et ideo non ex debito, nec ex mandato vel rogatu dicti Seneſcalli, ſed potiùs ex gratia & honore Domini Regis, & quia dicitur & fama eſt dictum caſtrum fuiſſe receptaculum hæreticorum, furum, & latronum, unde etiam negotium pacis & Eccleſiæ eſſe videbatur, concorditer convenerunt quòd ipſi Prælati & eorum homines moderatè, ſecundùm quod eis honeſtum eſſe videbitur, in obſeſſione & expugnatione dicti caſtri Domino Regi præbeant auxilium & ſuccurſum. Salvo tamen jure libertatis & immunitatis ſuæ & Eccleſiarum ſuarum, & ſine omni ſuo & Eccleſiæ præjudicio in futurum. Acta ſunt hæc apud Biterrim, in porticu capellæ epiſcopalis, in præſentia & teſtimonio magiſtri Bernardi Archidiaconi Ruthinenſis, & Domini Stephani Præcentoris Eccleſiæ ſancti Iuſti Narbonenſis, Domini Bertrandi de Grava Capellani Domini Epiſcopi Vticenſis, Hugonis de Aquilerio Præcentoris Vticenſis, Domini Poncij de Broha Canonici Narbonenſis, Domini Petri Veſiani Sacriſtæ ſancti Affrodiſij, Guillermi de Seran, & Raimundi de Croſis Clerici Domini Archiepiſcopi Narbonenſis, Gr. Cathalani Clerici Domini Epiſcopi Biterrenſis, & mei magiſtri Michaëlis publici Biterris

Notarij, qui mandatus à dicto Domino Archiepiſcopo Narbonenſi pro ſe & ſuis ſuffraganeis & procuratoribus ſupradictis hæc ſcripſi & redegi in publicum inſtrumentum, & huic publico inſtrumento appoſui ſignum meum.

STATVTA SANCTI LVDOVICI Francorum Regis pro reformatione morum, in Galliam Narbonenſem ejus juſſu delata à Guidone Fulcodij, & relecta in Concilio Biterrenſi anno MCCLV.

HÆc ſunt Stabilimenta facta per Dominum Regem Franciæ, quæ Dominus Guido Fulcodij attulit ſigillata ſigillo dicti Domini Regis, & fuerunt recitata & lecta aggregato generali Concilio Prælatorum & Baronum & Militum terræ apud Biterrim anno MCCLV.

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex univerſis præſentem paginam inſpecturis ſalutem. Ex debito regiæ poteſtatis pacem & quietem ſubjectorum noſtrorum, in quorum quiete quieſcimus, præcordialiter affectantes, ac adverſus injurioſos & improbos, qui tranquillitati eorum invident & quieti, zelum indignationis habentes, ad hujuſmodi propulſandas injurias & ſtatum regni reformandum in me-

lius ad præſens aliqua duximus ordinanda, quæ inferiùs continentur.

Quæſtus quidem illicitos, quantum poſſibile fuerit, in Ballivis & aliis Curialibus noſtris reprimere cupientes, Seneſcallos, Ballivos, Præpoſitos, Vicecomites, & villarum Majores, & alios Officiales noſtros juramento ſubſcripto duximus aſtringendos: cujus ſi ipſi Seneſcalli, Ballivi, & alij Officiales noſtri fuerint transgreſſores, pœnas debitas in bona ipſorum vel, ſi res exigat, in perſonas, noſtræ voluntatis vel deputatorum à nobis arbitrio reſervamus. Si verò Majores, Ballivos, vel Officiales dejerare contigerit in hac parte, à Seneſcallis ſub bonarum teſtimonio perſonarum & cum ipſarum conſilio puniantur.

Iurabant igitur omnes & ſinguli ſupradicti quòd quandiu commiſſam ſibi tenebunt ſeneſcalliam, vel balliviam, præpoſituram, vel aliud quodcunque officium ſupradictum, tam minoribus quàm mediocribus, tam majoribus quàm advenis, tam indigenis quàm ſubjectis, ſine nationum & perſonarum acceptione jus reddent; ſervantes tamen in locis ſuis ſua jura, uſus, & conſuetudines approbatas.

Iurabunt inſuper bona fide jura noſtra requirere & ſervare, & aliorum jura ſcien-

ter non auferre, nec diminuere, nec etiam impedire.

Iurabant etiam donum ſeu munus quodlibet à quacunque perſona per ſe vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, aut rebus aliis quibuſcunque mobilibus vel immobilibus vel ſe moventibus, ſeu beneficiis perſonalibus ſive perpetuis, præter eſculenta & poculenta, quorum valor in una hebdomada ſummam decem ſolidorum Pariſienſium non excedat. Et quòd dicta bona ſeu beneficia dari uxoribus ſuis, liberis, fratribus, ſororibus, nepotibus, neptibus, vel conſanguineis, aut conſimilibus, ſeu domeſticis, minimè procurabunt. Immo bona fide diligentiam adhibebunt ne uxores ſuæ vel alię perſonæ proximò nominatæ dona vel munera recipiant. quòd ſi fecerint, ex quo hoc ſciverint, eos ad reſtituendum bona fide compellent ſub debito juramento.

Iurabunt etiam quòd ab illis de ſua ſeneſcallia vel ballivia, nec ab illis qui cauſam habent coram ipſis, vel ſcient in proximo habituros, mutuum non recipient per ſe vel per alium ultra ſummam viginti librarum, quas reddent à die contracti mutui infra duos menſes, licèt etiam creditores velint ſolutionis terminum prorogare.

Addetur etiam juramento eorum quòd nihil dabunt vel mittent alicui de Conſilio noſtro, vel uxoribus eorundem, liberis, aut domeſticis, vel illis qui compotum eorum recipient, vel illis quos ad viſitandum terram vel facta eorum exquirenda mittemus. Quòd etiam in venditionibus balliviarum vel reddituum aut aliarum rerum noſtrarum partem non habebunt, nec etiam in monetis. Quòd Bajulos infideles, ſeu injurioſos, vel exactores, vel de uſuris ſuſpectos, vel turpem vitam apertè ducentes, in ſuo non ſuſtinebunt errore, immo eorum exceſſus corrigent bona fide.

Iurabunt etiam Præpoſiti noſtri, Vicecomites, Majores villarum, Foreſtarij, & alij ſub eis in officiis conſtituti judices, & locorum Vicarij ſingulorum, quòd nec ſuperioribus ſuis, nec uxoribus eorum, liberis, propinquis, ſive domeſticis quicquam dabunt. Et in fine juramenti concludent ſe univerſa & ſingula ſupradicta ſervare bona fide, niſi illud quod duxerimus relaxandum, nec quicquam per ſe vel per alium in fraudem facere prædictorum.

Vicarios autem quos Seneſcalli vel Ballivi per ſe quandoque ſubſtituent, nolumus ab ipſis inſtitui, niſi priùs ſub forma prædicta præſtiterint juramenta.

Vt verò hæc juramenta firmiùs teneantur

tur & obſerventur, volumus quòd in publica aſſiſia fiant coram Clericis & laïcis ab omnibus & ſingulis ſupradictis, etiamſi antea facta fuerint coram nobis; ut non ſolùm metu divinæ indignationis & noſtræ, ſed etiam confuſionis & erubeſcentiæ apud homines perjurium manifeſtum incurrere vereantur.

Volumus autem & præcipimus quòd Seneſcalli noſtri & alij quicunque ſub ipſis tenentes officium, necnon & omnes qui in dictis balliviis vel ſeneſcalliis vadia noſtra recipiunt, abſtineant ab omni verbo quod vergat in contumeliam & contemptum Dei aut matris ſuæ vel ſanctorum ipſius.

Inhibemus verò diſtrictè Seneſcallis & Ballivis noſtris poſſeſſiones aliquas per ſe vel per alium emere, adminiſtratione ſua durante, in ſeneſcallia vel ballivia ſua, vel fraudulenter in alia ſine noſtra licentia pręcedente. Quòd ſi fecerint, emptionem irritam eſſe, & poſſeſſiones ſic emptas fiſco noſtro, ſi nobis placuerit, volumus applicari.

Prohibentes inſuper Seneſcallis & Ballivis noſtris ne quandiu Seneſcalli vel Ballivi fuerint, ſibi vel ſuis liberis, fratribus aut ſororibus, nepotibus, neptibus, conſanguineis, vel quibuſcunque de ſua familia matrimonia copulent cum perſonis ſuæ ſe-

neſcalliæ aut balliviæ ſuæ ſine noſtro ſpeciali conſenſu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia eccleſiaſtica vel poſſeſſiones eis acquirant.

Giſta etiam vel procurationes in domibus Religioſorum vel circa ad expenſas eorum non recipiant ſine noſtra licentia ſpeciali.

Prohibitionem verò iſtam quam facimus de matrimoniis non copulandis, & poſſeſſionibus non acquirendis, non extendimus ad Præpoſitos, Majores, & alios Officiales minores, qui majorias, præpoſituras, & alia officia tenebunt in locis manſionum ſuarum, dum tamen hæc faciant ſine noſtra vel alterius lęſione.

Seneſcalli autem noſtri & inferiores Ballivi caveant ſibi à multitudine Bedellorum, & quanto paucioribus poterunt ſint contenti ad Curiarum exequenda præcepta, & illos nominent in aſſiſia publica. aliter verò pro Bedellis minimè habeantur. Vbi autem Bedelli vel Servientes ad remota loca mittentur, eis ſine ſuperiorum literis non credatur. Et ſi aliter inventi fuerint facientes executiones, vel mandata, nuntietur Seneſcallo, qui eos puniat competenter.

Ne verò Seneſcalli noſtri vel inferiores Ballivi contra juſtitiam ſubditos noſtros gravent, inhibemus eiſdem ne pro quocun-

Digitized by Google

que debito, præter noſtrum, capiant vel captum detineant aliquem ſubditorum noſtrorum.

Emendas autem pro maleficiis ſeu debitis à Ballivis noſtris levari non volumus, niſi in foro aut judiciario publicè de bonorum conſilio fuerint judicatæ vel æſtimatæ, quamvis antea fuerint gagiatæ. Si tamen ille cui crimen imponitur, Curia ſibi offerente judicium illud non velit expectare, & pecuniam certam offerat pro emenda, & tale ſit crimen de quo emenda pecuniaria recipi conſuevit, liceat Curiæ eam recipere, ſi ſibi competens videatur. Alioquin emendam judicari faciat vel æſtimari ſecundùm quod ſuperiùs eſt expreſſum, licèt reus ſe velit omnino ſubicere Curiæ voluntati. Caveant tamen Seneſcalli, Iudices, & Ballivi, ne minis vel terroribus ſeu machinationibus callidis clam vel palam aliquem ad emendam offerendam inducant, vel ſine cauſa rationabili accuſent.

Eos ſanè qui ballivias noſtras tenuerint, aliis eaſdem revendere prohibemus. Sed ſi plures emptores fuerint, unus tantùm juriſdictionem exerceat, & immunitate gaudeat in cavalcatis, talliis, ſeu collectis, & aliis oneribus publicis, qua alij conſueverunt gaudere. Vendi autem eas filiis, fratribus, nepotibus, aut conſanguineis, ſeu do-

meſticis Ballivorum prohibemus eiſdem. Emptores autem ipſarum præpoſiturarum vel aliarum balliviarum debita propria, ſcilicet quæ debentur eiſdem, ex prępoſituris vel balliviis aliis aut eorum ſociis auctoritate propria non coërceant; ſed per manum Seneſcalli aut ſuperioris Iudicis eas repetant, ſicut ſi præpoſituram vel balliviam non tenerent.

Porrò volentes viam malitiis præcludere, quantum poſſumus, firmiter inhibemus ne Seneſcalli, Ballivi, vel alij Officiales prędicti in cauſis & negotiis quibuſcunque ſubditos noſtros locorum mutatione fatigent ſine cauſa rationabili, ſed ſingulos in locis illis audiant ubi conſueverunt audiri, ne gravati laboribus & expenſis cogantur cedere juri ſuo.

Quia verò nemo ſine cauſa vel culpa privandus eſt jure ſuo, Ballivis noſtris & aliis Officialibus prædictis inhibemus ne deſſaiſiant aliquem ſine cauſæ cognitione vel noſtro ſpeciali mandato. Subditos etiam noſtros novis exactionibus, conſuetudinibus, vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pecuniæ cauſa non mandent, ſed ex cauſa tantummodo neceſſaria. Et tunc volentes perſonalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.

Digitized by Google

Defenſum autem bladi vel vini aut mercium aliarum non extrahendarum de terra ſine cauſa urgente non faciant ; & tunc cum bono & maturo conſilio, nec ſuſpecto; & factum cum conſilio non diſſolvant ; & eo durante nunquam faciant gratiam ſpecialem.

Omnes autem Ballivos noſtros majores & minores finito officio ſuo remanere volumus, vel ſaltem procuratorem ſufficientem dimittere in ipſa ballivia per quadraginta dies, ut de ſe conquerentibus coram illis reſpondeant quibus hoc committetur.

Ceterùm ordinationem factam de Iudæis obſervari diſtrictè præcipimus, quæ talis eſt. Iudæi ceſſent ab uſuris & blaſphemiis ſortilegiis. Et Talemit quàm alij libri, in quibus inveniuntur blaſphemiæ, comburantur. Et Iudæi qui hoc ſervare noluerint, expellantur, & tranſgreſſores legitimè puniantur. Et vivant omnes Iudæi ex laboribus manuum ſuarum, vel de negociationibus ſine terminis & uſuris.

Præterea prohibemus diſtrictiùs quòd nullus omnino ad taxillos ludat, ſive aleis, ſive ſcàcis. Scholas etiam deciorum prohibemus & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas diſtrictiùs puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.

Nullus præterea recipiatur ad moram

in tabernis faciendam, niſi ut tranſiens vel viator, vel in ipſa villa non habeat aliquam manſionem.

Expellantur autem publicæ meretrices tam de campis quàm de villis; & factis monitionibus ſive prohibitionibus, bona earum per locorum judices capiantur, vel auctoritate à quolibet occupentur, etiam uſque ad tunicam vel pecium. Si quis verò publicæ meretrici ſcienter domum locaverit, quantum valet penſio domus uno anno, Ballivo loci vel Iudici ſolvere teneatur.

Prçterea Statutum à nobis de conſilio Baronum noſtrorum apud Melledunum editum obſervari præcipimus firmiter & teneri. Videlicet quòd nullum debitum haberi faciant Barones, Ballivi, vel aliæ quæcunque perſonæ Iudæis, nec aliquis in toto regno noſtro Iudæum retineat alterius dominij, nec impediat quò minùs Iudæum ſuum poſſit capere tanquam proprium ſervum, quantumcunque ſub alterius dominio fecerit ipſe moram.

De Chriſtianis verò, ſicut in eodem Statuto continetur, prohibemus diſtrictè quòd nullas uſuras haberi faciant Barones, Ballivi noſtri, vel aliæ quçcunque perſonæ Iudæis. Vſuras autem intelligimus quicquid eſt ultra ſortem.

Iſtud autem Statutum factum Melledu-

Digitized by Google

num volumus quòd Ballivi noſtri obſervent & faciant obſervari tam in terra noſtra quàm in terra Baronum vel aliorum, ſi defuerint, poſtquam ſufficienter fuerint requiſiti.

Inhibemus autem ne aliquis in terra noſtra capiat aliquem equum contra voluntatem illius cujus equus erit, niſi ſit pro proprio negotio noſtro. Et tunc per Ballivos, Seneſcallos noſtros, aut eos qui loco eorum erunt, de equis conductitiis capiatur. Et ſi equi conductitij ſufficere nequeant pro noſtro ſervitio faciendo, Seneſcalli, Ballivi, vel alij qui loco ipſorum erunt, non capiant equos mercatorum, tranſeuntium, vel pauperum, ſed divitum tantùm, ſi ſufficere poſſint ad noſtrum ſervitium proprium faciendum.

Inhibemus etiam ne pro ſervitio noſtro vel alio capiantur equi perſonarum eccleſiaſticarum, niſi de noſtro ſpeciali mandato. Nec capiant Seneſcalli, aut ei qui loco ipſorum erunt, equos pluſquam nobis fuerit opus. Illos etiam quos ceperint, pro pecunia non relaxent. Hæc autem quæ de equis capiendis diximus volumus obſervari quandiu nobis placuerit. Salvis ſervitiis nobis debitis, & juribus noſtris, ac etiam alienis.

Omnia ergo & ſingula ſupradicta quæ

Digitized by Google

ad prȩſens pro ſubditorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis plenitudine poteſtatis regiæ declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi, vel minuendi, à Ballivis noſtris & ſubditis diſtrictè volumus obſervari.

Datum Pariſius anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, menſe Decembri.

STATVTA DOMINI GVIDONIS Dei gratia Archiepiſcopi Narbonenſis.

I. EXCOMMUNICAMUS omnes illos qui ſanctimonialem quamcunque corruperint, & ſollicitudinem per ſe vel per interpoſitam perſonam dederint.

II. Item omnes Clericos civitatis vel dioceſis Narbonenſis conſtitutos in ſacris, vel curam animarum habentes, qui bajuliam perſonæ ſecularis tenuerint vel emerint, vel judicaturam ejus tenuerint, ab officio & beneficio ſuſpendimus. Et ſi qui nunc alteram earum tenent, niſi eam reliquerint infra...... poſtquam in Eccleſiis hæc ſententia fuerit publicata, eadem ſuſpenſione teneantur aſtricti.

III. Item præcipimus quòd univerſi Sacerdotes, qui curam à nobis vel locum noſtrum in ſpiritualibus obtinentibus, no-

Digitized by Google

ſtríſve prædeceſſoribus, aut eorum vices in hac parte gerentibus, minimè receperunt, ſacramenta eccleſiaſtica parrochianis hujus dioceſis non miniſtrent. Sed nec illi qui curam habent parrochiæ alicujus, in aliena parrochia, etiam ſi fuerint invitati, ea miniſtrare præſumant; niſi neceſſitas tam urgens in hoc ultimo caſu emerſerit, quòd tolerabile videatur alterutrum alterius onera ſupportare. Quo caſu, auctoritate noſtra ille qui fuerit invitatus poſſit neceſſitati hujuſmodi ſubvenire in parrochia aliena. Hujus autem pręcepti noſtri quemlibet tranſgreſſorem, poſtquam per Eccleſias fuerit publicatum, ab officio & beneficio ſuſpendimus. Et ſi in ſuſpenſione per menſem perſtiterit, extunc excommunicamus eundem.

IV. Item pręcipimus univerſis Sacerdotibus parrochialibus, quòd per tres dies dominicas ſucceſſivè moneant parrochianos ſuos ut in diebus dominicis & feſtivitatibus beatæ Virginis & Apoſtolorum & ſancti Iohannis Baptiſtæ & aliis præcipuis ſolemnitatibus opera ſervilia non exerceant, nec ligna, bladum, vel fœnum, vel paleas, aut alias res venales, exceptis his quæ eſum illius diei pertinebunt, transferre ſeu juxta vulgare quod dicitur carrejare non præſumant. Et poſt dictas tres monitiones,

Digitized by Google

tiones, omnes qui ex tunc contra fecerint, nominatim denuntientur interdicti. Nos enim eos interdicimus qui ſpretis dictis monitionibus feſtivitates prædictas dictis modis violare præſumpſerint. Et ſi eorum creverit contumacia, eoſdem anathematizare proponimus, & invocare contra ipſos, ſi opus fuerit, brachium ſeculare.

V. Mercata etiam teneri in diebus dominicis inhibemus, niſi in nundinas ſolemnes inciderint. Et qui trina monitione præmiſſa non ceſſaverint ab eiſdem, ſimili per omnia coherceantur cenſura.

VI. Si verò Iudæi illud præſumpſerint, poſtquam hoc mandatum noſtrum fuerit publicatum, denuntietur Ballivo loci. Et niſi ter monitus eoſdem Iudæos ceſſare compulerit, excommunicationis ſententia, quam nunc ferimus in rebelles, denuntietur publicè innodatus.

CONCILIUM BITERRENSE Habitum anno MCCLXXIX.

NOTUM ſit cunctis quòd anno Domini milleſimo CCLXXVIIII. in craſtinum feſti Inventionis ſanctæ Crucis, fuit celebratum Concilium apud Biterrim per Reverendos Patres Dominos Petrum

F

Dei gratia Archiepiſcopum Narbonenſem, Pontium Biterrenſem, Bertrandum Toloſanenſem, Berengarium Magalonenſem, Bertrandum Elnenſem, Petrum Agathenſem, Petrum Nemauſenſem, & Galterum Carcaſſonenſem eadem gratia Epiſcopos. Qui Domini Epiſcopi, & etiam Lodovenſis & Vticenſis, vocati fuerunt per litteras ipſius Domini Archiepiſcopi, quarum tenor noſcitur eſſe talis.

PETRUS miſeratione divina ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, venerabilibus in Chriſto fratribus Dei gratia Biterrenſi, Magalonenſi, Lodovenſi, Vticenſi, Agathenſi, & Nemauſenſi Epiſcopis, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cùm ſuper magnis & arduis negotiis antiquis, & etiam de novo emergentibus, quæ communem tangunt ſtatum Eccleſiarum provinciæ Narbonenſis, vobiſcum & aliis fratribus noſtris ſuffraganeis habeamus loqui pariter & tractare, fraternitatem veſtram rogandam duximus, tenore præſentium vobis nihilominus mandantes, quatenus in craſtinum poſt inſtans feſtum Inventionis ſanctæ Crucis, aliis prætermiſſis negotiis, apud Biterrim nobiſcum perſonaliter interſitis, ut vobiſcum tractemus in præmiſſis quod honori & utilitati communi Eccleſiarum ipſius provinciæ expediens

viderimus, & Dominus miniſtrabit. Datum Montillis XVI. Kal. Maij, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono.

Sub eadem forma ivit littera ad Dominos Toloſanenſem, Elnenſem, & Carcaſſonenſem Epiſcopos.

LITTERÆ PETRI ARCHIEPISCOPI Narbonenſis, de rebus geſtis in Concilio Biterrenſi anno MCCLXXIX.

PETRUS miſeratione divina ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, diſcretis & religioſis viris Abbatibus, Prioribus conventualibus, Capitulis, & Conventibus, tam ſecularibus, quàm regularibus, per civitatem, dioceſim, & provinciam Narbonenſem conſtitutis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm in Concilio apud Biterrim per nos ac venerabiles fratres noſtros Epiſcopos provinciæ Narbonenſis, ad cujus convocationem veſtris credimns non modicum pepercisse laboribus & expenſis, ordinatum extiterit ut nos unà cum venerabili fratre noſtro Epiſcopo Toloſano ad inſtans Parlamentum debeamus in Franciam perſonaliter proficiſci, conſtitutíque ſint in ipſo Concilio

procuratores qui in ipſo Parlamento comparere debeant pro provincia Narbonenſi ſuper antiquis & de novo novitatibus aliquibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeudis, alodiis, & exercitu, & gravaminibus illatis, & quæ cotidie inferuntur, quæ communem tangunt ſtatum Eccleſiarum & monaſteriorum ejuſdem provinciæ, libertates, immunitates, & privilegia oſtenſuri, prout in ipſo procuratorio videbitis pleniùs contineri; univerſitatem veſtram requirendam tenore præſentium ducimus & rogandam, quatinus in procuratorio quod vobis per latorem præſentium mittimus, veſtrum quilibet ſigillum ſuum apponat. Datum Biterris III. Nonas Maij, anno Domini milleſimo CCLXX. nono.

CONCILIUM BITERRENSE Habitum anno MCCLXXX.

Litteræ Bernardi Epiſcopi Helenenſis ad Petrum Narbonenſem Archiepiſcopum, Metropolitanum ſuum, quibus ſe excuſat quòd in Biterrenſi Concilio præſentiam ſuam exhibere non poteſt, & vicariam perſonam pro ſe mittit.

VENERABILI in Chriſto Patri ac Domino P. Dei gratia ſanctæ Nar-

Digitized by Google

bonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Bernardus Sala miſeratione divina Elnenſis Epiſcopus, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem, cum omnimoda reverentia & honore. Paternitatis ac dominationis veſtræ recepimus litteras reverenter, in quibus nobis preces & mandatum nihilominus direxiſtis, ut dominica die proxima, qua cantabitur *Lætare Hieruſalem*, aliis prætermiſſis negotiis apud Biterrim perſonaliter veniremus, ſuper nonnullis magnis & arduis negotiis communem Eccleſiarum Narbonenſis provinciæ ſtatum tangentibus vobiſcum ceteriſque fratribus ſuffraganeis ac Prælatis aliis ipſius provinciæ loquuturi, ac etiam tractaturi quod honori & utilitati communi Eccleſiarum Narbonenſis provinciæ expediens viſum fuerit, & Dominus miniſtrabit. Verùm quia dicta die & loco, propter ſolitam & frequentem infirmitatem gutæ quam patimur, de quo piget nos, ad præſentiam veſtram accedere non valemus, diſcretum ac venerabilem virum Berengarium de Palma Canonicum Elnenſem & Sacriſtam Eccleſiæ Perpiniani, dilectum noſtrum, hujus procuratorij exhibitorem, dominationi veſtræ duximus deſtinandum; quem certum ac ſpecialem procuratorem noſtrum facimus, conſtituimus, ac etiam ordinamus ad loquen-

Digitized by Google

dum & tractandum unà vobiſcum ceteriſque Epiſcopis ſuffraganeis ac aliis Prælatis Narbonenſis provinciæ omnia negotia communem Narbonenſis provinciæ ſtatum tangentia, in agendis tractaturum & ordinaturum quod honori & utilitati communi Eccleſiarum ipſius provinciæ expediens videbitur, & Dominus miniſtrabit; ratum & firmum perpetuò habituri quicquid per dictum procuratorem noſtrum unà vobiſcum ceteriſque Epiſcopis ſuffraganeis ac aliis Prælatis Narbonenſis provinciæ in agendis ſuper præmiſſis tractatum fuerit & etiam ordinatum. In cujus rei perpetuam firmitatem, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine voluimus roborari. Datum Elnæ decimotertio Kalendas Aprilis, anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo.

LITTERÆ CAPITULI HELENENSIS ad eundem Archiepiſcopum, quibus ſignificat mittere ſe procuratorem ad Concilium.

PATEAT univerſis quòd nos Capitulum Elnenſe conſtituimus, facimus, & ordinamus certum & ſpecialem procuratorem noſtrum Raymundum Olivarij Canonicum Elnenſem ad comparendum coram venerabili Patre in Chriſto Domino

Petro divina providentia ſacroſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo apud Biterrim in Concilio provinciali in inſtanti dominica, qua cantabitur *Lætare Ieruſalem*, inibi celebrando, & ad audiendum tractatus ſuper negotiis univerſalem ſtatum totius Narbonenſis provinciæ tangentibus, & ad faciendum ſuper prædictis prout memorato Concilio expedire viſum fuerit, & Dominus miniſtrabit; ratum & firmum perpetuò habituri quicquid ſuper præmiſſis per eundem procuratorem fuerit procuratum. Et ad majorem horum firmitatem, pręſentes noſtri ſigilli munimine duximus roborandas. Datum Elnæ duodecimo Kal. Aprilis, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo.

CONCILIVM BITERRENSE Habitum anno MCCXCIX.

Litteræ Epiſcoporum ac Prælatorum qui Concilio Biterrenſi interfuerunt, ad Philippum IV. Francorum Regem, pro Archiepiſcopo Narbonenſi, adversùs Vicecomitem ejuſdem urbis.

EXCELLENTISSIMO Principi Domino ſuo Domino Philippo Dei gratia Regi Francorum illuſtri, miſeratione divina

Digitized by Google

B. Biterrenſis, B. Nemauſenſis, G. Magalonenſis, R. Elnenſis, B. Appamienſis, R. Agatenſis, & I. Lodovenſis Epiſcopi, A. Craſſenſis, R. ſancti Poncij Thomeriarum, G. ſancti Guillelmi de Deſerto, G. Iucellenſis, & ceteri Abbates, aliique Prælati, & Epiſcoporum ac Prælatorum abſentium & Capitulorum provinciæ Narbonenſis procuratores, in provinciali Concilio congregati Biterris, ſui humiles & devoti, cum ſalute proſpera vitam longam. Cùm capite langueſcente membra dolere non immeritò compellantur, matri noſtræ Eccleſiæ Narbonenſi cogimur condolere, & in ejuſdem infirmitatibus infirmari. Sanè cùm Vicecomites Narbonenſes longiſſimis temporibus tenuerint ab Archiepiſcopo Narbonenſi quidquid in burgo & in media parte civitatis Narbonenſis & eorum pertinenciis obtinebant, & pater Vicecomitis qui nunc eſt, ipſo præſente atque ſciente homagium fecerit & fidelitatem juraverit Archiepiſcopo tunc præſenti, prædeceſſoréſque ſui prædeceſſoribus Archiepiſcopi memorati continuè & ſucceſſivè, ferè etiam centum annis, ſicut notorium fore dinoſcitur apud omnes regionis iſtius, extantibus de iis ſufficientibus documentis, & quod plus eſt, prædeceſſorum veſtrorum privilegiis, & Vicecomes

qui nunc eſt, non bono ductus ſpiritu, feudum dictum, ut audivimus, veſtræ regiæ recognoverit majeſtati, temerè veniens contra fidelitatem & juramenta prædeceſſorum ſuorum, ad quorum obſervationem poteſt & debet per Eccleſiam coartari, & contra confeſſionem propriam in veſtra Curia regiſtratam; ac iis etiam non contentus, benignitatem regiam ſeducendo, de facto procuraverit veſtras litteras regias ſibi dari, per quas peccandi datur ſibi immunitas, & ſine pœna deadvoandi facultas feudum ſupradictum, quod tolerabile non exiſtit, per quas etiam in veſtri præjudicium diſſolvere eſt conatus conventiones dudum contractas inter prædeceſſores veſtros & Archiepiſcopi memorati ſuper commiſſione dicti feudi inter Reges Franciæ & Narbonenſem Eccleſiam certis portionibus dividenda, & per conſequens à fidelitate quam vobis præſtitit, ſubtrahere Eccleſiam Narbonenſem; nos omnes & ſinguli, qui patimur in paſſione & anxiamur in doloribus & damnificamur in damnis dictæ Eccleſiæ matris noſtræ, ad vos ſicut ad noſtrum pium & juſtum Principem recurrentes, ſolemnes nuntios noſtros venerabilem in Chriſto Patrem B. Dei gratia Epiſcopum Biterrenſem, & religioſos viros B. Abbatem ſancti Papuli, & I. Cano-

Digitized by Google

nicum ac Veſtiarium Magalonenſem, ad veſtræ celſitudinis præſentiam mittimus pro præmiſſis; ſuppliciter implorantes ut eiſdem, vel illi ex ipſis qui præſens fuerit coram vobis, audientiam benignam fidémque indubitatam præbere dignemini, eoſdem, ſi placet, immo veriùs nos in perſonis eorum ad exauditionis gratiam admittentes. Moveant vos, Rex clementiſſime, ad præmiſſa fidelitas quam dicta mater noſtra & omnes Eccleſiæ provinciæ Narbonenſis ſemper ad domum regiam habuerunt, labores & ſumptus quos ſuſtinuerunt pro ea, & fructus uberes qui ex dictis laboribus percipiuntur cotidie, ac percipientur in ævum Domino concedente: ut qualiter aliqui regionum noſtrarum ad dictam domum regiam & ad totius Eccleſias provinciæ Narbonenſis ſe habuerint temporibus retroactis, taceamus ad præſens, cùm hæc credamus regiam magnificentiam non latere. Adaugeat, ut oramus quotidie, Dominus Ieſus Chriſtus vobis, conſorti veſtræ, & liberis ſalutem & vitam, & proſperum faciat ſtatum regni. Datum Biterris in dicto Concilio quarto Kal. Novembris, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono.

* *

CONCILIUM BITERRENSE Habitum anno MCCCLI.

Litteræ Petri Archiepiſcopi Narbonenſis ad Hugonem electum Epiſcopum Biterrenſem, ſuffraganeum ſuum; quibus eum invitat ad Concilium quod in urbe Biterrenſi celebraturus erat VII. die menſis Novembris anni MCCCLI.

PETRUS Dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, venerabili fratri Hugoni eadem gratia electo Epiſcopo Biterrenſi, ſuffraganeo noſtro, vel ejus Vicario generali in ejus abſentia, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Inter aſſiduas curas & ſollicitudines quæ miniſterio noſtro incumbunt, de ſalubri ſtatu Eccleſiarum noſtrarum civitatis & dioceſis ac provinciæ necnon & gregis nobis commiſſi ſollicitè nos cogitare convenit, ut in ipſis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, paciſque, ſalutis, ac libertatis gratia nutriatur, & quæ in eiſdem non abſque diſpendio miniſtrorum & cultus detrimento divini ſervari novimus, per appoſitionem congrui moderaminis in melius reformemus, & tandem officij noſtri debitum in actibus dirigendis,

Digitized by Google

veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodoſæ difficultatis involucrum hanelamus; & illam ſemper in noſtris ordinationibus ſervari cautelam intendimus, ut de ipſis proveniat commodum, adeo quòd aliis non immineat detrimentum. Cùm igitur pro quibuſdam arduis negotiis civitatem & diocеſim ac provinciam noſtras necnon & libertatem eccleſiaſticam tangentibus, ſuper quibus ad debitam proviſionem & reformationem unà vobiſcum & aliis ſuffraganeis noſtris intendimus concedente Altiſſimo interponere ſollicitudinis noſtræ partes, præſertim cùm tangatur communiter ſtatus Eccleſiarum civitatis & dioceſis ac provinciæ prædictarum, provinciale Concilium ordinavimus convocandum, videlicet die VII. Novembris, Biterris in veſtra Eccleſia cathedrali; eapropter vos tenore præſentium monemus ac etiam exhortamur ut unà nobiſcum die & loco prædictis in dicto provinciali Concilio Deo præſide celebrando, ad quod Concilium præfatos diem & locum cum diebus ſequentibus quos ad hoc continuare vel prorogare contingerit, vobis & aliis peremptoriè aſſignamus, perſonaliter comparere curetis, vóſque ad id præſentium tenore citamus. Mandantes vobis inſuper quatinus interim citetis & peremptoriè au-

Digitized by Google

ctoritate noſtra & tempore congruo omnes & ſingulos Abbates, Præpoſitos, Decanos, & Priores Eccleſiarum collegiatarum & alias perſonas eccleſiaſticas regulares & ſeculares non exemptas, quæ debent & conſueverunt in dictis Conciliis intereſſe de uſu, conſuetudine, vel de jure; exemptos verò, ſi qui ſunt, exhortantes, ut perſonaliter, Conventus verò & Capitula & Collegia veſtræ civitatis & dioceſis per procuratores idoneos ad hoc ſpecialiter conſtitutos cum ſufficienti mandato, in ipſo provinciali Concilio compareant dicta die, inibi continuè moraturi, donec ea quæ in dicto Concilio tractanda fuerint ad honorem Dei, proviſionem Eccleſiarum, profectum animarum, & utilitatem ſubditorum provinciæ antedictæ, per dicti Concilij providentiam finem debitum ſortiantur. Ne verò dicti ſubditi veſtri, quos præſens tangit vel tangere poteſt negocium, ignorantiæ cauſam poſſint prætendere, de præmiſſis præſentes litteras in veſtra ſynodo, quam interim tenebitis, eiſdem publicare & denuntiare curetis. Vt autem ſuperfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præſentium inhibemus, ſub virtute ſanctę obedientię injungentes, ne ultra decem equitaturas & duos ſaumerios ſive gerulos pro vobis &

veſtra familia adducatis, cùm ad dict. provinciale Concilium venietis; Abbatibus veſtrę diœceſis ex parte noſtra nihilominus injungentes quòd ultra quinque equitaturas ad longius & unum ſaumerium ſeu gerulum ſecum adducere non præſumant; ſi vos & Abbates prædicti reprehenſionis noſtræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddite litteras portitori earum ſigillo veſtro impendente ſigillatas in ſignum receptionis earundem. Datum in caſtro noſtro de Montillis noſtræ diœceſis die antepenultima menſis Septembris, anno Domini MCCCL. primo.

Ejuſdem Archiepiſcopi epiſtola ad Arnaldum Epiſcopum Magalonenſem, pro eadem cauſa.

PETRUS Dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, vener. fr. A. eadem gratia Epiſcopo Magalonenſi &c. *Omnia ut in ſuperiore, niſi quòd pro* Biterris in veſtra Eccleſia cathedrali, *quod habetur in epiſtola ad Electum Biterrenſem, in iſta legitur*, Biterris in Eccleſia cathedrali. Datum ut ſuprà.

Alia ejuſdem Archiepiſcopi epiſtola ad Præpoſitum & Capitulum Magalonenſe, pro eadem cauſa.

PETRUS &c. prudentibus viris Præpoſito & Capitulo Magalonenſi, ſalutem in ſalutis auctore. Perſpicaciùs attendentes quòd correctioni & reformationi eccleſiaſticæ diſciplinæ dare remedium præſentis vitę habet ſubſidium, & æternę remunerationis cernitur præmium expectare, & quòd hujus vitæ novitas negligit quæ ab antiquis patribus fuerant hactenus providè & conſultè conſtituta, niſi frequentiùs memoriæ reducantur, nóſque, qui, licèt indigni, ad paſtoralis officium providente Altiſſimo fuimus aſſumpti, ſanctorum patrum veſtigia debeamus, quantum nobis eſt poſſibile, imitari, contra quorum quippe ſaluberrimè inſtituta agimus, ſi quod ipſi divino ſtatuerunt conſilio non ſervamus intactum; idcirco juxta ſanctorum patrum ordinationes, pro correctione & emendatione miniſtrorum ac reformatione ſtatus Eccleſiarum noſtrarum civitatis, dioceſis, & provinciæ Narbonenſis, provinciale Concilium Biterris in Eccleſia cathedrali die ſeptima menſis Novembris proximè ventura ordinavimus convocandum. Quamobrem conſiderantes quòd il-

lud quod quæritur à pluribus, faciliùs invenitur, & quòd ubi multa conſilia, magna ſalus, teſtimonio Sapientis dicentis illud firmius judicium quod plurimorum ſententia comprobatur; ideo vos in Domino exhortamur quatenus vos Præpoſite perſonaliter, & Capitulum per procuratorem idoneum & ſufficienter inſtructum ad hoc ſpecialiter deputatum, dictis die & loco cum aliis diebus ſequentibus qui ad hoc fuerint opportuni, in dicto Concilio comparere & intereſſe curetis, circa ea quæ tractaturi & ordinaturi ſumus unà vobiſcum ſuper ſtatu Eccleſiarum dictarum noſtrarum civitatis, diocesis, & provinciæ partes veſtri miniſterij impenſuri; & hoc cum paucis equitaturis & moderatis expenſis, ſi noſtræ reprehenſionis aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddite litteras portitori earum ſigillis veſtris impendentibus ſigillatas in ſignum receptionis earundem. Datum ut ſuprà.

Epiſtola ejuſdem Archiepiſcopi ad reliquos ſuffraganeos & Capitula Provinciæ Narbonenſis.

PETRUS &c. vener. fr. Giſberto eadem gratia Epiſcopo Carcaſſonenſi &c. *ut in ſuperioribus.* Datum ut ſuprà.

Petrus

PETRUS &c. ven. fr. Iohanni eadem gratia Nemauſenſi Epiſcopo &c. *ut in epiſtola ad Epiſcopum Magalonenſem.* Datum ut ſuprà.

P. Dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ven. fr. G. eadem gratia Epiſcopo Electenſi &c. *ut in ſuperiore.*

PETRUS &c. prudentibus & providis viris Priori & Capitulo Electenſi &c. *ut in epiſtola ad Capitulum Magalonenſe.*

PETRUS &c. prudentibus viris Priori & Capitulo ſancti Poncij Thomeriarum &c. *ut in ſuperiore.*

PETRUS &c. ven. fr. Stephano eadem gratia Epiſcopo Elnenſi &c. *ut in epiſtola ad Epiſcopum Magalonenſem.* Datum ut ſuprà.

PETRUS &c prudentibus viris Archidiacono & Capitulo Elnenſi &c. *ut in epiſtola ad Capitulum Magalonenſe.*

PETRUS &c. ven. fr. Heliæ eadem gratia Epiſcopo Vticenſi &c. *ut in epiſtola ad Epiſcopum Magalonenſem.*

PETRUS &c. prudentibus viris Præpoſito & Capitulo Vticenſi &c. *ut ad Capitulum Magalonenſe.* Datum ut ſuprà.

PETRUS &c. prudentibus viris Archidiacono & Capitulo Lodovenſi &c. *ut in ſuperiore.* Datum ut ſuprà.

PETRUS &c. dilecto nobis in Chriſto

Digitized by Google

Archipreſbytero Narboneſij, vel ejus locum tenenti, ſalutem in ſalutis auctore &c. *ut in epiſtola ad Electum Biterrenſem uſque ad verbum* tangentibus, ſuper quibus ad debitam proviſionem & reformationem unà cum ſuffraganeis, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Capitulis, Prioribus, & aliis perſonis eccleſiaſticis dictarum civitatis & dioceſis ac provincię noſtris intendamus concedente Altiſſimo &c. *ut in epiſtola ad Electum Biterrenſem, uſque ad verbum* Biterris in Eccleſia cathedrali. Eapropter vobis præcipimus & mandamus, diſtrictiùs injungentes, quatinus citetis & peremptoriè auctoritate noſtra & tempore congruo omnes & ſingulos Abbates, Præpoſitos, Decanos, & Priores Eccleſiarum collegiatarum & Conventuum & alias perſonas eccleſiaſticas regulares & ſeculares non exemptas, quę debent & conſueverunt in dictis Conciliis intereſſe de uſu, conſuetudine, vel de jure; exemptos verò, ſi qui ſint, exhortantes ut perſonaliter, Conventus verò & Capitula & Collegia veſtri archipreſbyteratus per procuratores idoneos ad hoc ſpecialiter conſtitutos cum ſufficienti mandato &c. *ut in epiſtola ad Electum Biterrenſem, uſque ad verbum* profectum animarum & utilitatem ſubditorum civitatis, dioceſis, & provinciæ antedictarum per di-

Digitized by Google

ctum Concilium provinciale finem debitum ſortiantur. Vt autem ſuperfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præſentium præcipimus & mandamus quatinus Abbates dicti archipreſbyteratus veſtri ex parte noſtra inhibeatis ne ultra quinque equitaturas ad longius & unum ſaumerium pro ſe & familia ſua ſecum adducere præſumant, ſi reprehenſionis noſtræ aculeos de inobedientia voluerint evitare. Certificantes nos per veſtras litteras apertas de citatione & reſponſione prædictorum citatorum. Præſentes litteras nihilominus reſtituentes portitori earum ſigillo veſtro impendente ſigillatas in ſignum receptionis earundem. Datum ut ſuprà.

PETRUS &c. dilecto nobis in Chriſto Archipreſbytero Redeſii inferioris, vel ejus locum tenenti, ſalutem in ſalutis auctore. Inter aſſiduas curas &c. *ut in epiſtola ad Archipresbyterum Narboneſij*. Datum ut ſuprà.

LITTERÆ PETRI ARCHIEPISCOPI Narbonenſis Epiſcoporúmque totius Concilij Biterrenſis, quibus teſtantur controverſiam de prærogativa ſedis prætenſa ab Epiſcopo Carcaſſonenſi motam fuiſſe in Concilio Biterrenſi, judicium verò cauſæ in aliud tempus dilatum fuiſſe ſine præjudicio juris ejuſdem Epiſcopi Carcaſſonenſis.

NOVERINT univerſi præſentes litteras inſpecturi quòd cùm nos Petrus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus celebremus Biterris noſtrum provinciale Concilium anno Domini milleſimo CCCL. primo, die VII. Novembris, cum diebus ſequentibus opportunis, ſuborta quæſtione inter venerabilem fratrem noſtrum Dominum Girbertum Epiſcopum Carcaſſonenſem ex una parte & alios venerabiles fratres noſtros coëpiſcopos præſentes in dicto Concilio exiſtentes, ſuper prioritate ſedendi, ex altera, dicente dicto Epiſcopo Carcaſſonenſi ſe debere ſedere à parte ſiniſtra primò & immediatè poſt ſedem noſtram, poſito quòd alij eſſent antiquiores Epiſcopi promotionis prioritate attenta; aliis dicentibus in dicta prioritate ſedis dictum Carcaſſonenſem Epiſcopum nul-

lam ſedis habere, ſed ſecundùm prioritatem promotionis dictum Epiſcopum ſedere debere, prout aliis competit & de jure communi exiſtit; tandem pro bono pacis & concordiæ duximus ordinandum quòd dictus Carcaſſonenſis Epiſcopus ſedeat in parte prædicta poſt venerabilem fratrem noſtrum Magalonenſem Epiſcopum, qui antiquior eſt in promotione præfato Carcaſſonenſi Epiſcopo. Hoc ſalvo & retento, quòd per hoc nullum præjudicium dicto Carcaſſonenſi Epiſcopo generetur, ſi probare vel docere legitimè poterit infra annum per teſtes vel inſtrumenta vel privilegia vel quævis alia legitima documenta ſe debere habere prærogativam prædictam. Qui dictus Carcaſſonenſis Epiſcopus proteſtatus fuit ibidem quòd ſedendo in dicta ſede poſt dictum Dominum Magalonenſem Epiſcopum, quòd juri ſuo in poſſeſſione vel quaſi ſeu proprietate præjudicare non intendit quantum ad prærogativam ſedendi prædictam, ſi appareat in futurum ipſum dictam prærogativam nomine ſuo & Eccleſię Carcaſſonenſis habere debere. Quibus ſalvitatibus & retentionibus per nos factis, & proteſtationibus per dictum Epiſcopum dictis, præfati venerabiles fratres noſtri, ſcilicet Magalonenſis, Agathenſis, Vticenſis, Nemauſen-

Digitized by Google

ſis Epiſcopi, dum tamen infra annum legitimè de univerſis appareat, conſenſerunt. Et in teſtimonium præmiſſorum nos dictus Archiepiſcopus & præfati ſuffraganei noſtri ſuperiùs memorati ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda. Datum Biterris anno quo ſuprà, & die IX. Novembris.

CANONES.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, patris & filij & ſpiritus ſancti. Amen. Infraſcriptæ conſtitutiones fuerunt factæ & editæ per Reverendiſſimum Patrem in Chriſto Dominum Petrum Dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Eccleſiæ Narbonenſis Archiepiſcopum, Biterris, ſuo ſacro provinciali Concilio approbante.

PASTORALIS curæ noſtris humeris & animis inhærentis ſollicitudo nos aſſiduè excitat & ammonet ut juxta nobis creditæ diſpenſationis officium ſubditorum commodis vigilanti & indefeſſo animo intendamus. Amplectimur ſiquidem plerunque meditationis ſtudium & laborem, ut evulſis & diſſipatis vitiis, ædificatis & plantatis virtutibus, exceſſibus emendatis, & moribus reformatis, eorundem animas, quantum divina gratia permittit, lucrum Domino fa-

ciamus. Ideóque nos Petrus miſeratione divina ſanctę Narbonenſis Eccleſię Archiepiſcopus, & P. Agathenſis, Arnaldus Magalonenſis, Helias Vticenſis, Girbertus Carcaſſonenſis, & Iohannes Nemauſenſis Epiſcopi, apud Biterrim provinciale Concilium cum procuratoribus aliorum venerabilium Epiſcoporum provinciæ abſentium, & Capitulorum tam noſtrorum quàm ipſorum, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis eccleſiaſticis pluribus dictæ provinciæ vocatis invitatis ad idem Concilium & citatis, celebrantes, conſtitutiones infraſcriptas pro ſubditorum optata ſalute animarum & profectu & quiete eccleſiaſticæ libertatis, de ejuſdem totius Concilij conſilio unanimi & conſenſu, ad honorem, laudem, & gloriam divini nominis duximus promulgandas, quas & contenta in eis per omnes noſtros ſubditos teneri volumus irrefragabiliter & ſervari; proteſtantes quòd per ipſas conſtitutiones vel ipſarum aliquam ſtatutis provincialibus vel ſynodalibus ſeu Eccleſiarum cathedralium vel collegiatarum rationabiliter editis in noſtra provincia derogare non intendimus, niſi in quantum dictis noſtris ſtatutis infraſcriptis reperirentur per contrarietatem vel aliàs obviare, nec privilegiis nobis indultis in aliquo derogare. Volentes nihilo-

minus quòd eadem ſtatuta non ligent aliquem vel aſtringant, donec in proximis ſynodis epiſcopalibus fuerint publicata. Adicientes quòd in caſibus ubi abſolutio vel relaxatio non reperiretur in ordinatione præſentis Concilij reſervata, ſinguli Epiſcopi ſubditis pro ſuæ diſcretionis arbitrio per ſe vel alios poſſint à ſententiis in iſtis noſtris conſtitutionibus latis abſolutionis vel relaxationis beneficium impertiri.

I. In primis, cùm felicis recordationis Dominus Gregorius Papa X. per ſacrum conſtitutionis oraculum invitaverit quoſlibet Chriſtiani nominis charactere inſignitos, ut nomen illud quod eſt ſuper omne nomen, videlicet Domini Ieſu, exhibitione reverentię ſpecialis attollerent, & præcipuè dum aguntur ſacra myſteria, illos quandocunque decenter veneratione dignum devota capite inclinatione monſtrarent; nos de noſtrorum ſalute ſolliciti ſubditorum, volumus ut ſinguli Rectores & Vicarij Eccleſiarum noſtræ provincię ad hoc ipſum faciendum plebes ſibi ſubjectas moneant efficaciter & inducant. Et ut illi id libentiùs faciant, quò uberioris retributionis præmium exinde ſibi ſenſerint proventurum; nos ſinguli in illis glorioſi nominis ſe inclinantibus reverenter, dum divina

dicentur officia, verè tamen pœnitentibus & confeſſis, x. dierum concedimus indulgentiam, perpetuis temporibus, quotiens, ut præfertur, id fecerint, valituram.

II. Si propter Chriſtum reverentiam ſanctis ejus impendere jubemur, dignum eſt ſacrum corpus ejus coli veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius paſſionis memoriam conſecratur. Statuimus igitur quatinus ſinguli Rectores & Vicarij Eccleſiarum noſtræ provinciæ parrochianos ſuos ſalutaribus monitis inducere ſtudeant ſanctiſſimum corpus dominicum, dum Preſbyter ipſum portat in viaticum miniſtrandum ægroto, reverenter aſſocient, ac luminarium adhibitione decenter honorent; illis qui aſſociant de die vel nocte ſine luminaribus x. qui autem cum luminariis vel ſine luminariis mittent per alium de die xx. de nocte xxx. dierum de indulgentia ex conceſſione noſtra, dum tamen confeſſi fuerint, habituris.

III. Item cùm ſecundùm ſacræ Scripturæ teſtimonium multùm valeat deprecatio juſti aſſidua, eò quòd oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum, ut Pſalmiſta teſtatur; pia deliberatione præſentis Concilij duximus concedendum, quòd quicunque ſubditus noſter, verè tamen pœnitens & confeſſus, devotas ora-

tiones infundere ſeu pia vota emittere curaverit in Miſſarum ſolemniis, ante divinæ majeſtatis conſpectum, à quo bona cuncta procedunt, ut per ſuam ineffabilem clementiam Dominum Papam aut Regem ceteróſve Prælatos noſtræ provincię in ſua pacis gratia conſervare & cuſtodire fidémque catholicam toto orbe terrarum multiplicare dignetur, XL. dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus quotiens id duxerit faciendum.

IV. Sacri fontes, in quibus originale aboletur culpæ contagium per baptiſmalis aquæ viſibile ſacramentum, coli debent digno venerationis honore; ut nec indecentibus contrectationibus pateant, nec extrinſecus advenientium inquinamento ſordeſcant. Statuimus igitur ut parrochialium Eccleſiarum Rectores & Vicarij prædictæ provinciæ, in quibus ſunt fundati fontes hujuſmodi, eos ſic cum clavibus claudi faciant & aptari, & clauſos teneant & aptatos, quòd nullis ſordibus ad illos immineat acceſſus, potiórque reverentia illius quod ibi traditur ſacramenti ſuccreſcat.

V. Item Conciliorum provincialium per prædeceſſores noſtros Narbonenſes Archiepiſcopos eorúmque ſuffraganeos olim ſanctorum veſtigiis inhærentes, & certa in

aliquibus eorundem ſtatuta pro qualitate & conditione temporum, prout nobis melius viſum eſt expediens, temperantes & etiam moderantes, hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus & etiam ordinamus quòd quicunque, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, qui ſcienter & temerè quaſcunque res, bona, poſſeſſiones, & jura mobilia ſeu immobilia aut ſe moventia, quę tamen mobilia ſeu ſe moventia valorem XX. ſolidorum monetæ currentis communi æſtimatione excedant, Eccleſiarum ſecularium ſeu regularium aut quorumcunque religioſorum ſeu piorum locorum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarum, invadere, occupare, rapere, aut perſonas eccleſiaſticas, ſeu eorum domos, quas inhabitant, invadere, ferrare, ſeu violenter expugnare, vel aperire præſumpſerint, niſi infra VI. dies à tempore invaſionis, occupationis, rapinæ, clauſuræ, fracturæ, expugnationis, & aperturę hujuſmodi ſatisfactionem & emendam plenariam fecerit de præmiſſis, ſi perſona ſingularis fuerit, tam ipſa perſona quàm quæcunque alia in præmiſſis dans auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis, ſi verò univerſitas, ex tunc interdicti ſententias auctoritate præſentis Concilij ipſo facto incurrat. Quòd ſi prædicti infra dictos VI. dies ſatisfactionem de præmiſſis

non fecerint competentem; ex tunc nos Ordinarij prædicti, Vicarij, ſeu Officiales noſtri, & noſtrum quilibet in ſua civitate & dioceſi, ubi prædicta attentata fuerint, poſtquam ei conſtiterit de præmiſſis, ubi ea notoria non fuerint, ſuper quo quilibet noſtrum Ordinariorum, Vicariorum & Officialium cognitor & executor legitimus cenſeatur, poteſtatémque habeat cognoſcendi etiam & de plano, abſque ſtrepitu judicij & figura, ubi ex more officio procedatur. Si verò notoria extiterint; procedendo in eis ſicut eſt de jure in notoriis procedendum, denuntiet ſeu faciat excommunicatos publicè nuntiari & etiam interdictos. Et nihilominus ad requeſtam dioceſanorum, Vicariorum vel Officialium ſuorum, in quorum dioceſibus prædicta commiſſa fuerint, ceteri Ordinarij & Officiales dictę provincię Narbonenſis præfatos excommunicatos & interdictos aggravatos, ſi aggravati fuerint, in locis ſuarum civitatum & dioceſum, de quibus requiſiti fuerint, faciant publicè nuntiari.

VI. Item deſiderantes illud præceptum generale Concilij pro animarum ſalute & catholicæ fidei teſtimonio ſalubriter inſtituimus quòd omnis utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis, reverenter recipiat ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſa-

cramenttm, ſic à Chriſti fidelibus ſollicitudini noſtræ commiſſionis efficaciter obſervari quòd nulli quæſitis coloribus & ſimulatis devotionibus, vel aliàs, dum ab aliis quàm à propriis Sacerdotibus recipere velud ſe aſſerunt corpus Chriſti, fraudem convenientes facere canoni, fraudent potiùs ſemetipſos; præſentis deliberatione Concilij ſtatuimus inhibendo quòd Curati civitatum & dioceſum noſtrę provincię nulli parrochiano ſuo, cujuſcunque conditionis vel ſexus exiſtat, in feſto Paſchæ nec in octo diebus immediatè præcedentibus nec VIII. ſubſequentibus concedant licentiam recipiendi nec etiam alicui conferendi ſeu miniſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ, niſi ex cauſa infirmitatis, extra Eccleſias ſuas parrochiales vel alias Eccleſias ubi per ipſos Curatos miniſtrari extitit conſuetum. Si qui autem Curati hujuſmodi ſtatuti fuerint transgreſſores, auctoritate præſentis Concilij excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Prælati autem ſic præſens ſtatutum diligenter obſervent, nec alicui, niſi ex cauſa rationabili, recipiendi ſacramentum prædictum illo tempore alibi quàm in parrochiali Eccleſia licentiam non concedant.

VII. Item cùm deceat viros eccleſiaſticos, præſertim beneficia eccleſiaſtica ob-

Digitized by Google

tinentes, in modo vivendi ſic inter homine exemplariter converſari, ut laïci eorum informentur exemplo, non autem ex Clericorum abuſu corruptis moribus deformentur; exhortamur in Domino omnes Clericos beneficiatos, aut in ſacris ordinibus conſtitutos, quòd ab inde inantea ſemper in diebus Sabbati à carnibus abſtineant, niſi ex cauſa neceſſitatis, vel niſi feſtum Natalis Domini in die Sabbati contigerit evenire.

VIII. Ceterùm abominabilis, proh dolor, ſicut ad noſtrum tam de longinquo quàm è vicino pervenit auditum, in quibuſdam partibus inolere cœpit abuſio. Nam aliqui filij Belial, qni nec Deum timent nec homines reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam: qui dum ſententias vilipendunt, dum medicinam, quæ fuerat ad ſalutem, rejiciunt, mortis incurrerint periculum, & ad interitum ſuæ perverſitatis exemplo nonnunquam inducunt alios & ſeducunt. Iſti ſiquidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris, & ſententię promulgatæ neglectum, non minùs viliter quàm damnabiliter procedere, imó veriùs exſecrabiliter excedere non reformidant; utpote dum adulterini Preſbyteri vel Prælati confingentes officium, ac interdictum ſibi uſurpantes miniſterium,

excommunicationem imò veriùs exſecrationem verſa ſeu perverſa vice in excommunicatores ſeu denuntiatores ſuos ſimulare præſumant, accenſos palearum faſciculos, aut candelas de cepo, aut titiones ardentes in patellis coricis, aut ſertaginibus, vel ſimilibus vituperabiliter extinguendo. Cùm igitur talia & iis ſimilia in Dei vergant opprobrium, & eccleſiaſticæ diſciplinæ redundent contemptum; ſtatuimus & ſub pœna excommunicationis diſtrictiùs inhibemus ne quis Clericus vel laïcus, cujuſcunque ordinis, dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, rem tantæ perniciei de cetero per ſe vel alium aut pro ſe vel alio attentare præſumat. Qui verò hujuſmodi ſaluberrimi ſtatuti tranſgreſſor extiterit, & infra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit, ex tunc ſe ſciat præſentis Concilij auctoritate ipſo facto excomm unicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel ſimilia domino loci ſciente vel mandante vel ratum habente, vel poſtquam requiſitus fuerit vel ejus locum tenens, ultra x. dies corrigere negligente, præſumpta fuerint, eccleſiaſtico tamdiu ſic remaneat ſuppoſitus interdicto, donec ad mandatum Eccleſiæ, quam delinquens offendit, & Prælato, quem irreverenter deſpexit, ſufficiens & idonea

ſatisfactio & realis emenda præſtita fuerit per eundem; quam, cùm in talibus non ſit relaxanda vindicta, offenſus Prælatus minimè remittere valeat ullo caſu. Eiſdem pœnis ſubjacere volumus illos & illas qui vel quæ talia fieri mandaverint, vel aliàs opem vel operam aut conſilium præbuerint, ſi rem tam damnabilem prodire contigerit deteſtabiliter in effectum; addito, quòd eorum poſteri uſque ad ſecundam generationem in Clericorum collegium nullatenus admittantur, niſi priùs per Metropolitanum ....

Reliqua deſunt in codice MS. Eccleſiæ Helenenſis.

CONCILIVM VAVRENSE Habitum anno MCCCLXVIII.

Litteræ Vrbani Papæ V. ad Petrum Archiepiſcopum Narbonenſem, quibus ei præcipit ut provinciæ ſuæ Concilium celebret, in eóque tractet de reformatione morum, cunctáque ad ſe referat.

VRBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sacrorum canonum teſtatur auctoritas quòd olim ſancti Patres, tam Romani

Romani Pontifices, quàm alij Eccleſiarum Prælati, curam ſolertem ſuper gregem dominicum exercentes, de celebrandis Conciliis, in quibus de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus tam in Clero quàm populo, ac de conſervanda libertate eccleſiaſtica, de ſtatu quoque Eccleſiarum & piorum locorum dirigendo ſalubriter agebatur, fuerunt plurimùm ſtudioſi, ex iiſque ſtatus eccleſiaſticus in ſpiritualibus & temporalibus multùm crevit. Sed, proh dolor, ſuccreſcente paulatim Prælatorum deſidia, omiſſáque continuatione Conciliorum hujuſmodi, pullulant vitia, creſcit indevotio populi, præfata libertas minuitur, cultus divinus negligitur, irrogantur à laïcis Clero gravamina, & in temporalibus bonis ad divinum deputatis obſequium ſentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur quòd tantis malis in tua provincia per ſalubrem tuam ac tuorum fratrum providentiam occurratur, fraternitatem tuam apoſtolicæ ſolicitudinis ſtudio excitamus, ac requirimus, & hortamur attentè, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatinus Concilium tuæ provinciæ, in quo de iis quæ pro laude Dei ac utilitate Eccleſiarum & piorum locorum, necnon Cleri & populi, fuerint utilia & opportuna, provida examinatione tractetur & pro-

Digitized by Google

videatur, quàm citò commodè poteris, ſtudeas convocare; nobis de convocatione hujuſmodi, cùm eam feceris, & demum de geſtis in eodem Concilio reſcripturus. ac tu & ſuffraganei tui favorem apoſtolicum, in iis in quibus illum reputabitis utilem, fiducialiter poſtuletis. Datum Avinioni VII. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno tertio.

LITTERÆ EIVSDEM VRBANI Papæ V. ad Petrum Archiepiſcopum Narbonenſem & Gaffredum Toloſanenſem, quibus eis permittit ut Concilium ſuarum provinciarum inſimul celebrare poſſint.

VRBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Narbonenſi & Tholoſanenſi Archiepiſcopis ſal. & apoſtolicam benedictionem. Ex parte veſtra fuit nobis expoſitum, quòd in convocatione Concilij provincialis ſuffraganeorum veſtrorum, ſuper quo celebrando cuilibet veſtrum nuper direximus ſcripta noſtra, intenditis, quàm citò commodè poteritis, noſtris juſſionibus obedire, ſed ex certis cauſis nobis pro parte veſtra expoſitis cupitis cum noſtro beneplacito dictum Concilium invicem celebrare. Nos igitur votis veſtris hujuſmodi benignum

Digitized by Google

præbentes aſſenſum, quòd dictum Concilium in loco de quo veſtræ circumſpectioni videbitur, inſimul celebrare poſſitis, & ad ipſum locum veſtros ſuffraganeos, non obſtante quòd eorum aliqui extra ſuam convocentur provinciam, convocare, tenore præſentium conſentimus, & vobis tribuimus facultatem. Datum Avinioni v. Idus Martij, pontificatus noſtri anno tertio.

LITTERÆ PETRI ARCHIEPICOPI Narbonenſis ad Gaucelinum Epiſcopum Magalonenſem, quibus eum evocat ad Concilium in Vaurenſi Eccleſia celebrandum die XXVII. menſis Maij anno MCCCLXVIII.

PETRUS miſeratione divina ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopus & Primas venerabili fratri Gauſelino eadem gratia Epiſcopo Magalonenſi ſuffraganeo noſtro, vel ejus Vicariis generalibus in ipſius abſentia, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Inter aſſiduas curas & ſollicitudines quæ miniſterio noſtro incumbunt, de ſalubri ſtatu Eccleſiarum & monaſteriorum noſtrarum civitatis, dioceſis, ac provinciæ, necnon & gregis nobis commiſſi, ſollicitè cogitare nos convenit, ut in ipſis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, paciſque, ſalutis, & libertatis gra-

tia nutriatur, & quæ in eiſdem non abſque diſpendio miniſtrorum & cultus detrimento divini ſervare novimus, per appoſitionem congrui moderaminis in melius reformemus, & tandem officij noſtri debitum in actibus dirigendis veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodoſæ ambiguitatis volucrum anhelamus, illámque ſemper in noſtris ordinationibus ſervare cautelam intendimus, ut de ipſis proveniat commodum, adeo quòd aliis non immineat detrimentum. Cùm igitur pro quibuſdam arduis negotiis civitatem, dioceſim, & provinciam noſtras, necnon & libertatem eccleſiaſticam tangentibus, ſuper quibus ad debitam proviſionem & reformationem unà vobiſcum & aliis ſuffraganeis noſtris intendimus concedente Altiſſimo interponere ſollicitudinis noſtræ partes, præſertim cùm tangatur communiter ſtatus Eccleſiarum & monaſteriorum aliorúmque piorum locorum noſtrarum civitatis, dioceſis, & provinciæ prædictarum, provinciale Concilium ordinavimus & determinavimus convocandum, videlicet die XXVII. menſis Maij proximè futuri, in qua erit vigilia Pentecoſtes, apud civitatem Vaurenſem, in Eccleſia cathedrali, in quo etiam intererunt, & unà nobiſcum provinciale Concilium hujuſmodi ce-

lebrabunt Reverendiſſimi in Chriſto Patres Domini Arnaldus Auxitanus & Gaſfredus Tholoſanenſis Archiepiſcopi, ſeu eorum Vicarij generales ad hæc ſpeciale mandatum habentes, cum omnibus ipſorum Dominorum Archiepiſcoporum & cujuſlibet ipſorum ſuffraganeis, eorúmque Capitulis, Abbatibus, Collegiis, Prioribus, Decanis Archidiaconis, atque Præpoſitis, & Clero univerſo ſuarum civitatum, dioceſum, provinciarum, etiamſi ſint exempti, cùm de negotiis atque dubiis fidem catholicam tangentibus habeamus pertractare, ac etiam quia hoc provinciale Concilium nos & ipſi Domini Archiepiſcopi in loco & Eccleſia Vaurenſi prædictis celebrabimus de communi concordia & conſcientia, beneplacito ac etiam expreſſa voluntate atque mandato ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Vrbani divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Summi Pontificis hodie præſidentis, ac etiam licentia ſuper hoc ab eo, quoad convocationem exemptorum noſtrum trium Archiepiſcoporum noſtrorúmque ſuffraganeorum & ceterorum dictarum provinciarum congregationem ſive unionem, & vos alióſque ſuffraganeos noſtróſque alios ſubditos dictæ provinciæ extra eandem convocando

Digitized by Google

nobis aliiſque Dominis Archiepiſcopis ſupradictis tam vivæ vocis oraculo quàm literatoriè cum bulla iſta vice ſpecialiter attributa. Eapropter vos tenore præſentium monemus ac etiam exhortamur ut unà nobiſcum die ac loco prædictis in dicto provinciali Concilio Deo præſide celebrando, ad quod Concilium præfatos diem & locum cum diebus ſequentibus, quos ad hoc continuare vel prorogare contingerit, vobis & aliis præcisè & peremptoriè aſſignamus, perſonaliter comparere curetis, vóſque ad id præſentium tenore citamus. Mandantes vobis inſuper quatinus interim citetis & peremptoriè tam auctoritate apoſtolica quàm noſtra tempore congruo omnes & ſingulos Abbates, Priores, Decanos, Archidiaconos, atque Præpoſitos Eccleſiarum collegiatarum & monaſteriorum regularium & etiam ſecularium, & alias perſonas eccleſiaſticas regulares & ſeculares, exemptas & non exemptas, cujuſcunque ſtatus, ordinis, conditionis exiſtant, etiam Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Carthuſienſis, Grandimontenſis, ſanctorum Benedicti & Auguſtini, aliorúmque ordinum hic non expreſſatorum, quos habere volumus pro expreſſis, ut perſonaliter, Conventus verò, Capitula, Collegia veſtrarum civitatum & dioce-

ſum per procuratores idoneos ad hoc legitimè & ſpecialiter conſtitutos cum ſufficienti & ſpeciali mandato, in ipſo provinciali Concilio compareant dicta die, inibi continuè moraturi, donec ea quæ in dicto Concilio tractanda fuerint ad honorem Dei, proviſionem Eccleſiarum & monaſteriorum, profectum animarum, & utilitatem ſubditorum provinciæ antedictæ, per dicti Concilij providentiam finem debitum ſortiantur. Ne verò dicti Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, & Præpoſiti, etiam exempti, ut ſuprà, & alij veſtri ſubditi, quos præſens tangit ſeu tangere poteſt negotium, qui debent & conſueverunt in dictis Conciliis intereſſe de uſu, conſuetudine, vel de jure, ignorantiam valeant quovis modo prætendere de præmiſſis, præſentes noſtras litteras ſeu earum tranſumptum in forma publica conſcriptum in veſtra Eccleſia & alibi, & ubi expediens vobis videbitur, interim ſæpius & frequenter publicare & denuntiare curetis. Vt autem ſuperfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præſentium inhibemus, ſub virtute ſanctæ obedientię injungentes, ne ultra decem equitaturas & duos ſaumerios ſive gerulos pro vobis & veſtra familia adducatis, cùm ad dictum provinciale Concilium

Digitized by Google

venietis; Abbatibus veſtræ diœceſis, etiam exemptis, injungentes ex parte ſedis apoſtolicæ atque noſtra, quòd ultra quinque equitaturas ad plus & unum ſaumerium ſeu gerulum ſecum adducere non præſumant; ceteri verò qui venire voluerint, cum paucis & moderatis expenſis veniant; ſi vos, Abbates prædicti, & etiam alij, reprehenſionis noſtræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddentes præſentes litteras portitori ſigillo veſtro impendenti ſigillatas in ſignum receptionis earum. De omnibus verò & ſingulis præſentationibus, publicationibus, atque citationibus, quas fieri facietis, volumus quòd faciatis recipi, & ex cauſa, unum vel plura publica inſtrumenta. Datum in caſtro de Claromonte noſtræ diœceſis die XXVIII. menſis Aprilis anno Domini milleſimo CCCLX. octavo. Ita facimus. P. Narbonenſis.

LITTERÆ EIUSDEM ARCHIEPISCOPI Narbonenſis ad ceteros Epiſcopos provinciæ Narbonenſis, quibus eos pariter evocat ad Concilium Vaurenſe. Cum reſponſionibus quorundam ex ipſis ad litteras Archiepiſcopi.

PETRUS &c. ven. f. I. eadem gratia Epiſcopo Carcaſſonenſi &c. *ut in ſuperiore.* Datum ut ſuprà.

REVERENDISSIMO in Chriſto Patri & Domino Domino P. miſeratione divina primæ ſanctæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopo & Primati, Domino ſuo præcariſſimo.

REVERENDISSIME Pater & Domine præcariſſime. Humili recommendatione præmiſſa, noverit veſtra paternitas reverenda me die datæ præſentium veſtras litteras cum reverentia recepiſſe, promptum & paratum me offerentem facere & complere quæ in ipſis veſtris litteris continentur. Paternitatem eandem, quæ mihi præcipiat quæ grata, conſervet altiſſimus in longævum. Scriptum Carcaſſonæ die VI. Maij Per veſtrum I. Epiſcopum Carcaſſonenſem.

PETRUS &c. ven. fr. I. Nemauſenſi eadē gratia Epiſcopo &c. *ut in ſuperioribus*. Datum ut ſuprà.

PETRUS &c, ven. fr. P. eadem gratia Epiſcopo Elnenſi &c. *ut in ſuperioribus*. Datum ut ſuprà

PETRUS &c. ven. fr. I. eadem gratia Epiſcopo S. Poncij Thomeriarum &c. *ut in ſuper.* Datum ut ſuprà.

PETRUS &c. ven. fr. A. eadem gratia Lodovenſi Epiſcopo &c. *ut in ſuperioribus*. Datum ut ſuprà.

REVERENDISSIMO Patri in Chriſto ac

Digitized by Google

Domino Domino P. divina providentia primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopo & Primati.

REVERENDISSIME Pater ac Domine, per latorem præſentium duas veſtras litteras, unam videlicet clauſam, & aliam apertam, ſigillo veſtro magno impendenti ſigillatam, cum qua decet reverentia recepimus; quas, Deo duce, executioni demandabimus, ut tenemur. Et inſuper, juxta votum veſtrum, idem V. lator unum florenum habuit pro labore. Statum veſtrum in agendis Altiſſimus dirigat & conſervet. Scriptum Lodovę die IX. menſis Maij.

Totus veſter Ay. ſuffraganeus Epiſcopus Lodovenſis.

PETRUS &c. ven. f. B. Vticenſi Epiſcopo ſuffraganeo noſtro &c. *ut in ſuperioribus*. Datum ut ſuprà.

REVERENDISSIMO in Chriſto Patri & Domino Domino P. Dei gratia Archiepiſcopo & Primati ſanctæ & primę ſedis Narbonenſis, Dominóque ſuo præcariſſimo.

REVERENDISSIME Pater, veſtras litteras recepi decima die Maij, cum ea qua decuit reverentia, in abſentia Domini mei Vticenſis Epiſcopi, qui eſt abſens à civitate Vcetiæ; eſt tamen infra diocesim, in quodam caſtro ſuo, ex cauſis nunc ſilentio commendandis, quandoque veſtræ reve-

rendiſſimæ paternitati explicandis. Significo autem veſtræ paternitati reverendiſſimæ quòd veſtras litteras & contenta in eis, ut diligentiùs potero, executioni fideliter demandabo. Præſentium etiam potitori tradi feci unum francum & duos florenos auri, de quibus ſcripſiſtis. Reverendiſſimam paternitatem veſtram, cui me humiliter recommendo, conſervare dignetur Altiſſimus, cum multiplicatis progreſſibus in ſancto regimine ac ſanctæ Eccleſiæ Narbonenſis per tempora peroptata. Scriptum Vçeciæ die XI. Maij.

Veſter humilis ſervitor Blancus Duriane Prior S. Baudilij prope Nemauſum, Vicarius generalis ac Officialis Vticenſis.

PETRUS &c. venerabilibus ac religioſis & prudentibus viris Præpoſito & Capitulo Magalonenſi &c. Datum ut ſuprà.

In eundem modum ſcriptum eſt Capitulis Nemauſenſi, Elnenſi, ſancti Pontij Thomeriarum, Biterrenſi, & Archipresbyteris Narboneſij & Termeneſij Narbonenſis dioceſis, mutatis mutandis, prout ſcriptum eſt pro convocatione Concilij Biterrenſis anni MCCCLI.

Digitized by Google

CANONES SIVE STATVTA *Concilij Vaurenſis.*

INCIPIUNT novæ conſtitutiones editæ in Concilio Vaurenſi anno infraſcripto, præſidentibus ibidem Reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis Dominis Petro Narbonenſi & Gaffredo Tholoſano Dei gratia Archiepiſcopis, & Philipppo eadem gratia Abbate Soricinij, Vicario generale Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Arnaldi eadem gratia Archiepiſcopi Auxitanenſis, ab eodem ad infraſcripta poteſtatem habente.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Ad futuram rei memoriam. Cohærentibus ſibi propinquitate locali archiepiſcopatibus ſeu provinciis, ſolemnium communio ſtatutorum decenter inducitur, opportunè quoque ac utiliter cuſtoditur. Honeſtati namque congruum eſſe dignoſcitur, ut ſicut provinciæ ipſæ ſunt eorundem quodammodo confinium mutua confrontatione participes, ſic earum incolæ in ....legitimis obſervandis ſint conformes. Inſuper ſi effectus utilitatis inſpicitur, ex ipſo paris diſciplinæ conſortio, dum multis una regiminis proponitur forma ſeu

Digitized by Google

ratio, quædam inter eos ſimiliter vivendi ſubſequitur habitudo; hincque procedunt faciliùs gubernacula Præſulum, & feliciùs proficit conditio ſubditorum. Eapropter nos Petrus Narbonenſis & Gaffredus Tholoſanenſis permiſſione divina Archiepiſcopi, & Philippus eadem permiſſione Abbas Soricinij, Vicarius generalis Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Arnaldi Dei gratia Archiepiſcopi Auxitanenſis, ad infraſcripta ſpecialem ac plenariam habens à præfato Domino Archiepiſcopo Auxitanenſi poteſtatem, illius ſummi paſtoris atque rectoris inſtructi exemplo qui, prout ex oraculo prophetici ſermonis colligitur, habitare facit unius moris in domo, ſubditorum ſaluti proſpicere, ac extirpatis vitiis virtutes inſerere, ſanare languida, ſana ſervare, quantum divina clementia nobis præſtante conceditur, juxta paſtoralis commiſſi nobis officij debitum cupientes, de infraſcriptorum Reverendorum fratrum coëpiſcoporum & ſuffraganeorum noſtrorum præſentium ac procuratorum ſuffraganeorum noſtrarum provinciarum abſentium infraſcriptorum conſilio & aſſenſu; videlicet nos P. Narbonenſis Archiepiſcopus prædictus, unà cum Reverendis in Chriſto Patribus Dominis H. Biterrenſi, I. Carcaſſonenſi, A. Electenſi, & genera-

libus Vicariis & procuratoribus Domino-rum S. Agathenſis, G. Magalonenſis, A. Lodovenſis, I. ſancti Poncij Thomeriarum, I. Nemauſenſis, B. Vticenſis, & P. Elnenſis, eadem gratia Epiſcoporum ſuffraganeorúmque noſtrorum, ad hoc idoneis & perſonaliter conſtitutis; nóſque Gaffredus Tholoſanenſis Archiepiſcopus prædictus, unà cum Reverendis in Chriſto Patribus Dominis R. Vaurenſi, G. Appamiarum, & G. Lumbarienſi Dei gratia Epiſcopis, & generalibus Vicariis & procuratoribus Dominorum A. Patriarchæ & Adminiſtratoris Eccleſiæ Montiſalbanenſis, P. Rivenſis, P. ſancti Papuli, & P. Mirapicenſis, gratia etiam prædicta Epiſcoporum, ſuffraganeorúmque noſtrorum, ad infraſcripta legitimè conſtitutis; nóſque etiam Philippus Abbas Soricinij, Vicarius generalis Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Arnaldi Auxitanenſis Archiepiſcopi prædicti, unà cum Reverendis in Chriſto Patribus Dominis B. Convenarum, B. Tarvienſi, G. Vaſatenſi, P. Olorenſi, & Oddo Laſcurrenſi, divina gratia Epiſcopis, & generalibus Vicariis & procuratoribus Dominorum I. Aquenſis, P. Lectorenſis, P. Coſſeranenſis, E. Baionenſis, & I. Adurenſis, gratia prædicta Epiſcoporum, ſuffraganeorúmque Eccleſiæ

Auxitanenſis, ad infraſcripta legitimè conſtitutis & ſufficienter comparentibus, in Eccleſia cathedrali Vaurenſi provinciæ Tholoſanenſis, tam auctoritate & de mandato ſanctæ ſedis apoſtolicæ, quàm noſtra ordinaria, provinciale Concilium celebrantes, prorogata primò juriſdictione de loco ad locum per nos P. Narbonenſem & G. Tholoſanenſem Archiepiſcopos ac Philippum Abbatem Soricinij generalem Vicarium Domini A. Archiepiſcopi Auxitanenſis ſupradictos, noſtróſque ſuffraganeos, præſentibus Vicariis & procuratoribus ſupradictis hac vice conſentientibus, ad honorem & laudem ſummæ & unicę Trinitatis, ac præcelſæ & glorioſiſſimæ beatæ Mariæ Virginis matris Dei, totiúſque collegij ſupernorum, morum reformationem, coërtionem quoque ac correctionem exceſſuum ac etiam delictorum, & noſtrarum & ſubditorum noſtrorum animarum profectum, & ſtatum eccleſiaſticum ſalubriter conſervandum, illius invocato præſidio qui eſt mentium illuſtrator, ſacro approbante Concilio ad infraſcripta edenda, ſeu eorum aliqua innovanda, reformanda, & declaranda, prout inferiùs continetur, duximus procedendum. Ante omnia veruntamen proteſtati quòd per hujuſmodi ſubſequentia noſtra ſtatuta, aliàs rationa-

Digitized by Google

biliter edita in noſtris provinciis ſupradictis abrogare nequaquam intendimus, nec ipſis etiam derogare, niſi quatenus infraſcriptis noſtris ſtatutis reperirentur contraria vel adverſa, ſeu per contrarietatem vel aliter obviare.

De fide catholica; & ut laïci de articulis fidei & aliis ad capeſſendam æternam ſalutem neceſſariis cum diligentia informentur.

CAP. I.

QVONIAM, ſicut apoſtolica tradit auctoritas, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, idcirco ſine fide omnis hominis arbor eſt vacuus. Fides namque, ut Auguſtinus ait in libro de fide ad Petrum, eſt bonorum omnium fundamentum; fides eſt humanæ ſalutis initium; ſine hac nemo poteſt ad filiorum Dei numerum pertinere; ſine ipſa nec in hoc ſeculo quiſquam gratiam juſtificationis conſequitur, nec in futuro vitam poſſidebit æternam. Vnde ſummopere iis quibus committitur dominici gregis cuſtodia vigilandum eſt, & maxima ſollicitudine providendum, quatenus fides integra, ſine ullo perfidię vitio, ab omnibus cuſtodiatur ſollicitè. Et eſt nobis etiam per conſequens laborandum, ne in noſtris provinciis poſſit ſe abuſus aliquis ſubrepere

ſubrepere hęreticæ falſitatis. Ignorantia quippe legis divinæ, & imperitia credendorum, qua turpiter propter nonnullorum Eccleſiaſticorum incuriam laïci ſimplices involvuntur, & Sacerdotes miniſtros verbi, quibus incumbit alios de fide inſtruere, reprobatione juſtiſſimi Dei reddit obnoxios, juxta illud Prophetæ teſtimonium, *Quia tu ſcientiam repuliſti, ideo ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*, & ipſos ſubditos ad bonum facit ignavos & tepidos, & interdum tanquam incautos præcipitat in diverſa pericula & errores. Sic ſic Dominus ipſe conqueritur alibi in Scriptura dicens: *Periit populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Vt igitur tam pernicioſæ ignorantiæ & in rectoribus & in ſubditis occurramus, & per nos ac per fratres noſtros ſuffraganeos parari valeat deinceps Domino pl. . . . . . perfecta, atque in noſtrarum provinciarum civitatibus & dioceſibus doctrina vigeat ſ. . . . . in primis hujus præſentis Concilij auctoritate ſtatuimus, & nihilominus ſub pœna excommunicationis præcipimus, quatenus univerſi & ſinguli rectores Eccleſiarum in aliqua provinciarum noſtrarum conſiſtentium diebus dominicis & feſtivis in ſuam parochiam ex more ad divina conveniant, ipſos parochianos ſuos & ſubditos, ſicut opportunum fuerit, & ſecundùm

gratiam ac ſufficientiam unicuique à Domino datam, de ipſius fidei noſtræ principiis ſive articulis, de decem præceptis divinæ legis, de ſeptem peccatis mortalibus, & ſi qua ſunt alia quorum ſit cognitio neceſſaria ad ſalutem, non ſimul quidem de omnibus, ſed altera alternatim & ...... prout tempus & locus & capacitas auditorum exigent, diligenter inſtruant & informent. Id ipſum circa ægrotos ſeu decumbentes ſervari volumus; ut ſi videlicet per inquiſitionem Sacerdotum, quam fieri volumus ſemper antequam eis ſacra communio miniſtretur, ignorantes in præmiſſis fuerint deprehenſi, ibidem familiariter & peculiariter præcipuè de articulis fidei, & de ſeptem peccatis mortalibus, de quibus eos diſtinctè confiteri neceſſe eſt, inſtruantur; ne fortè ſi cum ignorantia vincibili eorum quæ conſcientia ſcire tenebatur migret aliquis ſeu obeat, talem comprehendat Apoſtoli illa ſententia, *Ignorans ignorabitur*, id eſt, reprobabitur, cùm pro tenebris ignorantiæ interioribus, quas propter negligentiam paſſus eſt in hoc mundo, in futuro examine in exteriores abyſſi tenebras detrudetur. Si quis autem Curatus ſeu Rector hoc ſalubre ſtatutum noſtrum præterierit, ſeu implere & exequtare neglexerit, aut aliàs quocunque modo temerario

auſu eidem reſtiterit, cùm de hoc legitimè conſtiterit, ultra indignationem Dei, quam profectò pro tali contemptu incurrerit, volumus & jubemus ut per locorum ordinarios pœnis aliis, ſicut plus aut minus meruerit, contemptor hujuſmodi percellatur. Sed & nos ipſi, cùm ad aliquam Eccleſiam nobis ſubjectam gratia viſirandi nos, ut eſt ſolitum, venire contingerit, informationem & inquiſitionem diligentem de præmiſſis facere intendimus; & id ipſum pari voto fieri volumus per noſtros ſuffraganeos, cùm eos conſimiliter Eccleſias ſibi ſubditas coutingerit viſitare. Vt autem, ſicut habemus in votis ſeu deſiderio, hæc noſtra ſanctio & conſtitutio perpetuo ritu & competentiùs obſervari valeat & impleri, & ne videamur noſtris ſubditis imponere grave jugum, decrevimus, ſtilo pleno, breviterque, atque dilucidè tradere doctrinam quandam & ſummam illorum in quibus volumus, ut prædiximus, plebes nobis ſubditas informari: ut ipſis Rectoribus & Curatis dicendorum tradatur per nos forma & regula, & etiam ut non ſit neceſſe pro implendo hoc noſtro ſtatuto librorum numeroſitatem evolvere; cui brevitas per nos hîc ex dictis Doctorum & ſanctorum collecta offert quod quæritur ſine labore. Comprehendimus ergo intentionem no-

gratiam ac ſufficientiam unicuique à Domino datam, de ipſius fidei noſtræ principiis ſive articulis, de decem præceptis divinæ legis, de ſeptem peccatis mortalibus, & ſi qua ſunt alia quorum ſit cognitio neceſſaria ad ſalutem, non ſimul quidem de omnibus, ſed altera alternatim & . . . . . . prout tempus & locus & capacitas auditorum exigent, diligenter inſtruant & informent. Id ipſum circa ægrotos ſeu decumbentes ſervari volumus; ut ſi videlicet per inquiſitionem Sacerdotum, quam fieri volumus ſemper antequam eis ſacra communio miniſtretur, ignorantes in præmiſſis fuerint deprehenſi, ibidem familiariter & peculiariter præcipuè de articulis fidei, & de ſeptem peccatis mortalibus, de quibus eos diſtinctè confiteri neceſſe eſt, inſtruantur; ne fortè ſi cum ignorantia vincibili eorum quæ conſcientia ſcire tenebatur migret aliquis ſeu obeat, talem comprehendat Apoſtoli illa ſententia, *Ignorans ignorabitur*, id eſt, reprobabitur, cùm pro tenebris ignorantiæ interioribus, quas propter negligentiam paſſus eſt in hoc mundo, in futuro examine in exteriores abyſſi tenebras detrudetur. Si quis autem Curatus ſeu Rector hoc ſalubre ſtatutum noſtrum prætererierit, ſeu implere & exequtare neglexerit, aut aliàs quocunque modo temerario

auſu eidem reſtiterit, cùm de hoc legitimè conſtiterit, ultra indignationem Dei, quam profectò pro tali contemptu incurrerit, volumus & jubemus ut per locorum ordinarios pœnis aliis, ſicut plus aut minus meruerit, contemptor hujuſmodi percellatur. Sed & nos ipſi, cùm ad aliquam Eccleſiam nobis ſubjectam gratia viſirandi nos, ut eſt ſolitum, venire contingerit, informationem & inquiſitionem diligentem de præmiſſis facere intendimus; & id ipſum pari voto fieri volumus per noſtros ſuffraganeos, cùm eos conſimiliter Eccleſias ſibi ſubditas coutingerit viſitare. Vt autem, ſicut habemus in votis ſeu deſiderio, hæc noſtra ſanctio & conſtitutio perpetuo ritu & competentiùs obſervari valeat & impleri, & ne videamur noſtris ſubditis imponere grave jugum, decrevimus, ſtilo pleno, brevitérque, atque dilucidè tradere doctrinam quandam & ſummam illorum in quibus volumus, ut prædiximus, plebes nobis ſubditas informari: ut ipſis Rectoribus & Curatis dicendorum tradatur per nos forma & regula, & etiam ut non ſit neceſſe pro implendo hoc noſtro ſtatuto librorum numeroſitatem evolvere; cui brevitas per nos hîc ex dictis Doctorum & ſanctorum collecta offert quod quæritur ſine labore. Comprehendimus ergo intentionem no-

Digitized by Google

ſtram ſub certis limitibus; & ſanctorum patrum veſtigiis inhærentes, pronuntiamus uuicuique fideli, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, neceſſarium ad ſalutem, noſſe ſcilicet & inquirere quid ſit ſibi credendum, quid diligere ...... quid expectandum. Tria enim quædam ſunt, ut tradit Auguſtinus, quibus Deus ...... colitur, & per quæ ad Deum velut quibuſdam mentis paſſibus pervenitur; videlicet fides, ſpes, & caritas. Per fidem dirigimur in credendo, per caritatem regulamur in amando, per ſpem in laboribus conſolamur. Primùm itaque doctrinam tradimus de credendis, quæ ſunt, articuli fidei, & ipſa ſacramenta legis novæ. Nam in his duobus, ſacramentis videlicet & articulis, tota Chriſtianæ religionis & Eccleſiæ univerſalis ſtuctura fundatur. Deinde loquemur de virtutibus & vitiis eis oppoſitis; de donis & batitudinibus, quæ erroribus correſpondent. Demum in explicatione præceptorum Decalogi, per quæ explicatur caritas, finiemus. De iis omnibus ergo, propter Rectores minùs eruditos, aliqua in medium proferamus; & primùm de fide, ſecundùm cujus menſuram præcipit Apoſtolus unicuique ſapere. Fides igitur virtus quædam eſt, qua creduntur quæ non videntur. Nam cùm Paulus dicat, *Fides eſt*

Digitized by Google

ſubſtantia ſperandarum rerum, *argumentum non apparentium*, hoc veraciter dicitur credi quod non valet videri. Vnde Auguſtinus inquit: *Vt cognoſcamus*, *non cognoſcimus*, *ut credamus. Quid eſt enim fides*, *niſi credere quod non vides?* Neque tamen iſtud de omnibus intelligendum eſt quæ non videntur, ſed de iis tantùm quæ credere ad religionem pertinet Chriſtianam, ſive quæ credenda Scriptura ſacra proponit, & Eccleſia catholica docet. Verùm quia latitudinem ſacræ Scripturæ ſimplicibus & in aliis ſtudiis & negotiis occupatis ſcire non erat poſſibile, ad quam tamen intelligendam, ſecundùm plus & minus, pro differentia officiorum & ſtatuum, ſuperiores in Eccleſia obligantur; idcirco, ut fides eorum quæ ab omnibus explicitè vel ſaltem pro magna parte credi & cognoſci opportet, haberetur in promptu, ipſi primi Eccleſiæ fundatores Apoſtoli ipſa credenda, quæ in diverſis locis ſacræ Scripturæ ſunt tradita & ſparſa, collegerunt breviter in unum locum. Et iſta collectio, Apoſtolorum Symbolum appellatur. Et diſtinxerunt in ipſo quatuordecim articulos fidei: quorum ſeptem ſunt pertinentes ad divinitatem, alij ſeptem ad Chriſti humanitatem. Septem igitur ſunt de Deo ſecundùm ſe; & ſeptem alij de Deo, ratione humanitatis aſſump-

tæ. Qui omnes in iſtis quatuor verſibus continentur:

Vnum crede Deum, Patrem, Filium, quoque Flamen,
Qui creat & recreat homines, quos ſalvificabit.
Conceptus, natus, paſſus, deſcendit ad ima,
Surgit, & aſcendit, veniet diſcernere cuncta.

Primus ergo articulus de pertinentibus ad divinitatem, eſt de unitate divinæ eſſentiæ. Non enim ſunt plures dij, ſed unus eſt ſolùm Deus. Et ideo dicimus: *Credo in unum Deum.* Et hunc ipſum articulum inſinuabat clara voce veteris legis exordium, ubi dicit: *Audi Iſraël. Dominus Deus tuus unus eſt.* Tres ſequentes articuli ſunt de divinis perſonis. Nam Chriſtiana religio cum unitate divinæ eſſentiæ tres perſonas fatetur. Eſt ergo articulus ſecundus de perſona Patris: *Patrem omnipotentem.* Tertius eſt de perſona Filij: *Et in Ieſum Chriſtum Filium ejus.* Quartus de perſona Spiritus ſancti: *Credo in Spiritum ſanctum.* Tres ſequentes ſunt de effectibus ipſius Dei. Eſt ergo quintus articulus de creatione omnium rerum: *Creatorem cæli & terræ.* Sextus eſt de effectu gratiæ, ſive dono. Propter quod dicitur: *Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, communionem ſanctorum, remiſſionem peccatorum.* Septimus eſt de effectu gloriæ: *Carnis reſurrectionem, vi-*

tam æternam. Articuli autem pertinentes ad naturam à filio Dei aſſumptam, ſunt etiam ſeptem. Primus pertinet ad conceptionem ipſius Chriſti: *Conceptus eſt de Spiritu ſancto.* Secundus ad nativitatem: *Natus ex Maria Virgine.* Tertius ad paſſionem: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Quartus ad deſcenſum ad inferos: *Deſcendit ad inferos.* Quintus ad reſurrectionem: *Tertia die reſurrexit.* Sextus ad aſcenſionem: *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris.* Septimus eſt de .... ad judicium: *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* Aliqui tamen computant ſecundùm numerum Apoſtolorum duodecim, qui iſtos fidei articulos diſtinxerunt: Sed prima ..... melior eſt, quæ accipitur ſecundùm numerum credendorum. Porrò, quia in iſto Symbolo Apoſtolorum ..... breviter valde expoſita, ideo ad ejus explanationem Symbolum Nicænum, quod di .... de articulis prædictis exequitur, additum eſt. Et rurſus quia in iſto Symbolo Nicæno adhuc quædam implicitè continentur, quæ propter inſurgentes hæreſes opportuit ampliùs explicari, additum eſt Symbolum Athanaſij, quod incipit: *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.* Proinde Symbolum Apoſtolorum ſilenter & ſecretè dicitur quotidie in Completorio, & in Prima: quia fuit editum

tempore quo nondum erat fides catholica propalata. Alia autem duo publicè in diebus dominicis & feſtivis, quando major ad Eccleſiam congregatur populus, decantantur: quia fuere edita tempore fidei propalatæ. Symbolum quidem Nicænum poſt Evangelium cantatur in Miſſa, quaſi evangelicæ fidei expoſitio. Symbolum Athanaſij de mane ſolùm cantatur in Prima: quia fuit editum tempore quo maximè fuerunt depulſa & detecta nox atra & tenebræ hæreſum & errorum. Licèt autem ante adventum Chriſti in virginem ſufficeret laïcis ſimplicibus de articulo Trinitatis & Incarnationis habere fidem implicitam in fide majorum, & pro illo tempore ſufficeret explicitam fidem habere quia Deus eſt, & quòd credentibus in ſe remunerator eſt, quòd ſemper etiam ſecundùm Apoſtolum opportet credere omnem accidentem ad Dominum; iſto tamen tempore gratiæ revelatæ, tam majores quàm minores tenentur credere explicitè Trinitatis articulum, & Incarnationis myſterium, & aliorum articulorum de quibus dictum eſt, præcipuè eorum de quibus in Eccleſia communiter ſolemniſantur, & qui publicè proponuntur, ſicut ſunt articulus Paſſionis, Reſurrectionis, & hujuſmodi. Et hoc intelligimus quantum ad ipſorum articulo-
Digitized by Google

rum ſubſtantiam, ſecundùm quam homo ipſos articulos diſtinctè cognoſcit, non quantum ad ea difficilia quæ continentur in articulis, & vim veritatis ipſorum, per quam poſſunt ab hæreticorum impugnatione deffendi. Nam, quantum ad talia, ſufficit ſimplicibus de omnibus articulis habere fidem implicitam, id eſt, in talibus credere quod credit Eccleſia. Et ita accipienda videntur verba quorundam magnorum loquentium de materia iſta. Majores autem iſtam explicationem totaliter in via iſta ſcire non poſſunt. Tenetur tamen unuſquiſque tantum ſcire quantum pertinet ad officium ſuum. Poſt articulorum doctrinam, conſequens eſt de ſacramentis novæ legis tractare. Eſt autem ſacramentum, inviſibilis gratiæ viſibilis forma: ita ut ejus imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Fuerunt autem ſacramenta aliqua neceſſaria ſemper humano generi, poſtquam incurrit peccati morbum; non quia ſine ſacramentis Deus hominem ſanare non poſſet, ſed quia per illa magis congruè fit hominis reparatio. Quod ſic patet. Humanum enim genus, ex quo primus homo peccavit, circa ſenſibilia corruptum fuit, quantum ad cognitionem: quia circa iſta ſenſibilia, humana mens implicita, in Dei cognitionem ſurgere non valebat. Item, quantum

Digitized by Google

ad affectionem : quia eis, quaſi ſummis bonis, Deo poſtpoſito, inhærebat. Quantum ad actiones, quia eis inordinatiſſimè utebatur. Neceſſarium ergo fuit ad peccatorum curationem, ut homo ex ſenſibilibus in ſpiritualia cognoſcenda proficeret, contra primum; & ut effectum, quem circa illa habebat, in Deum referret, contra ſecundum; & eis ordinatè & ſecundùm divinam inſtitutionem uteretur, contra tertium. Proinde neceſſaria erat ſacramentorum inſtitutio, & propter eruditionem, dum homo in ipſis .... quod fons .... ſpem ducitur, ad inviſibilem virtutem agnoſcendam, quæ intus eſt, eruditur, quantum ad primum. Et propter humiliationem, dum homo in ſacris rebus ſenſibilibus, quæ natura ...... ſunt, ex præcepto creatoris, ſubjicitur, quantum ad ſecundum. Et propter exercitationem .... in ſacramentis homo circa ſigna ſenſibilia in Dei honorem occupatur, quantum ad tertium. Igitur, ex quo fuit morbus peccati, ſacramentorum fuit neceſſaria medicina ...... tendo autem ad præſens ſacramenta antiqua atque legalia, quæ ceſſaverunt adveniente Chriſto, ſicut umbra adveniente ſole recedit, de ſolis ſacramentis legis novæ loquamur ...... ſunt ſeptem: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia,

Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Conjugium. Baptiſmus eſſe dicitur ſacramentum fidei, Extrema unctio ſpei, Euchariſtia caritatis, Ordo prudentiæ, Pœnitentia juſtitiæ, Matrimonium temperantiæ, Confirmatio fortitudinis. Baptiſmus eſt directè contra culpam originalem, Pœnitentia contra culpam actualem mortalem, Extrema unctio contra culpam venialem, Ordo contra ignorantiam, Matrimonium contra concupiſcentiam, Euchariſtia contra malitiam, Confirmatio contra infirmitatem. Nil ergo aliud eſt ſacramentum quàm illud in quo ſub tegumento rerum viſibilium divina virtus ſalutem noſtram ſecretiùs operatur. Porrò ſacramenta inſtituere, quæ ex ſui inſtitutione & ſanctificationis contineant inviſibilem gratiam, competit ſoli Chriſto; qui ſolus poteſtatem excellentiæ ſibi retinuit, poteſtatem miniſterij Apoſtolis & ceteris ſuccedentibus dedit. Quæ igitur inſtituta ſunt ab Apoſtolis & ſucceſſoribus eorundem, ut benedictio aquæ & panis, conſecrationis virginum & altarium, & cetera hujuſmodi, non ſacramenta propriè, ſed ſacramentalia dici debent. Omnia ergo ſacramenta novæ legis Chriſtus per ſemetipſum immediatè inſtituit. Aliqua tamen, præcipuè Confirmationem, & Extremam unctio-

nem, per Apoſtolos promulgavit; ſicut de Confirmatione patet in Actibus Apoſtolorum XIX. capitulo, & de extrema unctione Iacobi quinto. In iis ſacramentis quædam fuerunt ad decorem & ſollemnitatem ſacramenti, quædam verò pertinent ad ſacramenti ſubſtantiam. De ſubſtantia cujuſlibet ſacramenti ſunt forma verborum præſcripta, certa materia, & miniſter. verbi gratia. Materia baptiſmi eſt aqua elementalis; forma, *Ego baptiſo te in nomine Patris &c.* Miniſter eſt Sacerdos aut alius in neceſſitate baptiſans. Horum ſacramentorum, Matrimonium & Ordo, ſunt voluntatis. Alia ſunt neceſſitatis, ut ſuſcipiantur aliquando, vel in re, vel in voto. Præcipuè autem baptiſmus eſt neceſſarius omnibus & parvulis & adultis, ex quo fuit à Domino inſtitutus, & alia contra peccatum originale remedia ceſſarunt. Eſt enim Baptiſmus contra vulnus originale; ſine quo, ſecundùm ſanctos, in filiis hominum nemo unquam conceptus eſt, præter Chriſtum. Pœnitentia verò iis eſt neceſſaria qui per aliquod mortale peccatum veſtem innocentiæ, quam in Baptiſmo acceperant, amiſerunt: & ob hoc ſecunda poſt naufragium tabula appellatur. Si etiam aliquis, cùm opportunum & congruum eſt, vel propter ordinationem Eccleſiæ, vel pro-

pter periculum mortis, omitteret Euchariſtiam, Confirmationem, aut Extremam unctionem ſuſcipere, nec defectus miniſtri, aut alius neceſſitatis articulus, ſed contemptus religionis ſolùm iſta ſacramenta excluderet, non dubium quin talis contemptus induceret gravem culpam. Neceſſarium ergo, ut diximus, cuilibet adulto iſta ſacramenta aliquando in vita ſua ſuſcipere, vel in re, vel in voto. Horum etiam ſacramentorum aliqua ſunt quæ in eodem homine iterari non debent; ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Ordo. Alia poſſunt iterari. Prohibemus autem diſtrictè ut nullus cum remorſu peccati mortalis ſacramentum quodcunque præſumat ſuſcipere, aut etiam miniſtrare. Veremur enim ne propter hunc abuſum, quo polluti & indigni ad ſacra paſſim iſtis temporibus noviſſimis plures accedunt, clades multas Deus judex juſtus in nationes Chriſtianorum immittat. Proinde dicit Deus ad antiquos legis illius Moſaïcæ Sacerdotes: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Et rurſus: *Sacerdotes qui accedunt ad Deum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* Poſtquam de articulis fidei & ſacramentis diſſeruimus, de virtutibus theologicis & moralibus eſt loquendum. Virtutes theologicas Paulus Apoſtolus tres enumerat. Sunt autem, ſpes, fides,

caritas. Virtutes morales, quæ cardinales dicuntur, ſunt quatuor: de quibus Philoſophi gentium multa ſubtilia & utilia ſatis dixerunt. Sunt autem, juſtitia, fortitudo, prudentia, temperantia. Iuſtitia, ſecundùm Auguſtinum, eſt in ſubveniendo miſeris, prudentia conſiſtit in præcavendis inſidiis, fortitudo in perferendis moleſtiis, temperantia in coërcendis delectationibus pravis. Cuilibet harum virtutum, ſequendo eruditos quoſdam, etiam fidei noſtræ homines, partes has aſſignavimus. Species quidem juſtitiæ, ſive partes, ſunt iſtæ: religio, pietas, gratia, vindicatio, obſervantia, veritas. Vel, ſi magis libet ſic dici, partes juſtitiæ ſunt, obedientia reſpectu ſuperioris, diſciplina reſpectu inferioris, æquitas reſpectu præmij, fides & veritas reſpectu omnium. Partes fortitudinis iſtæ ſunt: magnificentia, fiducia, patientia, perſeverantia. Prudentia diſtribuitur in memoriam præteritorum, & intelligentiam præſentium, & prævidentiam futurorum. Porrò partes temperantiæ ſunt, caſtitas, & ſobrietas. Caſtitas refrænat delectationes quæ ſunt ſecundùm tactum. Qua virtute nihil in eccleſiaſticis viris præclarius fulget. Ipſa enim ſola cum fiducia Deo poteſt animas præſentare. Sobrietas reſtringit delectationes quæ ſunt ſecundùm

guſtum. Quia igitur actus harum virtutum, quas diximus, ſive quarum opera huic mortali vitæ ſunt neceſſaria, utpote quia per ipſas in præſenti bene & rectè vivitur, & in futuro æternæ vitæ bravium poſſidetur; ideo etiam per Rectores & alios verbi divini miniſtros volumus in Eccleſiis noſtrarum provinciarum de iis laïcos commoneri, & ad hæc opera virtuoſa .... inductionibus imitari. Sicut autem dictæ virtutes perficiunt hominem, ut in humanis humano modo id eſt rationali ſe habeat; ne, ſequendo ſcilicet abrupta vitiorum, à dignitate humanæ naturæ decidens, beſtialiter vivat: ita dona Spiritus ſancti ad bene operandum perficiunt hominem ſupra homines, id eſt, modo quodam divino, & ſupra humanum gradum. Hæc dona, juxta ſacras Scripturas, conſimiliter ſeptem eſſe aſſerimus, quaſi ſeptem ſanctificationes fidelium mentium: quæ Iſaïas Propheta, oſtendens ea fuiſſe in Chriſto, enumerat in hunc modum: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quamquam enim unus ſit ſpiritus Domini, qui eſt cum Patre & Filio unus conſubſtantia-

liter Deus, quaſi aliquod eorum flumen, (Multi enim ſunt ſpiritualium donorum meatus, quibus Spiritus ipſe ſanctus omnem ſupereminens creaturam, mentis noſtræ arcana vegetat & infundit. Quocirca alma mater Eccleſia, horum donorum ſemper fœcunda ſpirituali pinguedine, in hymno quem in ejuſdem Spiritus ſancti honorem concrepit, inter cetera hæc ſeptem dona in ipſum refert, cùm dicit: *Tu ſeptiformis munere, dextræ Dei &c.*) dicimus autem & credimus hæc ſeptem dona communiter à tota profluere Trinitate indiviſa. Quippe ſunt opera Trinitatis ad ipſum unum. Conſuetudo eſt ſacri eloquij, interdum appropriare uni perſonæ quod propriè & veriſſimè dicitur de utraque: ſicut Patri attribuitur potentia, Filio ſapientia, bonitas Spiritui ſancto. Et tamen una & indiviſibilis eſt potentia, & ſapientia, & bonitas in iis tribus; ſicut una deïtas, una eſſentia, & natura. Quemadmodum autem, ſicut ſuperiùs aſſignavimus, ſeptem ſacramentis correſpondent ſeptem virtutes, tres theologicæ, & quatuor cardinales; & rurſus ſeptem dona, ſeptem virtutes: ita ſeptem donis correſpondent ſeptem petitiones orationis dominicæ: quarum tres primæ ſunt, quibus æterna poſcimus: quatuor ultimæ ſunt, quibus ea petuntur quæ tantùm

ſunt

Digitized by Google

ſunt in hac vita. Et ita in illis continentur omnia bona homini neceſſaria. Iis etiam ſeptem petitionibus ſeptem illæ beatitudines, de quibus loquitur Salvator in Evangelio, adaptantur; ubi pauperes ſpiritu, mites, eſurientes, & ſitientes juſtitiam, miſericordes, & mundicordes, pacificos, & ...., beatos eſſe aſtruit & affirmat ... ... Quoniam, ſicut dicit Scriptura, bonorum laborum glorioſus eſt fructus, nec ſunt labores aliqui digniores, quàm qui in donorum ſpiritualium agro latiſſimo tangit ad Galatas ſcribens Apoſtolus in iis verbis: *Fructus autem ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Verùm quia eidem dono, habenti plures actus, plures fructus reſpondent, ideo non ſunt tot dona quot fructus. Ceterùm, quoniam ex dono unico pietatis proficiſci videntur illa pietatis officia quibus defectibus proximi ſubvenimus, & opera miſericordiæ appellantur, congruum judicamus, ad eruditionem ſimpliciorum, de iis etiam non præterire. Aſſignantur autem in ſacro ....e ſeptem corporales hujuſmodi eleemoſynæ, & ſeptem ſpirituales. Per illas quidem proximorum defectibus corporalibus, per alias defectibus ſpiritualibus ſubvenitur. Septem

corporales eleemoſynæ ſunt iſto verſu contentæ:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Viſito, ſcilicet infirmum. Poto, ſcilicet ſitientem. Cibo, ſcilicet eſurientem. Redimo, ſcilicet incarceratum. Tego, ſcilicet nudum. Colligo, id eſt, recolligo, ſive recipio hoſpitem. Condo, id eſt, ſepelio mortuum. Et licèt Dominus in Evangelio, ubi miſericordiæ opera commemorat, quibus homo à damnatione & auditione mala in die judicij liberatur, & regnum Eccleſiæ meretur, non computet mortui ſepulturam, tamen in aliis Scripturæ locis talis eleemoſyna commendatur. At verò eleemoſynæ ſpirituales continentur hoc verſu:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Conſule, id eſt, doce ignorantem, & dirige dubitantem. Vnde in hoc duplex ſpiritualis eleemoſyna intelligitur, doctrina, & conſilium. Caſtiga delinquentem. Solare, id eſt, conſolare triſtem. Remitte delinquentibus in te. Fer, id eſt, porta infirmitates & gravamina aliorum. Ora pro omnibus. Adhuc ſeptem dona Spiritus ſancti non ſolùm in nobis omnia illa ſeptenaria virtutum, beatitudinum, petitionum, piorum operum exigunt, vel efficiunt; quin etiam ſeptem ſpiritibus immundis, id eſt, ſeptem vitiis capitalibus adverſantur.

Digitized by Google

Verbi gratia. Quippe contra ſuperbiam timor eſt, qui ad humilitatem inclinat. Contra invidiam, quæ neſcit proximo compati, donum militat pietatis. Contra avaritiam aciem inſtruit donum ſcientiæ: cujus eſt bene converſari cum hominibus, unicuique quod ſuum eſt reddendo. quod avaritiæ opponitur. Contra accidiam fortitudo decertat. Contra iram, quæ agit præcipitanter omnia, eſt donum conſilij. Contra gulam, quæ intellectum hebetat, donum eſt intellectus. Contra luxuriam donum eſt ſapientiæ. Nam guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro. Ex quibus liquet ſeptem eſſe peccata mortalia principalia: quæ ſunt, ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, accidia. Comites ſive filię ſuperbiæ ſunt, ſævitia, inobedientia, impatientia, imprudentia, ſecularis pompa, inanis gloria, jactantia, hypocriſis, novitatum præſumptio. Comites avaritiæ, quæ radix omnium malorum eſt, ſunt, rapacitas, tenacitas, contemptus fidei, proditio, fallacia, fraus, perjurium, inquietudo, & contra miſericordiam cordis obduratio. Luxuriæ comites ſunt, ventris ingluvies, veſtis & lecti mollities, ſomni reſolutio, coitus delectatio, cœcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, deſperatio

Digitized by Google

futuri. De ira procedunt audacia, faciei mutatio, imprudentia, injuſtitia, lites, contumeliæ, blaſphemiæ, ... clamor, & indignatio. De gula procedunt inepta lætitia, ſaturalitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſuum. De invidia veniunt dolor de bono alterius, gaudium de malo, ſive afflictio in proſperis proximi, exultatio in adverſis. Accidia, quæ eſt quoddam tædium boni, habet comites, ignaviam ſcilicet & torporem de omni mortali peccato. Quod tenetur memoria, neceſſarium eſt corde confiteri & ore; niſi articulus neceſſitatis Confeſſorem excluderet confiteri. Neque enim Confeſſor debet eſſe promptus ad facilè judicandum de aliquo quòd ſit mortale peccatum, niſi ſit in dictis Scripturæ vel ſanctorum expreſſum. Supereſt modò de præceptis divinæ legis loqui. Licèt enim totam legem impleat caritas ipſa, qua Deum propter ſeipſum diligimus, & proximum propter Deum, tamen hæc dilectio per decem præcepta Decalogi explicatur: quæ ita diſtribuuntur, ut prima tria pertineant ad Deum, ſcilicet ad cognitionem ejus & reverentiam, & dicuntur præcepta primæ tabulæ. Reliqua ſeptem dicuntur præcepta ſecundæ tabulæ, & pertinent ad proximum. Præceptum primum itaque eſt: *Non habebis Deos alienos.* quo

omnis infidelitas, omnis hæreſis, omnis ſuperſtitio prohibetur. Secundum eſt: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* quod eſt dicere, ſecundùm litteram: *Non jurabis pro nihilo nomen Dei.* Tertium verò eſt: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* ubi præcipitur diei dominicæ & feſtivitatum in Eccleſia ſolemnium obſervantia. Quartum eſt: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Porrò parentes ſic honorandi ſunt, ut eis reverentia merita exhibeatur, & neceſſaria miniſtrentur. Quintum eſt: *Non occides.* ubi, ſecundùm litteram, actus homicidij prohibetur; ſecundùm ſpiritum verò, omnis injuſta percuſſio, & voluntas etiam occidendi. Sextum eſt: *Non mæchaberis.* id eſt, ne cuilibet miſcearis, excepto fœdère matrimonij. A parte enim, ut Auguſtinus ait, totum intelligitur. Nomine igitur mœchiæ, omnis illicitus concubitus illorúmque membrorum illegitimus uſùs prohibitus debet intelligi. Septimum præceptum eſt: *Non furtum facies.* ubi furti nomine intelligi voluit omnem illicitam uſurpationem rei alienæ; ſicut ſunt, furtum, uſura, rapina, ſacrilegium, & hujuſmodi. Octavum eſt: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* ubi crimen perjurioſi mendacij & perjurij prohibetur. Nonum præceptum eſt: *Non deſiderabis uxorem proximi tui.*

Decimum eſt : *Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam &c.* Neque putet aliquis præceptum de non concupiſcendis rebus proximi, unum eſſe cum eo quo dicitur *Non furaberis*, & præceptum de non concupiſcenda uxore unum eſſe cum eo quo dicitur *Non mœchaberis.* Nam in illis duobus præceptis, non furandi, & non mœchandi, ipſa opera notata ſunt, & prohibita. In iis verò extremis, concupiſcentia tantùm. Hæc decem præcepta in iis verſibus concluduntur.

Vnum cole Deum, nec jures vana per ipſum.
Sabbata ſanctifices, & venerare parentes.
Non ſis occiſor, fur, mæchus, teſtis iniquus.
Vicinique thorum, réſque caveto ſuas.

Summa igitur hujus doctrinæ, quam in hac conſtitutione noſtra pro ſimplicium eruditione ſacro dictante Concilio inſeri fecimus & voluimus, & quam frequenter relegere jubemus & habere etiam penes ſe omnes noſtrarum provinciarum Preſbyteros & Rectores, hæc eſt. Diximus enim quòd articuli fidei pertinentes ad deïtatem ſunt ſeptem. Articuli pertinentes ad Chriſti humanitatem ſunt ſeptem. Virtutes theologicæ, cum cardinalibus, totidem. Sacramenta Eccleſiæ totidem. Dona Spiritus ſancti totidem. Petitiones in dominica oratione contentę ſunt totidem. Beati-

Digitized by Google

tudines totidem. Vitia capitalia totidem. Præcepta legis ſunt decem. In articulis fidei eſt, ut fideles ad petendum dona Altiſſimi dirigantur, & illuminentur. In precibus ſive petitionibus eſt, ut dona hæc impetrentur. In vitando peccata, & implendo præcepta, eſt, ut beatitudines conſequamur. Hæc ſunt igitur in quibus volumus diligenter noſtrarum provinciarum populos informari, præcipuè in articulis fidei, peccatis mortalibus, & præceptis. Hæc omnia & ſingula cum omni veneratione à laïcis ſuſcipienda præcipimus, quibus non eſt permiſſum de quibuſcunque ad fidem catholicam ſpectantibus diſceptare. Sicut autem volumus Rectores noſtrarum provinciarum atque diœceſum huic doctrinæ & prædicationi inſiſtere; ita ipſos, & cunctorum ordinum Clericos, Scolares, vel Religioſos, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quo poſſumus affectu paterno monemus, ut iis maximè temporibus, quibus crebreſcentibus cladibus guerrarum & peſtilentiarum & ceterarum adverſitatum vicinum futuri judicij diem timere poſſumus & debemus, non tam verbo quàm vita & operibus ſatagant prædicare, exemplo illo commoniti, quo legimus: *Quoniam cœpit Dominus primò facere, pòſt docere.* Nam illos Rectores

Digitized by Google

ac eccleſiaſticos viros, quorum mala vita doctrinæ bonę non conſonat, ſuggillat ac reprobat Dominus in Evangelio. De iis etiam beatus Gregorius ita ſcripſit : *Sunt nonnulli qui ſolerti cura divina præcepta perſcrutantur : ſed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Quia docent quod priùs non opere ſed meditatione didicerant ; & quod verbis docent, moribus impugnant. Sicque fit ut cùm Paſtor per abrupta graditur, in præcipitium grex ſequatur.*

De pœna vocatorum ad Concilium provinciale non comparentium.

CAP. II.

VERùM quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari ; præſentis Concilij ſanctione ſtatuimus ut Epiſcopi omnes Narbonenſis, Auxitanenſis, & Tholoſanenſis provinciarum de cetero ad ſui Metropolitani Concilium veniant, prout decet, niſi cauſa neceſſaria & urgentiſſima excuſentur. Et quicunque Epiſcopus, ab Archiepiſcopo ſuo vocatus, hujuſmodi conſtitutionis tranſgreſſor fuerit, ipſo facto pœnam juris incurrat.

De Epiſcopis, qualiter procuratorem mittere debeant, ſi juſtè fuerint præpediti.

CAP. III.

CVM, teſtante Sapientis ſententia, ſalus ſit, ubi multa conſilia, copiam ſani conſilij nequaquam coarctari expedit, ſed extendi. Idcirco ſub virtute ſanctę obedientię Epiſcopis prædictis injungimus ut cùm ipſi Epiſcopi venire ad ipſa Concilia perſonaliter fuerint legitimè impediti quò minùs ad ea venire non poſſint, procuratores conſtituant viros diſcretos alios ab illis qui per eorum Capitula, & Capitula verſa vice alios ab illis qui per Epiſcopos ſunt conſtituti.

De janitoribus Concilij, ubi debeant permanere.

CAP. IV.

ITEM ſtatuimus quòd quandocunque provinciale Concilium vel Synodum infra aliquam dictarum provinciarum celebrari contingerit, janitores, aut quivis alius officialis, quorum præſentia in Concilio vel Synodo memoratis nequaquam neceſſaria ſeu opportuna exiſtat, extra januam maneant.

Digitized by Google

Qualiter ſupplicans Concilio, Concilium exire debeat, quouſque vocetur.

CAP. V.

ITEM, quòd ſi contingerit aliquem Prælatum ſeu Canonicum cujuſvis metropolitanæ, cathedralis, aut collegialis Eccleſiarum de dictis provinciis, ſeu alium quemcumque, circa negotium aliquod ipſius Eccleſiæ nobis ſupplicare, idem ſupplicans, ſupplicatione ſua propoſita, recedere aç exire de Concilio teneatur, dum Concilium deliberabit atque diſcurret ſuper admittenda vel non admittenda petitione hujuſmodi ſupplicantis.

De Synodis ſingulis annis celebrandis.

CAP. VI.

AD memoriam reducentes ſtatuta patrum, in quibus præcipitur ut ſemel in anno per Epiſcopos ſynodalia Concilia celebrentur, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ac in virtute ſanctæ obedientię ſuffraganeis noſtris præcipimus, ut ſingulis annis per ſe vel per idoneos viros, ſi ex cauſa neceſſaria fuerint impediti, dicta ſynodalia Concilia habeant celebrare.

Digitized by Google

Qualiter Abbates ſubditi vocati ad Synodum venire debeant.

CAP. VII.

CVM non paſſim quilibet ſint admittendi vel deputandi ad ardua, ſed induſtria in talibus ſit diligentiùs exquirenda; præſentis auctoritate Concilij duximus ſtatuendum ut Archiepiſcopi & Epiſcopi Abbates eis ſubjectos ad ſynodos ſuas per cenſuram eccleſiaſticam venire compellant. Vel ſi forſan legitimo impedimento detenti fuerint quò minùs perſonaliter ad illa accedere non poſſint, procuratores deſtinent ad talia expertos, idoneos, & diſcretos, & de eorum ordinibus ſibi ſufficientes exiſtant.

Vt Rectores curam animarum habentes ad Synodum venire teneantur.

CAP. VIII.

STATUIMUS inſuper quòd omnes Clerici curam animarum habentes ad Synodum veniant cathedralis Eccleſiæ, in cujus civitate vel dioceſi commorantur, occaſione minùs legitima vel conſuetudine aliqua non obſtante. Alioquin per ſuos Ordinarios, ad eorum arbitrium, pœna debita caſtigentur.

Digitized by Google

De conſtitutionibus in Concilio provinciali aliàs editis, in Synodo reclamandis.

CAP. IX.

ITEM quòd omni anno, in ſingulis Eccleſiarum cathedralium dictarum provinciarum noſtrarum, in ſynodo, omnes conſtitutiones hujus Concilij & aliorum in dictis provinciis celebratorum, quæ quidem conſtitutiones nequaquam fuerint per hoc Concilium revocatæ, & quibus per Concilium ipſum derogatum non ſit, publicè recitentur, ne quis per ignorantiam excuſare ſe valeat ab obſervantia earundem.

De Conſervatoribus & Delegatis, abutentibus literis Domini Noſtri Papæ.

CAP. X.

STATUIMUS ut Iudices, Conſervatores, Delegati, & Subdelegati, qui ſcienter ad loca notoriè diſtantia vel non inſignia partes citare præſumunt, quique auctoritate literarum apoſtolicarum contra aliquem citando vel aliàs procedunt ad inſtantiam alicujus, niſi ſibi conſtiterit illum ad cujus inſtantiam procedunt, eum re vera vel ipſius procuratorem eſſe qui in

Digitized by Google

literis apoſtolicis hujuſmodi continetur, ſententiam excommunicationis incurrant ipſo facto. Si quis verò ſuper rebus dotalibus literas apoſtolicas impetraverit, & illarum auctoritate aliquem vel aliquos, cum quibus ratione dotis non habet aliquid quæſtionis, fecerit fatigari, auctoritate præſentis Concilij, eadem excommunicationis ſententia, qua ſuperiùs nominata, noverit ſe ligatum. Illi verò qui falsò ſe cruceſignati literas apoſtolicas impetrant, per quas alios fatigant laboribus & expenſis, eadem excommunicationis ſententia ſint ligati.

De abutentibus literis apoſtolicis in diverſis caſibus.

CAP. XI.

QVIA per abuſum literarum apoſtolicarum multi vexantur & affliguntur laboribus & expenſis, in prædicto Concilio ſtatuimus quòd tam Clerici quàm laïci, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtant, qui literis apoſtolicis abutuntur, vel literis Legatorum apoſtolicę ſedis, videlicet utendo falſis literis ſcienter, vel qui litteras nomine ſuo vel Eccleſię ſuę impetratas aliis ejuſdem nominis tradunt pro adverſariis fatigandis, & qui eas ad ſic uten-

Digitized by Google

dum recipiunt, & qui literas in forma eáque de bonis utuntur, contra quos de jure, ſecundùm formam ipſarum, dictæ literæ procedunt, vel non poſſunt extendi, aut literæ non habent, & idem de literis poſt iter arreptum, vel aliis literis apoſtolicis ſeu reſcriptis quibuſcunque, ſententiam excommunicationis incurrant, & etiam judices qui ſcienter aliquos ſic faciunt per ſuas literas fatigare. Et hanc eandem excommunicationis ſententiam incurrere volumus illos qui ad loca æquivocata aliquem citari faciunt, ut malitiosè & fraudulenter vexent & decipiant ſic citatum laboribus & expenſis. Et illos qui litteras apoſtolicas vel Delegatorum ſedis ejuſdem contra jura ſcienter & dolosè ad futuras trahunt controverſias, quæ nondum fuerunt tempore impetrationis exortæ.

De bannis exortis & præconiſationibus factis contra libertates & conſuetudines Eccleſiæ.

CAP. XII.

STATUIMUS quòd quicunque contra eccleſiaſticas conſuetudines, libertates, ſeu obſervantias aliquas, ſtatuta, banna, prohibitiones, vel præconiſationes, aut præcepta ſcienter fecerint, aut fieri

Digitized by Google

procuraverint aut ſervari, ſeu facientibus vel ſervantibus in hoc conſilium vel opem directè vel indirectè præſtiterint, per dioceſanos locorum, aut officiales vel procuratores eorum, præſentis auctoritate Concilij moneantur ut infra quindecim dies à tempore monitionis hujuſmodi numerandos ſtatuta, banna, prohibitiones, præconiſationes, & præcepta hujuſmodi cum effectu debeant revocare, ad conſimilia nunquam ulteriùs proceſſuri. Alioquin excommunicationis ſententiam, quam ex nunc in ipſos ferimus, ſint ligati.

Ne Prælati vel aliæ perſonæ eccleſiaſticæ bona Eccleſiarum vacantium, niſi privilegio, vel conſuetudine, aut de jure, præſumant occupare.

CAP. XIII.

HAC inſuper provida conſtitutione perpetuò valitura ſtatuimus quòd nullus omnino Prælatus, Abbas, Prior, vel Patronus, Clericus, vel laïcus, cujuſcunque conditionis, vel ſtatus, vel dignitatis, ordinis, vel religionis exiſtat, bona Eccleſiarum vacantium metropolitanæ vel ſuffraganeæ, abbatię, prioratuum, vel alterius cujuſcunque monaſterij, vel Eccleſiæ, ſeu beneficij, officij, vel adminiſtrationis

Digitized by Google

eccleſiaſticæ, vel per proviſionem, aut mortem, vel reſignationem, aut mutationem, vel abſolutionem, aut aliàs quoquomodo vacantium, capere per ſe vel per alium, aut occupare vel uſurpare præſumat, niſi ſibi vel privilegio aut conſuetudine hoc liceret. Quod ſi faceret, ipſe excommunicationis ſententiam incurreret ipſo facto.

De non contrahendis colligationibus vulgariter Societates nuncupatis, & de pœnis eorundem.

CAP. XIV.

ITEM, quia ex pravo abuſu in quibuſdam provinciarum noſtrarum partibus inolevit, quòd nobiles..... plerunque, & interdum alij, colligationes, ſocietates, & conjurationes faciunt tam canonicis quàm humanis legibus interdictas, ſemel in anno, ſub confratriæ nomine, ſe in loco opportuno congregantes, ubi congregationes, conventicula, & colligationes faciunt, & pacta juramento vallata ineunt quòd ſe adverſus quoſcunque, præterquam dominos ſuos, ad invicem adjuvabunt, ſe omnes veſte conſimili, cùm aliquibus ſignis exquiſitis vel caracteribus, induentes, unum majorem inter ſe eligunt, cui

Digitized by Google

cui jurant in omnibus obedire, ex quibus juſtitia offenditur, mortes & damnationes ſequuntur, pax & ſecuritas exulantur, innocentes & inopes opprimuntur, & Eccleſiæ ac eccleſiaſticæ perſonæ, quibus tales opidò ſunt infeſti, in perſonis, rebus, juribus, & juriſdictionibus injurias diverſas & damna plurima patiuntur, nos volentes iis auſibus peſtiferis & conatibus perverſis exemplo occurrere, & de remedio poſſibili providere, & à peccato ſubditos noſtros, prout ex paſtorali incumbit officio, cohibere, auctoritate præſentis Concilij omnes conventiculas, colligationes, ſocietates, & conjurationes, quas confraternitates vel confratrias appellant, ab olim factas per Clericos vel laïcos, cujuſcunque gradus, ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, necnon prædictas conventiones, ordinationes, & pacta inter eos inita & habita, irritamus, diſſolvimus, & caſſamus, & caſſas & caſſa, irritas & irrita, nuntiamus; decernentes omnia juramenta ſuper obſervandis prædictis præſtita aut illicita aut temeraria, nullum teneri volumus ad obſervantiam eorundem, à quibus juramentis eos etiam relaxamus, ut tamen pro incauto ſacramento à ſuis Confeſſoribus pœnitentiam ſuſcipiant ſalutarem; auctoritate prædicta prohibentes eiſdem, ſub excommu-

nicationis pœna, quam venientes in contrarium, poſtquam præſens ſtatutum in Eccleſiis, quarum ſunt parrochiani, fuerit per duos dies diverſos publicatum, incurrere volumus ipſo facto, quòd occaſione prædictarum colligationum, ſocietatum, conventionum, & juramentorum abinde inantea ſimul non conveniant, hujuſmodi confraternitates non faciant, alter alteri non obediat, nec præſtet adjutorium nec favorem; nec veſtes, ſigna rei jam damnatæ probantes, deferant; nec ſe confratres, Abbates, Priores prædictæ ſocietatis appellent; quinimo infra decem dies à tempore dictæ publicationis unuſquiſque alios, quantum eſt in eo, à prædictis juramentis relaxet, & ſe nolle de prædicta ſocietate ulteriùs exiſtere publicè proteſtetur. Prohibemus etiam quòd amodo tales conjurationes, conſpirationes, conventicula, etiam ſub nomine confratriæ, non fiant. Alioquin & de facto attentatas caſſamus & irritamus, & faciéntes & attentantes excommunicationi, à qua niſi per ſuum ordinarium, præterquam in mortis articulo, nullatenus abſolvantur, volumus ſubjacere. Per hoc autem confraternitates olim in honorem Dei & beatæ Mariæ & aliorum ſanctorum & pro ſubſidio pauperum introductas, in quibus conjurationes & juramenta

non intervenerunt hujuſmodi, non intendimus reprobare.

De impeditoribus electionum & poſtulationum, & qualiter puniantur.

CAP. XV.

IRREFRAGABILI conſtitutione ſancimus ut quicunque electionem, poſtuationem, præſentationem, ſeu quamvis aliam proviſionem canonicam de beneficio, vel dignitate, adminiſtratione Eccleſiarum impediunt patenter vel clam, & cuncti qui per ſe vel alios gravare præſumpſerint electores, poſtulatores, proviſores, præſentatores in perſonis & beneficiis vel aliis bonis ſuis eccleſiaſticis, monaſteria, loca pia, conſanguineos, vel bona prædictorum, pro eo quòd rogati ſeu aliàs inducti . . . . . . quo rogabantur ſeu inducebantur eligere, ſeu præſentare, vel poſtulare, aut ei providere, ſint excommunicationis vinculo ipſo facto innodati. Et ultra hoc, ſi Clerici vel regulares fuerint, ſint ipſo facto per annum fructibus beneficiorum quæ obtinuerint privati. Et ſi laïci fuerint, prædictam excommunicationis ſententiam incurrant: à qua non poſſint, præterquam in mortis articulo, niſi ab eorum Ordinario, ſatisfactione præhabita, abſolvi.

Digitized by Google

Ne ſuper pacifica poſſeſſione beneficij eccleſiaſtici infeſtetur.

CAP. XVI.

STATUIMUS quòd quicunque malitiosè ſeu fraudulenter procurat impedimenta fieri ſuper pacifica poſſeſſione obtinenda beneficij ſibi collati, vel impedimentum appoſitum repellere deſinit negligenter, ultra pœnas à jure ſcriptas, excommunicationis ſententia ſit ligatus.

Ne quis dignitates aut alia beneficia præſumat occupare.

CAP. XVII.

HUjus ſacri Concilij edicto ſtatuimus quòd ſi quis beneficium, cui cura imminet animarum, propria auctoritate vi occupaverit, ſeu ſe ſcienter intruſerit in eodem, ipſo jure privatus exiſtat beneficio quod cum cura ſimiliter primitus obtinebat. Item ſi quis voluntate propria violenter dignitates, perſonatus, aut quæcunque alia beneficia eccleſiaſtica occupare præſumpſerit, eo ipſo privatus exiſtat jure, ſi quod ſibi competebat primitus in eiſdem.

***

Digitized by Google

Vt beneficiorum incompatibilium pluralitas debeat evitari.

CAP. XVIII.

CVM ſingula officia ſingulis ſint committenda perſonis, & unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere; obſervari præcipimus, ut nullus cujuſcunque Eccleſiæ Canonicus regularis vel ſecularis duos perſonatus, aut duas dignitates, vel præpoſituras, ſeu adminiſtrationes, aut duo officia, aut eorum alterum cum reliquo inſimul, & prædicta, in eadem Eccleſia obtineat, vel jam obtenta retinere præſumat, conſuetudine aliqua etiam juramento vallata non obſtante, cùm dicenda ſit potiùs corruptela. Nec aliqui monachi vel religioſi alij pluribus prioratibus vel Eccleſiis curam animarum habentibus, etiamſi cura eadem non per ipſos ſed per Preſbyteros ad eorum præſentationem per Epiſcopos inſtitutos, præeſſe præſumant abſque diſpenſatione ſedis apoſtolicæ ſpeciali; niſi fortè unus ex eis vel ab alio dependeat, vel adinvicem ſint annexi. Et ſi ſecus factum fuerit, irritum ſit, & tranſgreſſores eo ipſo ſint ineligibiles, & tanquam ambitioſi, ab utroque penitùs repellantur.

Digitized by Google

Quòd negligentia inferiorum in acquirendis & retinendis beneficiorum ſuorum juribus & ordinationes ſuppleantur.

CAP. XIX.

ITEM ſtatuimus quòd quæcunque eccleſiaſticæ perſonæ juriſdictioni noſtræ ſubjectæ, cujuſcunque conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ exiſtent, in quacunque noſtrarum provinciarum, jura & deveria quæcunque uſibus & conſuetudinibus ipſarum eccleſiaſticis beneficiis, abbatiis, prioratibus, perſonatibus, dignitatibus, & officiis debita viriliter omnibus remediis, quibus ſe juſtè juvare acquirendo ac retinendo poterunt, & retineant, & requirant, adeo quòd non poſſint de negligentia per ſuperiores redargui vel puniri. Et ſi dictæ perſonæ in jamdictis negligentes fuerint vel remiſſæ, earum ſuperiores poſſint earundem ſupplere defectum, ac exigere, acquirere Eccleſiis, & petere antedicta.

Ne ignorantes grammaticam præſententur, aut ad ordines . . . . promoveri.

CAP. XX.

QVONIAM illi ſunt ad honores eccleſiaſticos promovendi qui mori-

Digitized by Google

bus ætatis & ſcientiæ pollere noſcuntur; ſtatuimus, prohibentes, ne ad ſacros promoveantur ordines, niſi perſonæ quæ grammaticam ſciant, ſeu latinis verbis loqui valeant competenter. Illi verò ad quos ratione dignitatum vel perſonatuum quos obtinent competit examinare Clericos, & ad ordines præſentare, propenſiùs caveant, ſi hujuſmodi cupiunt honore gaudere, ne defectum ſuper hoc patientes ſcienter ad ordines audeant præſentare. Poteſtatem autem diſpenſandi ſuper iis ex cauſa & ...... nititur, per hoc non intendimus Epiſcopis interdictam.

Qualiter leproſi à ſanis ſeparentur, & qualiter ex ſignis eorum cognoſcantur.

CAP. XXI.

LICET compaſſivæ miſerationis effectu diligendi ſint, fraternæque caritatis brachiis ſint complectendi Chriſticolæ, quos divino judicio corporalis lepræ morbus exulcerat; tamen quia morbus ipſe contagioſus exiſtit, & ſerpit in ſanorum corpora per contactum; nos volentes eorum communionis periculo præcavere, ſtatuimus ut leproſi hujuſmodi à ſanis Chriſticolis maneant ſequeſtrati, nec communes intrent Eccleſias, neque forum, aut ma-

Digitized by Google

cellum, vel tabernas, ſive alia loca ſanis communia, nec pannos portent virgatos ſeu coloratos, nec pilos, aut comas, nec ſepeliantur cum ſanis, ſignáque in veſtibus deferant per quæ à ſanis patenti differentia cognoſcantur per dioceſanos ordinanda, quòdque per Ordinarios compellantur ad obſervantiam præmiſſorum.

Ne ſine literis ſuorum ſuperiorum, alienigenæ Presbyteri ad divina admittantur.

CAP. XXII.

STATUIMUS etiam quòd Ordinarij Clericos aut Religioſos quoſcunque de alienis & remotis dioceſicibus ſe ad ſuas dioceſes transferentes ad divina officia publicè non admittant ſine ſuorum literis Prælatornm.

De non erigendis altaribus in præjudicium dioceſanorum, & eorum pœna.

CAP. XXIII.

ITEM ſtatuimus quòd ſi aliquis Clericus, Religioſus, vel laïcus, in aliqua provinciarum noſtrarum abſque licentia dioceſani ſui altare de novo ædificare vel aliquam juriſdictionem de novo ſibi uſurpare præſumpſerit in Ordinariorum vel

Digitized by Google

Ordinarij locorum ſeu loci præjudicium vel gravamen, ipſe Clericus, Religioſus, vel laïcus auctoritate noſtra & præſentis Concilij ex tunc, quaſi ex nunc, ſit excommunicationis ſententia innodatus.

Vt falſi & ficti, qui ſe aſſerunt Apoſtolos, evitentur.

CAP. XXIV.

CVM quidam, qui ſe dicunt Apoſtolos, & Religioſos ſe fingunt, extiterint ſuis exigentibus demeritis per ſedem apoſtolicam excommunicationis vinculo innodati, & poſtmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehenſi, síntque periculoſi homines circa fidem; volumus, & etiam ordinamus, quòd ubicunque inventi fuerint, capiantur, & dioceſanis, in quorum dioceſibus capientur, remittantur examinandi, corrigendi, & etiam puniendi.

Sine licentia Ordinarij, de cauſis matrimonialibus Archidiaconi non cognoſcant.

CAP. XXV.

STATUIMUS inſuper quòd nullus Archidiaconus de cauſis matrimoniorum vel ſponſaliorum cognoſcere, vel circa ea

cenſura eccleſiaſtica uti valeat, ſine mandato ſui Archiepiſcopi vel Epiſcopi ſpeciali. Et ſi quid præſumptum ſecus fuerit, viribus careat ipſo facto; niſi de præſcripta legitima conſuetudine aut privilegio aliud ſit obtentum.

Vt gratis cauſæ apud Ordinarios examinentur, conſuetudine tamen ſuper hoc obſervata.

CAP. XXVI.

STATUIMUS, & ordinamus, atque præcipimus; quòd quilibet noſtrum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, atque Officiales noſtri, & Clerici cujuſcunque dictarum provinciarum noſtrarum ordinariam juriſdictionem habentes, gratis cauſas examinent, ſententias ſponte proferant, nullam inde pecuniam recipientes; ſalvo eo quod pro juſtitia, ratione dominationis, debetur. Notarius autem ſalarium pro labore percipiat temperatum.

Vbi, & penes quos, cauſæ matrimoniales debeant agitari.

CAP. XXVII.

VT animarum periculum evitetur, ſtatuimus ut nullus noſtrum Archiepiſ-

Digitized by Google

coporum, & in virtute ſanctæ obedientiæ univerſis Epiſcopis noſtrarum provinciarum præcipiendo mandamus, ne cauſas matrimoniales ad eorum forum ſpectantes ſub generali vel ſpeciali commiſſione audiri vel decidi permittant, niſi per illos qui ſtatuta canonum non ignorent, & peritiam habeant judicandi, in civitatibus vel locis inſignibus, ubi haberi poteſt copia peritorum. Aliàs, proceſſus ſit irritus & inanis. Per hoc tamen receptionem teſtium extra loca prædicta, ubi opportuerit, non intendimus prohibere.

Ne ſuffraganei impediant provocantes ad Metropolitanum.

Cap. XXVIII.

Cvm honor debitus ſuperioribus ex obedientia & reverentia debeatur, & omnis ordo confundatur eccleſiaſticus, ſi ſua unicuique juriſdictio non ſervetur; ſtatuimus ut ſuffraganei Eccleſiarum noſtrarum, eorúmque Officiales, & Vicarij, ipſis ſuffraganeis agentibus in remotis, appellantes vel recurrentes ad nos ſeu noſtras curias, quarum juriſdictio ad nos pertinet de conſuetudine vel de jure, non impediant quomodolibet, vel perturbent; nec judicent, ſtatuant, præcipiant aliquid; nec

fatigent eorum ſubditos aliquatenus per ſe vel alios, quò minùs noſtra vel curiarum noſtrarum ſeu commiſſariorum noſtrorum mandata in præmiſſis liberè exequantur.

Vt temporales domini Ordinarios non impediant ut ubi voluerint cognoſcant; & de pœnis eorundem.

CAP. XXIX.

CVM in jure cautum exiſtat Archiepiſcopos & Epiſcopos in totis ſuis diœceſibus juriſdictionem ordinariam obtinere, & in quolibet loco ſuarum diœceſum non exempto per ſe vel alium poſſe pro tribunali ſedere, cauſas audire ſpectantes ad forum eccleſiaſticum, & perſonas eccleſiaſticas, cùm earum exceſſus exegerint, capere, & carceribus mancipare, aliáque omnia & ſingula ad ſua ſpectantia officia liberè exercere, & nonnulli domini temporales, judices, ſeu officiales eorundem, libertatem eccleſiaſticam ſacrorúmque ſtatuta canonum offendere in animarum ſuarum grande periculum non verentur, perſonas eccleſiaſticas, quas in diverſis locis noſtrarum civitatum vel diœceſum ac provinciarum, ſuis exceſſibus & delictis exigentibus, per ſuos Ordinarios capi & carceri mancipari contingerit, interdum de carce-

ribus extrahunt violenter, impediendo quò minùs de eorum delictis ac exceſſibus per judices eccleſiaſticos, ad quos pertinet, exhibere liberè valeant juſtitiæ complementum; nos obviare damnandis auſibus júſque ſervare ſuper iis in eiſdem civitatibus & diœceſibus ac provinciis cupientes, hoc præſenti approbante Concilio ſtatuimus quòd omnes & ſinguli temporales domini, judices, vel officiales eorum, qui talia de cetero in eiſdem provinciis & civitatibus vel diœceſibus præſumpſerint attentare, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, eorúmque terræ & loca, niſi infra decem dies poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti, ex tunc eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, donec reis ſpoliatis carceribus plenariè liberè reſtitutis, & Ordinario, cujus juriſdictionis ſunt, emendam præſtiterint condecentem.

De impeditoribus nunciorum exequentium mandata Curiæ Ordinariorum, & qualiter puniantur.

CAP. XXX.

SI quis nuncios ſeu exequtores noſtros ſeu ſuffraganeorum ſeu Officialium noſtrorum, eorúmque miſſos per nos vel eos pro convocandis Conciliis, ſynodis,

Digitized by Google

citationibus, vel executionibus de cauſis ad formam eccleſiaſticam ſpectantibus faciendis quibuſcunque, indebitè per ſe vel alium vel alios clam vel palam impediverit, arreſtaverit, literas eiſdem abſtulerit, fregerit, deleverit, vel occultaverit, percuſſerit, vel in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum dederit conſilium, auxilium, vel favorem, eo ipſo ſit excommunicationis vinculo irretitus. Et ſi dictam excommunicationis ſententiam per ſex dies ex tunc immediatè ſequentes animo indurato ſuſtinuerit abſque ſatisfactione competenti, locus cum parochiis, in quo dicti exceſſus ſeu alter eorundem commiſſi fuerint, eo ipſo eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Quod interdictum Rector obſervet, mandato ſuperioris non expectato.

Qualiter excommunicati, ad requiſitionem Ordinariorum debeant in aliis dioceſibus excommunicari.

CAP. XXXI.

ITEM ſtatuimus quòd, ex quo per propriam civitatem & dioceſim per Prælatum aliquem excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententia fuerit publicata, & ibidem exigente rebellione ac inobedientium duritia per x. dies extiterit ſo-

lemniter & publicè aggravata, licitum ſit eidem Prælato, hujuſmodi auctoritate Concilij, ceteros Epiſcopos & Prælatos requirere ut dictas ſententias, quarum tenores & cauſas declaret in ſcriptis, in ſuis diſtrictibus ſervent & faciant obſervari, publicent & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et Prælatus ſuper hoc requiſitus obtemperare teneatur.

Vt nullus in ſacris, aut beneficiatus, in Curia ſeculari ad officia publica nec privata admittatur; & de pœnis eorundem.

Cap. XXXII.

VT nullus Clericus habens curam animarum, vel in ſacris Ordinibus conſtitutus, poſſit eſſe de cetero in judiciis ſive cauſis in curia ſeculari advocatus, procurator, ſindicus, vel actor pro aliquo laïco, niſi in caſibus in jure expreſſis, vel judex etiam, vel Ballivus in exercenda juriſdictione domini temporalis. Quòd ſi monitus, infra menſem non deſtiterit, ex tunc, ſi beneficiatus fuerit, beneficiis ſuis auctoritate præſentis Concilij, quandiu perſtiterit in præmiſſis, ſuſpendatur. Non beneficiatus verò à liminibus Eccleſiæ arceatur, quandiu perſtiterit in præmiſſis.

Digitized by Google

Qualiter perſona eccleſiaſtica, dans conſilium contra libertatem eccleſiaſticam, puniatur.

CAP. XXXIII.

ITEM, quòd quælibet perſonæ eccleſiaſticæ regulares, vel beneficiatæ, vel in ſacris ordinibus conſtitutæ, ſecularium fortè Principum curias & conſilia frequentantes, majores vel minores vel mediæ, cujuſcunque dignitatis, ordinis, conditionis, vel ſtatus exiſtant, ſi ſcienter contra eccleſiaſticam libertatem in præjudicium alicujus Eccleſiæ vel Prælati aut Rectoris Eccleſiæ conſilium vel favorem aut juvamen eccleſiaſticæ libertati contrarium dederint daríve procuraverint publicè vel occultè, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Si verò dictam ſententiam per annum ſuſtinuerint animo indurato, ſint eorum beneficiis ipſo facto privati. Et ſi beneficia non obtinent, ab officio ſint ad triennium ſuſpenſi.

Ne beneficiatus pro laïco contra Eccleſiam Advocatus exiſtat.

CAP. XXXIV.

CVM Eccleſia una ſit, unum Deum prædicet atque colat, & omnia quæ ipſa

ipſa Eccleſia habet; ſit unum patrimonium Crucifixi, quilibétque Clericus beneficiatus, qui de ipſo patrimonio vivit, ipſam non impugnare, imò defendere teneatur; idcirco præſenti conſtitutione ſtatuimus perpetuò valitura, quòd nullus beneficiatus in aliqua cauſa, quam Clericus aliquis contra aliquem laïcum ratione ſui beneficij habeat, agendo vel defendendo in judicio eccleſiaſtico, vel etiam ſeculari, laïco contra Clericum, niſi in caſibus in quibus permiſſum eſt Clerico coram ſeculari judice poſtulare, impendat patrocinium in judicio vel extra, publicè vel occultè, Advocati ſeu procuratoris officium exercendo. Facientes contrarium fructibus beneficiorum ſuorum per annum ſint privati; medietate applicanda Ordinario, & alia fabricæ dictæ Eccleſiæ per Ordinarium exigenda.

Quomodo qui per vim aut metum ſe abſolvi faciunt, alia cenſura arceantur.

CAP. XXXV.

QVICUNQUE judices eccleſiaſticos ordinarios, delegatos, vel ſubdelegatos, abſolutionis vel relaxationis cujuſlibet excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiarum beneficium impen-

Digitized by Google

dere vi vel metu compulerint, per locorum Ordinarios excommunicati publicè nuntientur, & dictum abſolutionis vel relaxationis beneficium ſic obtinentes excommunicati vel interdicti, denuntientur publicè aliquatenus non teneri. Et ſic abſolutiones vel relaxationes obtinentes, excommunicati vel interdicti denuntientur publicè, ſicut priùs. Eadem excommunicationis ſententia ligari volumus quoſcunque qui conſimili modo Bajulos temporalitatis Eccleſiæ, ſeu Conſules, vel quoſcunque alios temporales Officiales quoquomodo vexant, ut citiùs abſolutionis beneficium conſequantur.

Ne judices temporales Clericos in act. . . . . . . ariam ipſis reſpondere compellant, nec . . . . . . vel injuſta ſit lata cognoſcant; & de pœnis eorundem.

CAP. XXXVI.

ITEM, quòd nullus dominus temporalis, judex, ſeu delegatus ejuſdem, cujuſcunque conditionis, ſtatus, aut dignitatis exiſtat, Clericum aut perſonam eccleſiaſticam aliquo modo coram ſe ſuper criminibus vel perſonalibus citet vel citari faciat, ſeu quoquomodo diſtringat, exceptis cauſis feudalibus in caſibus à jure con-

ceſſis. Quod ſi fecerit, & ...... perſtiterit, & infra VIII. dies ſe non correxerit, & quod incautè præſumpſerit non relaxaverit, ex tunc excommunicationis ſententiam incurrat. Similem pœnam excommunicationis partes, ad cujus inſtantiam trahuntur, incurrant, ad judicium ſeculare advocantes. Item, quòd de excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis, ſcilicet an juſtè latæ fuerint vel injuſtè, vel de aliis cauſis ſpiritualibus vel eccleſiaſticis, ſeu ad forum eccleſiaſticum de jure vel antiqua conſuetudine & obſervantia ſpectantibus, ſe nullatenus intromittant, nec judices eccleſiaſticos vel perſonas ſuper iis recurrentes ad illos in hujuſmodi quomodolibet impediant vel perturbent, nec ſuper prædictis dent auxilium, conſilium, vel favorem. Aliàs prædicta excommunicationis ſententia ſint ligati; & locus ubi contra ſtatutum hujuſmodi per ſupradictos Iudices, Bajulos, Conſules, Officiales, & quemvis alium temporalem aliquid factum fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. A qua quidem ſententia irretiti, eadem nullatenus abſolvantur, nec interdictum relaxetur hujuſmodi, niſi ſatisfactio priùs facta fuerit, vel impenſa. Et locus ubi contra conſtitutionem præſentem aliquid fuerit per temporales Officia-

Digitized by Google

les ordinatum, eo ipſo eccleſiaſtico ſit ſuppoſitus interdicto, donec omnia cum effectu fuerint revocata.

Ne ad publica officia excommunicati admittantur.

CAP. XXXVII.

HVjusmodi inſuper Concilij ſacra & perpetuò valitura conſtitutione ſancimus quòd nulli publicè excommunicati in Iudices, Conſules, Rectores, Bailivos, Poteſtates, Aſſeſſores, vel Notarios, aut ad quævis officia publica aſſumantur quomodolibet, nec etiam admittantur. Et ſi de facto admiſſi fuerint, ſententiæ per tales vel eorum aliquem & quicunque proceſſus per eos vel eorum auctoritate in judicio vel extra habiti & munimenta coram ipſis vel per ipſos facta ſint nulla & nulli ac irriti eo ipſo. Et quicunque, cujuſcunque dignitatis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, ſi tales excommunicatos ad aliquod hujuſmodi officiorum ſcienter aſſumpſerint, vel aſſumptos per alios approbaverint vel confirmaverint, ſimilem incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto.

* *
* * *

Digitized by Google

Qualiter capti Clerici per temporales, Curiæ eccleſiaſticæ remitti honeſtè debeant, & ſine ulla innovatione facta in perſonis captorum. Contrafacientes pœna hic contenta puniantur.

CAP. XXXVIII.

QVIA malitiis hominum eſt occurrendum, nos attendentes quòd nonnulli domini temporales, Seneſcalli, Vicarij, & alij ſecularium curiarum Officiales, prout comperimus, manus temerarias ad capiendum Clericos paſſim & indifferenter aliáſque perſonas eccleſiaſticas incurialiter & eo modo quo poſſunt turpiùs ad majorem confuſionem Eccleſiæ, extendere non verentur, quin imò ipſos ſuis carceribus mancipant, & ibidem nonnunquam eos radi faciunt totaliter vel tonderi, & mutare habitum cogunt, ſeu etiam permittunt, confingentes tales Clericos non fuiſſe, vel non eſſe in poſſeſſione clericatus, ſeu quaſi, in ſuarum periculum animarum & enervationem eccleſiaſticæ libertatis, prohibemus ne à quocunque talia vel ſimilia de cetero attententur; & talia attemptantes, ſeu facientes, cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtant, ſive ſint laïci, ſive eccleſia-

ſticæ perſonæ ſeculares vel etiam regulares, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Si verò flagrante crimine capi eos contingerit, ipſos quantocitiùs poterunt ad curiam eccleſiaſticam ducant, & eos reſtituant ſine fraude. Si tamen de nocte tales ceperint, debeant in craſtinum, ſine retentione rerum ſuarum, vel læſione perſonarum ſuarum, ſine requiſitione alia reddere eos curiæ ſupradictæ; nec eis liceat aliquid à captis hujuſmodi .... ſub colore aliquo extorquere, vel recipere gratis data. Et ſi in ...... caſtris vel villis captionem hujuſmodi fieri contingat, adducant ipſos, quantocitiùs poterunt, ad eccleſiaſticam curiam, vel tranſmittant ſub fida cuſtodia, & expenſis ipſius .... Quòd ſi ſecus egerint, vel in fraudem aliquid ſuper hoc attentaverint, excommunicationis ſententia involvantur. Et ſi Clericum detentum de loco ad locum mutaverint, omnia loca illa tamdiu ſint & remaneant interdicta, donec Clericum captum cum rebus ſuis dioceſano reſtituerint, & de injuria irrogata ad arbitrium dioceſani ſatisfecerint competenter.

Prorogatio juriſdictionis in invaſores & occupatores eccleſiaſticorum bonorum, & ſententiam exercendo.

CAP. XXXIX.

CVM quanto quis paſſus injuriam in majori ſtatu exiſtit, atrocior injuria judicetur, & ideo ſit cautiùs & uberiùs providendum; igitur ſi cui noſtrum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum vel Eccleſiarum noſtrarum, ſeu noſtrorum familiariorum Clericorum, in perſonis vel rebus fuerit injuria vel violentia irrogata, ſicut poſſet quilibet ex nobis Archiepiſcopis & Epiſcopis & noſtris Officiariis & Vicariis ac Vicegerentibus & locatenentibus procedere de jure, conſuetudine, vel ſtatuto contra injuriatores, violatores, & turbatores hujuſmodi, ſi in propria dioceſi facta eſſent, ſic etiam poſſint ſi extra propriam dioceſim & provinciam, dum tamen infra noſtras provincias ſint commiſſa, ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicij, citare, informationes recipere, inquirere, diffinire, declarare, & omnem juriſdictionem & cenſuram eccleſiaſticam exercere ad ſatisfactionem ſufficientem & debitam obtinendam. Per hoc autem non intendimus quòd Ordinario præjudicium genere-

Digitized by Google

tur quin etiam ex officio poſſit procedere ad pœnam debitam imponendam, ac etiam ad faciendum ſatisfieri injuriam paſſis, ſi ab eis fuerit requiſitus. Et ut prædicta omnia roboris obtineant firmitatem, nos omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi & procuratores Epiſcoporum abſentium ſuper iis plenam & expreſſam concedimus facultatem, nec obiri valeat contra tales proceſſus, quos extra territorium jus dixerit ſic procedens. Quia, quoad præmiſſa & quemlibet præmiſſorum, juriſdictionem noſtram & noſtrorum cujuſlibet viciſſim inter nos omnes in noſtrum ſingulos prorogamus, vices noſtras nobis adinvicem, & dictarum provinciarum, civitatum, & dioceſum ſingulis cujuſcunque noſtrum Officialibus & locatenentibus præſentibus & futuris in ſolidum committentes, univerſiſque noſtris ſubditis injungentes ut in præmiſſis ſic procedenti pareant & intendant. Quod niſi fecerint, poſſit procedens per cenſuram eccleſiaſticam animadvertere in eoſdem. Et nihilominus, ſi nos Archiepiſcopi aut Epiſcopi ſic procedentes requiſiti prætermiſerimus ſuas in hac parte juſtas requiſitiones aliquatenus exaudire, aut id ſuper quo requiſiti fuerimus non curaverimus infra quindecim dies perducere ad effectum, requiſitus eo ipſo per unum menſem

Digitized by Google

auctoritate præſentis Concilij à pontificalibus ſit ſuſpenſus. Statuto hujuſmodi per decennium, & pòſt per aliud ſequens decennium, niſi interim revocatum fuerit; valituro. Ita tamen quòd per hoc ſic procedenti in aliena civitate vel dioceſi nullum jus aut juriſdictio in poſterum ex longinquitate temporis, vel poſt ſtatutum proximum terminum, acquiratur.

Super cauſis merè ſpiritualibus, aut de jure vel conſuetudine ad forum Eccleſiæ pertinentibus, judex eccleſiaſticus cognoſcat, ſecularis judex arceri poſſit.

Cap. XL.

Cvm nonnulli temporale dominium obtinentes, ſeu ſecularis juſtitiæ poteſtatem gerentes, officium juriſdictionis ſanctæ matris Eccleſiæ ſubvertere vel minuere exquiſitis aſtutiis moliantur; nos eorum malitias ultione canonica reprimere cupientes, approbante præſente Concilio ſtatuimus inhibendo ne quis in foro eccleſiaſtico litigantes ſeu litigare volentes ſuper cauſis merè eccleſiaſticis, ſive quę ad forum Eccleſię de antiqua & approbata conſuetudine & hactenus obſervata pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellant, ſeu aliàs quoquo modo cogant per

ipſorum vel parentum ac conſanguineorum ſeu rerum eorum vel parentum ac conſanguineorum hujuſmodi captionem, modiſve aliis quibuſcunque. Si verò contra fecerint, p........ excommunicationis ſententiæ auctoritate præſentis Concilij ſe noverint ſubjacere.

Quòd de omnibus contractibus, tam vaſſalaticis, quàm emphiteotecariis, duo fiant publica inſtrumenta.

CAP. XLI.

STATUIMUS inſuper & perpetuò ordinamus quòd de omnibus contractibus, tam vaſſalaticis, quàm emphiteotecariis, rerum eccleſiaſticarum, infra noſtras provincias deinceps duo fiant neceſſariò publica inſtrumenta per alphabetum diviſa: quorum unum penes ſe habeat dominus eccleſiaſticus, & alterum vaſſallus ſeu emphiteota.

Ne apud creditores inſtrumenta remaneant, poſtquam eis fuerit ſatisfactum; pœnáque eos remanenti.

CAP. XLII.

CUM nulla juris patiatur ratio quòd bis idem debitum exigatur; nos volentes materiam exigendi bis idem debi-

Digitized by Google

tum, & vexationem indebitam, quantum poſſumus, amputare, ſtatuimus quòd nullus creditor Chriſtianus vel Iudæus, poſtquam ſibi fuerit integrè de debito ſatisfactum, poſſit nec debeat inſtrumentum vel mandamentum ſoluti jam debiti retinere: niſi forſitan creditor ad aliquam cautelam vellet inſtrumentum prædictum vel mandamentum in præſentia ſolventis cancellatum & ruptum penes ſe conſervare; ac etiam apocham, ſi petatur, teneatur facere de ſoluto. Creditor autem ſi poſtquam per debitorem ſoluto debito fuerit requiſitus, reſtituere vel rumpere & cancellare non curaverit inſtrumentum vel mandamentum prædicta, ſi Chriſtianus fuerit, eo ipſo auctoritate præſentis Concilij excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto. Eandem excommunicationis ſententiam incurrere volumus creditores Chriſtianos, qui in animarum ſuarum detrimentum bis idem debitum in totum vel in parte exigere nituntur. Si verò Iudæi fuerint, à participatione fidelium ſint excluſi.

Vaſſalli Eccleſiæ, vel emphiteotæ, in alium transferendo res vaſſalaticas, in contractu exprimant qualiter ab Eccleſia teneant. Quod ſi omittant dicere, pœna excommunicationis puniantur.

CAP. XLIII.

QVIA quidam ſuæ ſalutis immemores, tenentes ab Eccleſia caſtra, villas, domos, terras, nemora, vel prata, ſeu quaſvis alias poſſeſſiones in emphiteoſim, vel ſub certo feudo, dominio, ſenhoria, cenſu, ſervitio, penſione, vel præſtatione quacunque, plerunque illas & illa vendunt, permutant, vel donant, ſeu aliàs ignorante domino diſtrahunt, nulla de emphiteoſi, feudo, dominio, ſenhoria, cenſu, ſervitio, penſione, vel præſtatione, quòd ab Eccleſia teneatur, habita mentione, quinimò interdum ipſas ſeu ipſos, tanquam ab omni cenſu, ſervitio, & penſione, vel minori parte, ſeu quovis alio jure Eccleſiæ debito liberos, alienant; nos tam ſaluti talia volentium attentare quàm indemnitati Eccleſiarum providere volentes, ſtatuimus quòd quicunque tenens ab Eccleſiis noſtris vel aliis perſonis eccleſiaſticis nobis ſubjectis caſtra, villas, domos, poſſeſſiones, vel alias res immobiles, ſeu loca,

Digitized by Google

vel jura, cùm ad venditionem, donationem, permutationem, ſeu quamvis aliam alienationem eorum vel earum duxerit procedendum, de feudo, emphiteoſi, etiamſi cautio vel penſio propterea non ſolvatur, cenſu, ſervitio, dominio, vel ſenhoria, penſione, ſeu quavis alia præſtatione eiſdem Eccleſiis debitis, etiamſi in alienatione de jure vel conſuetudine non ſit illius à quo tenentur requirenda ſcientia vel conſenſus, plenam & expreſſam debeant facere mentionem. Aliàs, ſi aliquid prædictorum in toto vel in parte Eccleſiis debitorum in contractu vel alienatione hujuſmodi celaverint, vel ſcienter omiſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Eandémque pœnam incurrat Notarius, qui ſine expreſſione hujuſmodi jurium de contractu ſcienter vel fraudulenter faciet inſtrumentum.

Super juramento præſtito à laïco & ipſe & ejus heredes coram judice eccleſiaſtico pro ejus obſervatione valeant conveniri.

CAP. XLIV.

. . . . laïci principalis vel fidejuſſoris nomine, ſuper contractibus, vel aliàs, juramento corporaliter præſtito, vel fide interpoſita, ſè obligave-

rint ut poſſint ſuper hujuſmodi contractibus coram eccleſiaſtico judice conveniri, ad cujus forum, ratione juramenti, vel interpoſitionis fidei, cauſæ & cauſarum hujuſmodi cognitio noſcitur ſine dubio pertinere. Et idem ſtatuimus ab heredibus & ab eis cauſam habentibus & habituris ſuper hoc obſervandum. In contrarium facientes, vel venientes, vel quoad hoc juriſdictionem eccleſiaſticam perturbantes, vel forum Eccleſiæ vel litigantium ſuper hoc impedientes, pœnæ excommunicationis volumus auctoritate præſentis Concilij ſubjacere.

Quomodo juramentum præſtitum moniti ſervare per judicem eccleſiaſticum teneantur; & qualiter contra eos proceſſum exiſtat.

CAP. XLV.

STATUIMUS inſuper ut quicunque tranſgreſſores juramenti manifeſtè fuerint deprehenſi, ad mandatum noſtrum ſeu ſuffraganeorum aut officialium noſtrorum vel eorum alterum aut judicum ſedis apoſtolicæ, competenter, prout ad quem libet talium juriſdictio noſcitur pertinere in Eccleſiis eorum publicè denuntientur perjuri. Quòd ſi admoniti ſatisfacere noluerint; ex tunc excommunicentur, can-

Digitized by Google

delis extinctis, & pulſatis campanis, ſingulis diebus dominicis & feſtivis; & denuntientur infames; nec ad teſtimonium aut ad actus legitimos admittantur; neque in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, abſolvi valeant, niſi à nobis vel ſuffraganeis noſtris, prout eis ſubſunt, vel ab illo ſeu illis qui à nobis ſeu ipſis ſuper hoc mandatum habuerint ſpeciale. Et nomina talium per Rectores in Eccleſiis conſcribantur. Et hoc ſtatutum frequenter in Eccleſiis cathedralibus & parrochialibus præcipimus publicari.

De capis portandis per Canonicos Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum in divinis officiis.

CAP. XLVI.

STATUIMUS quòd Abbates, Priores, Præpoſiti, Decani, & Archidiaconi, & alij quicunque in dignitatibus conſtituti, ac Canonici cathedralium vel collegiatarum Eccleſiarum, ſecularium vel regularium, infra Eccleſias ſuas & clauſtra, ad divina officia & proceſſiones, à feſto omnium ſanctorum uſque ad ſabbatum Paſchæ, deferant capas nigras; exceptis diebus quibus capis ſericis ſolent uti. Alioquin in choro ſuperiori vel majori non ſedeant, nec in

proceſſionibus inter capatos incedant, ſed eos præcedere teneantur.

Quomodo ſe habeant in veſtibus portandis in Eccleſia dignitatem habentes.

CAP. XLVII.

STATUIMUS & ſtatuendo præcipimus ut omnes & ſinguli dignitates & perſonatus obtinentes noſtrarum provinciarum, veſtes ſuperiores clauſas deferant & honeſtas; niſi eos contingeret equitare, vel aliàs juſta cauſa ſubeſſet per quam qualitatem prædictam deberent rationabiliter immutare. Nec capucia deferant botonata, nec botas longas; & ſtrictas manicas ſupertunicales tales deferant, quòd non poſſint de inhoneſtate notari.

De familiaribus & ſcutiferis Epiſcoporum, in veſtibus portandis, quales portare teneantur.

CAP. XLVIII.

INSUPER ſtatuimus & ſtatuendo præcipimus ut omnes & ſinguli Epiſcopi & Prælati & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ beneficiatæ noſtrarum provinciarum, quantum in eis fuerit, faciant ut nullus familiaris ipſorum ſotulares deferat cum polanis, nec

Digitized by Google

nec veſtes nimia brevitate notandas, ſed in tali & tam convenienti longitudine, quandiu erunt in eorum ſervitio, quòd de honeſtate potiùs commendari valeant, quàm de inhoneſtate reprehendi.

Ne perſonæ eccleſiaſticæ temporalem juriſdictionem habentes, malefactores receptent.

CAP. XLIX.

CVM ſummum bonum ſit in terris juſtitiam colere, cujus cultus extra ſuſtentationem malefactorum & bannitorum multipliciter impenditur; ſtatuimus ſacro Concilio approbante quòd nulla perſona eccleſiaſtica ſuſtineat malefactores vel bannitos in locis ſuis, in quibus juſtitiam obtinet temporalem. Si verò contra fecerit, arbitrio ſui Ordinarij puniatur.

Qualiter Canonici in Eccleſia juxta eorum gradum officiare debent. Et ſi non faciant, qualiter puniantur.

CAP. L.

VOLENTES officium divini cultus pro viribus ampliare, ſtatuimus quòd quilibet reſidens intitulatus in Eccleſia cathedrali vel collegiata ſeculari vel re-

Digitized by Google

gulari habeat in hebdomada ſibi aſſignata, officiare in Eccleſia in ordine in quo fuerit conſtitutus, ſcilicet Preſbyter Miſſam dicere, Diaconus Evangelium, & ſic de aliis. Et prædicta habeant executioni mandari per deputandum vel deputatum per eorum ſuperiores, qui Eccleſiis præſunt ſupradictis. Et ſi in iis dicti inferiores non obedierint Prælatis ſuis vel illis qui per eos fuerint deputati, per ſubtractionem præbendæ unius ſeptimanæ, vel ut Prælato ſuo videbitur, puniantur; aliàs nihilominus plus vel minùs legitimè puniendus, prout pravitas vel inobedientia meruerint delinquentis. Super prædictis verò conſcientiæ Ordinariorum aut eorum ſuperiorum committitur quòd diſpenſare valeant, ſi ipſis Ordinariis videbitur faciendum.

Plena penſio, in quo ſtatu debet ſuccedens in beneficio Eccleſiam retinere.

CAP. LI.

STATUIMUS quòd ſi contingat quemquam Eccleſiam aliquam ſuam quomodolibet dimittere ſine morte, juxta æſtimationem legitimam & ejuſdem Eccleſiæ facultates relinquat ibidem in bonis mobilibus tantum quòd perſonæ neceſſariæ ipſi Eccleſię inde poſſint vivere uſque

ad novos fructus & commodè ſuſtentari, & onera eidem Eccleſię interim incumbentia ſupportare, & animalia aratoria, & ornamenta Eccleſię, & ſupellectiles conſuetas. Quòdque ſucceſſor quilibet omnia ornamenta eccleſiaſtica & univerſam domus ſupellectilem in pannis & aliis in illo ſtatu conſervet & meliori, ſi poterit, ac reddere teneatur, in quo recipiet Eccleſiam ſupradictam.

De diſtributionibus percipiendis cotidianis intereſſentibus in divinis.

CAP. LII.

CVM laborantibus in vinea Domini dieturnus debeatur denarius, & negligentibus ſeminare in benedictionibus meſſis temporalis juſtè debeat denegari; auctoritate præſentis Concilij ſtatuimus & etiam ordinamus ut nullus Canonicus cathedralis ſeu collegiatę Eccleſię, ſeu alij Clerici perpetui beneficiati in eiſdem Eccleſiis, cujuſcunque dignitatis aut conditionis exiſtant, etiam prætextu alicujus aſſumpti officij, vel etiam ſervitij colorati, diſtributiones cotidianas, quæ ſolis horis canonicis intereſſentibus dari debent, recipiat, niſi in eiſdem horis perſonaliter interſit, aut occaſione dicti officij & pro nego-

Digitized by Google

tiis Capituli utilibus, omni fraude ceſſante, fuerit perſonaliter occupatus, ſeu infirmitate detentus; quacunque donatione, remiſſione, vel gratia contra hoc nullatenus valitura.

Quomodo & per quem bona eccleſiaſtica vacantia cuſtodiantur, Prælato decedente.

CAP. LIII.

CVM non ſine gravi peccato quod ſuum non eſt poſſit aliquis retinere, antiquum canonem hoc hujuſmodi planè ad memoriam reducentes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus quòd poſt mortem Archiepiſcopi, aut Epiſcopi, vel alterius Prælati provinciarum noſtrarum, vel alicujus earundem, bona ejus eccleſiaſtica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, ſecundùm quod in Eccleſia defuncti de conſuetudine eſt obſervatum. Vel ſi conſuetudo ceſſat, duo eligantur fide digni, ſi præerat defunctus Collegio vel Conventui, aut ab Epiſcopo dioceſano, vel ejus locumtenente, ſi defunctus Collegio vel Conventui non præerat, qui bona recipiant ſupradicta; & infra x. dies, tales adminiſtratores, ſeu procuratores, adhibito tabellione publico, & teſtibus ad hoc

ſpecialiter convocatis, conficiant de omnibus rebus defuncti mobilibus & immobilibus & ſe moventibus inventarium. Et ſi per negligentiam hoc fuerit omiſſum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si verò prædicti adminiſtratores vel aliquis alius de bonis prædictis ...... invaſerit, vel rapuerit, vel tenuerit fraudulenter, & legitimè admonitus ...... retenta ſine diminutione non reſtituerit, præſentis auctoritate Concilij ſe noverit excommunicationis ſententia innodatum. Admonemus autem Archiepiſcopos & alios Prælatos provinciarum noſtrarum ut in eorum vita, ſi commodè fieri poterit, de rebus prædictis faciant inventarium, & illud cum diligentia obſervari.

Pœna impoſita contra occupatores bonorum Eccleſiæ ſede vacante.

CAP. LIV.

STATUIMUS ut quæcunque Capitula, Conventus, Collegia, & ſingulares perſonæ Eccleſiarum cathedralium ſecularium & regularium, vacantia bona ipſarum indebitè occupaverint in eorum diſpendium & jacturam, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, ſi ſingulares perſonæ extiterint. Si autem univerſitas,

Digitized by Google

tunc ad duplum rerum ſublatarum teneatur.

Quomodo Clerici & laïci puniantur, cùm ſede vacante bona Eccleſiæ ſaiſiri faciunt, aut præſumunt.

CAP. LV.

HOC conſulto prohibemus ſtatuto ne parochiani aut quicunque alij ſeculares, Eccleſias vacantes occupent, ſaiſiant ſeu ſaiſire aut occupare faciant. Quòd ſi contrarium præſumpſerint attentare, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant, & illa vice eorum filij & quicunque alij ad eorum inſtantias ad obtinendum dictas Eccleſias ſint inhabiles penitùs & indigni. Et ſi de facto conferantur eiſdem, collatio hujuſmodi ſic præſumpta nullius ſit penitùs momenti, niſi ex antiqua conſuetudine & laudabiliter approbata hoc competat eiſdem.

Per quos adminiſtratores Eccleſiæ vacantis eligantur, & qualiter in adminiſtratione ſe habeant, plenè providetur.

CAP. LVI.

VT ij quibus adminiſtratio bonorum archiepiſcopalis vel epiſcopalis dig-

Digitized by Google

nitatis competit ſede vacante ex conſuetudine vel ſtatuto, vel qui ad hoc per Capitulum eliguntur, ſciant ſe ſolam adminiſtrationem & cuſtodiam dictorum bonorum habere, ſtatuimus, ultra remedia jam prævisa, quòd ille qui adminiſtrationem hujuſmodi exercebit, ad palatium ſeu hoſpitium episcopale niſi de expreſſo conſenſu Capituli ſe non conferat ad morandum; nec de Cartulario, ſeu Archivo, vel alio loco ubi teneantur privilegia, inſtrumenta, ſeu regeſtra, libros ſeu alias ſcripturas abſtrahat, niſi ipſis pro dicta adminiſtratione indiguerit. Et tunc de conſenſu Capituli, & præſentibus duobus vel tribus Canonicis per ipſum Capitulum deputatis, vel aliquo de principalioribus Officiariis vel famulis dicti defuncti, unà cum duobus vel tribus Rectoribus vel Vicariis Curatis vel aliis probis Sacerdotibus civitatis vel dioceſis ejuſdem. Et ſtatim cùm ipſis non indiguerit, ea in loco unde abſtracta fuerant reſtituat vel reponat; nec prò ejus expenſis aliquid de dictis bonis recipiat vel expendat, niſi ipſum pro negotiis ipſius dignitatis oporteat de conſenſu Capituli & extra ſuum domicilium proficiſci. In quo caſu duntaxat quandiu circa expeditionem dictorum negotiorum extiterit, poſſit moderatas expenſas recipere & habere. Et

teneatur futuro ipſius Eccleſiæ Prælato de tota dicta adminiſtratione, quantocyus poterit commodè, fidelem reddere rationem. Et quicquid apud ipſum, ratione reddita, repertum fuerit ſupereſſe, necnon privilegia, inſtrumenta, regeſtra, libros, & ſcripturas alias, quæ ſeu quas de Cartulario ſeu Archivo vel alio loco abſtraxerit, niſi jam reſtituerit, ut eſt dictum, integrè & realiter reſtituat infra menſem. Illi verò qui hactenus privilegia, inſtrumenta, regeſtra, libros, & ſcripturas alias, quæ ſeu quas de dictis Cartulario, Archivo, vel alio loco abſtraxerit, vel penes ſe retinuerit ſcienter, aut tunc habuerit, infra duos menſes dicto Prælato reſtituant. Alioquin, niſi reſtitutionem hujuſmodi fecerint de prædictis, excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Sanè quia frequenter Archiepiſcopi & Epiſcopi ex privilegio ſedis apoſtolicæ teſtantur etiam de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, vel aliàs, quantum eis à jure permittitur, de bonis ſuis ordinant vel diſponunt, caveat dictus adminiſtrator, & etiam provideat diligenter, quòd executionem teſtamenti, vel ordinationem, ſeu diſpoſitionem fa........ non impediant vel perturbent, nec aliquid ſcienter maliciosè vel

doloſè occupent vel faciant occupari de bonis Prælati defuncti, ſed ea liberè permittant executoribus Prælati defuncti. Aliàs, ſi qua de bonis ipſius Prælati defuncti, ut prædicitur, præſumpſerint occupare, vel hactenus præſumpſerunt, & infra menſem ex quo fuerint requiſiti plenariè non reſtituant executoribus ſupradictis, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Et quoniam utplurimùm ſucceſſor Prælati defuncti, qui condidit teſtamentum, petit de bonis defuncti proviſionem uſque ad novos fructus, ex quo ſemper ſequuntur litigia, & dicta bona in litigiorum anfractibus expenduntur; nos volentes hoc evitare, decernimus quòd ſi ſucceſſor Archiepiſcopi vel Epiſcopi aut cujuſlibet Prælati collegiatæ Eccleſiæ, vel Rectoris, vel Vicarij perpetui Eccleſiæ parrochialis, fructibus poſt mortem prædeceſſoris ſui collectis & poſtea colligendis contentus eſſe noluerit, ſed proviſionem de bonis ſui prædeceſſoris petierit, computentur fideliter omnes fructus, redditus, & proventus dictæ dignitatis vel parrochialis Eccleſię totius anni, quo vacavit, qui annus incipiat in feſto B. Iohannis Baptiſtę, & dividantur inter defunctum & ſucceſſorem pro rata temporis illius anni quo quilibet præfuerit dictæ dignitati vel Ec-

cleſię, & ipſius onera ſupportaverit. Hoc autem extendi nolumus ad alia beneficia, cùm eadem obtinentes non habeant tot onera ſupportare; ſed ſervetur in eis quod eſt de jure ſtatutum, vel conſuetudinis approbatæ. Hujuſmodi verò proviſionem ad Rectores vel Vicarios perpetuos Eccleſiarum parrochialium extendi non intendimus in civitatibus, dioceſibus, vel provinciis ubi aliud de ſtatuto vel rationabili conſuetudine eſt obtentum.

Baillivię & Scribanię ad Prælatos ſpectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.

CAP. LVII.

STATUIMUS quòd nullus noſtrum Archiepiſcoporum vel Epiſcoporum, nec Prælatus ſeu Capitulum alicujus Eccleſiæ cathedralis vel collegiatæ de aliqua provinciarum, vel aliqua ſingularis perſona de ipſo Capitulo, Baillivias, Scribanias, ſeu alia officia ad nos ſeu dignitates vel beneficia noſtra ſpectantia poſſit de cetero alicui perſonę concedere ad ejus vitam, ſed ad beneplacitum duntaxat concedentis ſeu concedentium eorundem.

* * *

Bona Eccleſiæ quæcunque ad ſigillum cujuſcunque domini temporalis minimè obligentur.

CAP. LVIII.

VOLENTES Eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus quòd aliquis Prælatus vel Clericus beneficiatus, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtat, bona dignitatis vel etiam beneficij ſui obligare ſub ſigillo Regis vel alicujus domini temporalis non præſumat. Et ſi contra fecerit, eo ipſo excommunicationis ſententię ipſum decernimus ſubjacere.

Ne quis bona Clericorum in ædem ſacram depoſita ſub banno ponere præſumat.

CAP. LIX.

DENUNTIARI præcipimus publicè excommunicatos univerſos & ſingulos dominos temporales, judices, & alios quoſcunque, qui apud ædes ſacras depoſita bona Eccleſiarum vel eccleſiaſticarum perſonarum arreſtaverunt, ſaiſiverunt, vel occupaverunt, & qui arreſtare, ſaiſire, vel occupari mandaverunt, & qui talia occupata, ſaiſita, ſeu arreſtata receperunt, &

qui in prædictis ſcienter dederint publicè vel occultè conſilium, auxilium, vel favorem, excommunicatos nunc ut ex tunc haberi volumus ipſo facto.

Quomodo & qualiter Ordinarius in exequendo ultimam voluntatem habere ſe debeat, & quòd proceſſum in eiſdem habeat exercere.

CAP. LX.

PERICULOSÆ negligentiæ perverſæque heredum malitiæ defunctorum, & .... ultimarum voluntatum Epiſcoporum occurrere cupientes, & ut piæ voluntates defunctorum effectum debitum ſortiantur; nos, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus ut tam nos Archiepiſcopi & ſucceſſores noſtri, quàm venerabiles fratres noſtri Epiſcopi provinciarum noſtrarum & cujuſlibet earundem, & eorum ſucceſſores, viſitationis officium exercendo, & ...... quandocunque nobis vel eis videbitur expedire, poſſimus ſuper executionibus dictorum, circa relicta ad pias cauſas inquirere & procedere ex mero & puro officio, abſque libelli oblatione & litis conteſtatione, & abſque ſtrepitu & figura judicij, ſimpliciter & de plano, ipſáque negotia, veritate cognita, decidentes, voluntates ultimas defunctorum executio-

ni debitæ demandare; cùm nil cautum hominibus debeatur, quàm ut extremæ voluntatis liber ſit ſtylus, & liberum quod poſtea non redit arbitrium. Eadémque forma poſſit ſervari ſuper uſurarum reſtitutionibus faciendis. Et licèt hæc fuiſſent jam à jure præmiſſa, volumus quòd præſens ſtatutum non tantùm futura negotia, ſed & præterita, & adhuc pendentia complectatur.

Prælati in vita vel in morte, Eccleſiæ cui præfuerint, certam capellam ad ſummam deſignatam hîc relinquant.

CAP. LXI.

CVM ob honorem Dei & cultus divini, Eccleſiæ, maximè cathedrales, pulchris pollere debeant ornamentis; idcirco ſacro approbante Concilio ſtatuimus quòd quilibet noſtrum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum provinciarum noſtrarum in vita ſua unam capellam integram de pulchris pannis & nobilibus, Eccleſię, cui præfuerit, vel centum florenos auri pro eadem emenda relinquere teneatur. Et ad hoc ſint ejus bona, quæcunque habuerit dicto tempore, obligata.

Digitized by Google

Curati in ſuorum parochianorum voluntatibus ultimis, ſi commodè vocari poſſint, aſſiſtant. Et qualiter Notarij in manifeſtandis dictas ultimas voluntates habere ſe debeant. Et per quem legata incerta & quomodo diſtribuenda conſiſtant.

CAP. LXII.

NE relicta in teſtamentis vel aliis ultimis voluntatibus, cauſa emendæ, vel ad pias cauſas eleemoſynæ, vel reſtitutionis certæ aut incertæ forſitan occultentur; ſtatuimus ut Preſbyter parochialis intereſſe rogetur ordinationi teſtamenti, ſi haberi poterit, & quòd Notarius, qui receperit teſtamentum aut aliam ultimam voluntatem, infra octo dies à die obitus nominandos Prælato, aut Officiali, aut Preſbytero parochiali copiam illius articuli, ubi quævis eleemoſyna piis eſt uſibus deputata, vel emenda ſeu reſtitutio facienda, ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto, ſi requiſitus reddere negaverit, incurrat, facere fideliter teneatur. Si verò teſtamentum per ſuum Preſbyterum receptum fuerit; quòd Preſbyter omnium legatorum piorum in dicto teſtamento factorum copiam clauſulę vel clauſę ſuo Ordinario, ſeu ejus Officiali, infra præfatum

Digitized by Google

VIII. dierum terminum, ſub excommunicationis pœna, mittere teneatur. Et ille vel illi cum heredibus vel executoribus teſtatoris ordinare feſtinent quòd emendę non occultentur, & eleemoſynę ſic relictę vel reſtitutiones hujuſmodi non pereant ad tempus magnum, vel modicum, aut fortè perpetuò. Adjicientes inſuper, quòd incertę reſtitutiones nulli per aliquem præter dioceſani licentiam præbeantur, nec diſtribui præſumantur alibi quàm ubi Prælatus duxerit ordinandum, etiamſi contrarium à teſtatore dictum eſſet; niſi teſtator executoris vel executorum ſuorum arbitrio faciendam reſtitutionem & diſtributionem hujuſmodi ordinaſſet. Quo caſu, executores à tempore mortis, ubi tempus reſtitutionis vel diſtributionis non eſſet teſtamento inſertum, aliàs ab illo expreſſo tempore computando, infra ſex menſes debeant fideliter defuncti exequi voluntatem. Quòd ſi non fecerint, ex tunc dioceſani reſtitutiones & diſtributiones incertas faciant, intentionem defuncti, quantum poterint, imitantes. Executores autem prædicti, ut magis habeant materiam fideliter exequendi, & de diſtributionibus prædictis dioceſano reddere teneantur rationem. Ad hæc ...tem adjicimus & mandamus quòd Pre-...yteri in ſynodo coram Prælato ſuo vel

Officiali ejus in ſcriptis teſtatorum & executorum nomina q......... hujuſmodi præſentare, cùm in eo, in quo alicujus intereſſe rationabiliter tangitur, ejus voluntas requiratur. Volumus inſuper & inhibemus quòd in diſtributionibus legatorum........ diviſioni ſeu executioni habeant intereſſe Epiſcopi de conſuetudine vel de jure vot.......... debeant Epiſcopi, ſeu locatenentes ipſorum, quibus equidem non vocatis nulla præſumatur fieri diſtributio de legatis. Et ſi facta fuerit, heredi vel ſucceſſori vel illi cui relictum eſt nulla ex tali diſtributione libertas acquiratur.

Super ſepultura inter duas Eccleſias orta diſſenſione qualem proceſſum habeat exercere Ordinarius.

CAP. LXIII.

SI ſuper electione ſepulturæ alicujus defuncti dubium inter duas Eccleſias vel aliàs inter partes oriatur, ad Ordinarium vel Officialem illius, ſub cujus jure defunctus degebat tempore mortis ejus, protinus recurratur: qui ſummariè, & abſque figura & ſtrepitu judicij, de dubio cognoſcat hujuſmodi, & antè quàm corpus defuncti tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi poſſit abſque onere & ſcandalo reſervari, breviter

breviter diffiniat quæſtionem prædictam: & quod deinde diffinierit, non obſtante appellatione, executioni debitæ demandetur. Si verò cauſæ cognitionem vel propter Officialis abſentiam ſeu deciſionem dicti dubij differri contingat, & cadaver hujuſmodi abſque ſcandalo inhumatum nequeat reſervari; ſi in parochia ſua obierit, in eadem; ſi verò in alia, in ipſa abſque ipſarum partium præjudicio ſub commenda tumuletur, quouſque dictum dubium fuerit terminatum. Si qui autem in præmiſſis contradictores extiterint aut rebelles, recipiendo ipſum corpus, alibi deportando ſepeliendum, dando auxilium, conſilium, vel favorem, loca, eo ipſo, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto; à quo nullatenus liberentur, quouſque ad cognitionem Ordinarij de præmiſſis ſatisfactionem fecerint competentem. Necnon præcipimus ſub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, ut nullus, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, dictum funus, antè quàm cognitum fuerit apud quam Eccleſiam tumulari debeat dictum corpus ſic injurioſè receptum, ſequatur, ſeu concomitare præſumat. Eandémque ſententiam incurrere volumus quemcunque aſportantem per ſe, vel per alium, pannum ſeu pannos aureos

Digitized by Google

vel ſericos, vel tortitia, ad locum funeris ſic recepti, ut præfertur. Adjicientes inſuper quòd ſi illi qui ante cognitionem prædictam corpus receperint, aſportaverint, ſeu aſportari fecerint per ſe vel alium, ſive dantes ſuper hoc auxilium, conſilium, vel favorem; ſi fuerint religioſi mendicantes, eo ipſo ab auditionibus confeſſionum in omnibus noſtris provinciis ac dioceſibu propriis & publica propoſitione verbi De perpetuò ſint exclnſi.

De corporibus defunctorum eorum Eccleſiis præſentandis, ſi conſuetudo habeatur

CAP. LXIV.

VT tenor debitus matrici Eccleſiæ per ejuſdem parochianos & ſubditos obſervetur, in qua conſueverunt cœleſti pabulo refici, dum vivebant, & juxta Apoſtolum ſint conſolationis ſocij, qui fuerunt paſſionum; ſtatuimus quòd quicunque extra parochialem ſuam Eccleſiam elegerit ſepulturam, ejus corpus, ante ipſius ſepulturam, ſi in ſua parochia vel extra deceſſerit, vel illud ad ipſam deportari contingerit, matrici Eccleſiæ ſolemniter præſentetur, ſi hoc de conſuetudine vel de uſu habeatur, & eidem reddatur de funeralibus

Digitized by Google

debitum, prout de jure vel in parochia decedentis eſt fieri conſuetum. Contrarium verò facientes, loca ipſo facto eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, & tranſgreſſorum nomina per Rectores locorum Ordinariis intimentur, ut interdicti ſententiam obſervari faciant & prout juſtum fuerit aggravari.

Quam portionem Curati Eccleſiarum habere debeant in depoſito funere, quouſque alibi in electa ſepultura tumulentur.

CAP. LXV.

DESIDERABILITER affectantes ut parochiales Eccleſiæ, quæ maternos imitantur affectus, pro iis in Domino ſuorum defunctorum parrochialibus juribus non fraudentur, declarando ſtatuimus quòd per illos apud quorum Eccleſias ſeu cimiteria defunctos ipſos ex loco obitus transferendo deponi continget, de funeralibus & legatis eiſdem parrochialibus reſpondeatur Eccleſiis, ac ſi in ipſis, in quibus corpus eſt depoſitum, ſepulturam perpetuam elegiſſent.

Digitized by Google

Mandatur ut Decretalis Super cathedram *penitùs obſervetur.*

CAP. LXXVI.

VOLENTES inter Prælatos & Rectores Eccleſiarum quæſtionis & ſcandali materiam amputare, ut inter eoſdem pacis tranquillitas vigeat, & fervor charitatis exiſtat, præcipimus obſervari conſtitutionem editam per bo. mem. Dominum Bonifacium Papam octavum, quæ incipit *Super cathedram præeminentiæ paſtoralis*, innovatam per fe. rec. Dominum Clementem Papam quintum in Concilio Viennenſi. Si qui verò Religioſi contra dictam conſtitutionem malitioſè venerint, & eidem in omnibus & per omnia non obtemperaverint, eo ipſo ab auditione confeſſionum in omnibus noſtris provinciis ac diocesibus propriis & publica propoſitione verbi Dei perpetuò ſint excluſi; donec, ſatisfactione præhabita, ab altero noſtrum Archiepiſcoporum, in cujus civitate vel dioceſi transgreſſores dictæ conſtitutionis moram traxerint, vel à ſuffraganeis, in quorum civitate vel dioceſi, relaxationem ſuper præmiſſis meruerint obtinere.

Ne Religioſi aut alij prædicent quò minùs à ſolutione decimarum aliquis retrahatur.

CAP. LXVII.

PRÆCIPIMUS etiam publicari quòd nulli Religioſi vel alij in ſermonibus ſuis, confeſſionibus, aut aliis actibus de cetero talia præſumant proponere, quæ audientium animos à decimarum vel aliarum rerum Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, ſeu aliis piis locis debitarum ſolutione retrahant, vel circa id corrumpant; imò verbo & opere informent eoſdem ut ad ſolutionem prædictorum promptæ voluntatis animo ſint accenſi. Si autem contrarium fecerint, ab auditione confeſſionum & publica propoſitione verbi Dei in noſtris provinciis perpetuò ſint excluſi.

Cuicunque liberum exiſtit domos aut horrea locare pro decimis recondendis, & eos arrendare liberè, & pro arrendatoribus fidejubere, prohibitione dominorum temporalium nonobſtante; & de pæna contra eos imminente.

CAP. LXVIII.

CUM in nonnullis partibus provinciarum noſtrarum locorum domini tem-

porales eccleſiaſticis utilitatibus invidentes, non permittant quòd perſonæ eccleſiaſticę, quæ inibi decimas percipiunt, emant ſeu alio titulo acquirant & habeant domos, ſeu horrea, vel cellaria, in quibus decimales redditus congregentur aut conſerventur; prohibeant etiam ſubditis ſuis, & diverſis modis eos trahant, ne dictis perſonis eccleſiaſticis, aut ementibus, domos, horrea, aut vaſa ad hoc locent, commodent, vel concedant, (quod quidem facere moliuntur, ut perſonæ prædictæ dictos redditus eiſdem dominis ſeu aliis vendere pro minimo compellantur, & arrendare ſuis hominibus & ſubjectis) & aliis ſub magnis mulctis & minis fructus eccleſiaſticos & redditus & decimas non permittunt, & ne aliquis pro arrendatore fidejuſſor exiſtat; Nos indemnitati Eccleſiarum providere volentes, & abuſum hujuſmodi in divinæ legis offenſam præſumptum penitùs de ipſis provinciis extirpare, ſacro approbante Concilio, locorum & provinciarum noſtrarum Ordinariis præcipiendo mandamus quatenus ſi locorum domini & Rectores, poſtquam pro parte perſonarum eccleſiaſticarum inde legitimè requiſiti fuerint, deliquerint in præmiſſis vel aliquo prædictorum, ſententiam excommunicationis obſequia hujuſmodi ſubtrahentes incurre-

Digitized by Google

re præter juris ſententiam volumus, contra ipſos .... quoſcunque talia facientes ſtudeant publicetur , ac eorum exigente contumacia per cenſuram .... aggravetur. Et ſi infra octo dies non revocaverint cum effectu cum damnis inde ſecûtis, locus ubi inhibitiones factæ fuerint, ſubjaceat eccleſiaſtico interdicto , ipſo facto ; à quo minimè relaxetur, niſi præcedente ſatisfactione condigna.

De quibus rebus vera decima exſolvatur, conſuetudine quavis nonobſtante.

CAP. LXIX.

CVM decimæ & primitiæ ex ordinatione divina Eccleſiis debeantur, ſtatuendo præcipimus. ut poſſeſſores terrarum , vinearum , virgultorum , pratorum, aliarúmque poſſeſſionum cultarum, ſtatim ex eis collectis fructibus, & fœtuum animalium quorumcunque, ex quo materno non indigent nutrimento, novem ſibi partibus retentis, decimam partem immediatè ſubſequentem integrè de prædictis, nullis inde primitus deductis tributis , cenſibus, expenſis, arreragiis, ſeu ſervitiis aliis, necnon de omnibus aliis bonis, Eccleſiis, quibus debentur, eccleſiaſtica cenſura per locorum Ordinarios compellantur ; contra-

ria conſuetudine qualibet, quam tollimus, nonobſtante. unde niſi de conſtitutione non intendimus derogare. Idem de primitiis prædictorum de jure vel conſuetudine debitis præcipimus obſervari. Si verò aliquid prædictorum fructuum vel fœtuum ad dominos, emptores, ſervitores, mercenarios, vel quoſcunque alios non decimatorum ſeu non primitiatorum tranſierunt, Rector ſolutionem decimarum & primitiarum, à quo maluerit eorundem, poſſit vendicare. Vno tamen ſolvente, alter remaneat liberatus.

Vt nullus res decimandas abinde extrahat, quouſque decimantes fuerint convocati ad effectum.

CAP. LXX.

EX plurimorum ad quos decimarum perceptio pertinere dignoſcitur & frequenti querela ſuſcepimus quòd nonnulli prædiorum poſſeſſores, non vocatis nec certificatis iis qui ad colligendas decimas per eos ad quos ſpectant extiterunt ordinati, per ſe fructus dividunt, & pro libito partiuntur. ex quibus inſequi poſſunt fraudes & perditio fructuum. Quibus pro poſſe obviare volentes, ſacro præſenti approbante Concilio ſtatuimus ut nullus. cu-

Digitized by Google

juſcunque ſtatus ſeu conditionis exiſtat, qui ad præſtationem teneatur decimarum, fructus quæ in fructus ſunt recolligi conſueta dividere aut partiri præſumat, ſeu aliàs à prædio extrahere in quo creverint dicta blada, vel alibi aſportare, niſi certificatis primitus præſentialiter levatoribus decimarum. Et ad hoc per excommunicationis ſententiam per locorum Ordinarios arceantur; contrario uſu ſeu conſuetudine aut obſervantia aliqua nonobſtantibus.

Qualiter infideles ad baptiſmum admittantur.

CAP. LXXI.

INSUPER ſtatuimus ut cùm infideles ad Eccleſiam causâ percipiendi baptiſmatis veniunt, diebus aliquibus per Rectorem Eccleſiæ conſerventur, ut cognoſcant utrum in tenebris ambulent, vel in luce. Et ſi perſeveraverint in propoſito baptizandi, eiſdem baptiſma ulteriùs non negetur.

Quomodo Regulares apoſtatantes puniantur, & etiam dantes eiſdem conſilium aut favorem.

CAP. LXXII.

STATUIMUS quòd monachi vel Canonici regulares profeſſi, qui relicto

habitu ad ſeculum redierint, & voto rationabili ſunt adſtricti, niſi infra menſem ad clauſtrum redierint, & votum ſuum curaverint adimplere, ſuis beneficiis ſint privati, ac apoſtatæ, tanquam excommunicati, ab omnibus evitentur, & excommunicati denuntientur diebus dominicis & feſtivis; & moneantur & excommunicentur converſantes cum eiſdem, ac dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem.

Quomodo exempti, in prioratibus non exemptis delinquentes, per Ordinarios puniantur.

CAP. LXXIII.

RELIGIOSI verò & monachi, quibus ne à quoquam interdici, ſuſpendi, vel excommunicari valeant à ſede apoſtolica eſt indultum, ſi ad reliqua loca vel etiam prioratus Ordinariorum ſubjecta deſtinati fuerint per ſuperiores ſuos .... ipſos vel ut proprij ipſorum locorum miniſtri ſeu monachi reſideant in eiſdem, quandiu morantur in illis, ratione eorundem locorum ſeu prioratuum, non ſolùm in prædictis, ſed in aliis, poſſint, ſi deliquerint, à ſuis Ordinariis puniri, prout juſtitia ſuadebit.

Digitized by Google

Religioſi mendicantes ad aliam religionem non mendicantem aſſumpti, prohibetur Prælatus penſiones eis aſſignare; pœna Prælato eidem imminente.

CAP. LXXIV.

CVM nonnulli mendicantes, ad ordinem non mendicantium tranſeuntes, ad ambitiones, ad honores, beneficia, vel penſiones libenter appetant ſe transferri, ut faciliùs poſſint prædictorum aliquod obtinere, nolentes in ea vocatione, in qua vocati ſunt, juxta dictum Apoſtoli, permanere; proinde nos ſpeciali conſtitutione duximus ſtatuendum quòd prædictis quondam mendicantibus in Ordine non mendicantium perſiſtentibus penſiones aliquæ in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuſcunque à Prælatis ipſorum nullatenus aſſignentur. Quòd ſi factum in contrarium fuerit, nullum eſſe decernimus ipſo facto. Contrafacientes verò Prælati, penſionem aliquam aſſignando, penſiones prædictas infra annum repetant. Quòd ſi dictas penſiones infra annum cum effectu non duxerint repetendas, ex tunc Epiſcopi quilibet dictorum Prælatorum penſiones prædictas poſſint & valeant menſæ ſuæ propriæ applicare. Præſentem verò conſtitutionem ne-

habitu ad ſeculum redierint, & voto rationabili ſunt adſtricti, niſi infra menſem ad clauſtrum redierint, & votum ſuum curaverint adimplere, ſuis beneficiis ſint privati, ac apoſtatæ, tanquam excommunicati, ab omnibus evitentur, & excommunicati denuntientur diebus dominicis & feſtivis; & moneantur & excommunicentur converſantes cum eiſdem, ac dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem.

Quomodo exempti, in prioratibus non exemptis delinquentes, per Ordinarios puniantur.

CAP. LXXIII.

RELIGIOSI verò & monachi, quibus ne à quoquam interdici, ſuſpendi, vel excommunicari valeant à ſede apoſtolica eſt indultum, ſi ad reliqua loca vel etiam prioratus Ordinariorum ſubjecta deſtinati fuerint per ſuperiores ſuos .... ipſos vel ut proprij ipſorum locorum miniſtri ſeu monachi reſideant in eiſdem, quandiu morantur in illis, ratione eorundem locorum ſeu prioratuum, non ſolùm in prædictis, ſed in aliis, poſſint, ſi deliquerint, à ſuis Ordinariis puniri, prout juſtitia ſuadebit.

Digitized by Google

Religioſi mendicantes ad aliam religionem non mendicantem aſſumpti, prohibetur Prælatus penſiones eis aſſignare; pœna Prælato eidem imminente.

CAP. LXXIV.

CVM nonnulli mendicantes, ad ordinem non mendicantium tranſeuntes, ad ambitiones, ad honores, beneficia, vel penſiones libenter appetant ſe transferri, ut faciliùs poſſint prædictorum aliquod obtinere, nolentes in ea vocatione, in qua vocati ſunt, juxta dictum Apoſtoli, permanere; proinde nos ſpeciali conſtitutione duximus ſtatuendum quòd prædictis quondam mendicantibus in Ordine non mendicantium perſiſtentibus penſiones aliquæ in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuſcunque à Prælatis ipſorum nullatenus aſſignentur. Quòd ſi factum in contrarium fuerit, nullum eſſe decernimus ipſo facto. Contrafacientes verò Prælati, penſionem aliquam aſſignando, penſiones prædictas infra annum repetant. Quòd ſi dictas penſiones infra annum cum effectu non duxerint repetendas, ex tunc Epiſcopi quilibet dictorum Prælatorum penſiones prædictas poſſint & valeant menſæ ſuæ propriæ applicare. Præſentem verò conſtitutionem ne-

Digitized by Google

dum ad futura extendi volumus, ſed ad præterita & præſentia mandamus.

Si Curati Eccleſiarum ſuſtentari de redditibus ſuarum Eccleſiarum non valent, decimam percipientes per Ordinarios compellantur, ut abundè ſuſtententur.

CAP. LXXV.

PROVIDERI præcipimus per locorum Ordinarios, quòd ubi Rectores & Vicarij de redditibus ſuarum Eccleſiarum nequeunt commodè ſuſtentari, nec alia incumbentia onera ſupportare, tantum de decimis ſuarum parochiarum eiſdem Rectoribus per quoſcunque percipientes eaſdem tam exemptos quàm non exemptos faciant aſſignari, quòd exinde commodè poſſint ſuſtentari, & epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia eis onera ſupportare; ita quòd Religioſi exempti & non exempti de terris & poſſeſſionibus per eos acquiſitis hactenus & amodo acquirendis decimas integrè ſolvant illis Eccleſiis quibus poſſeſſiones eædem & terræ fuerunt primitus decimales. Super iis enim eſt ipſis Ordinariis, niſi de rebus exemptis agatur, juriſdictio attributa.

Digitized by Google

Laïci qui jus patronatus in Eccleſiis parochialibus habere ſe aſſerentes, eas tenent occupatas, dimittere eaſdem teneantur, & per Ordinarios ad hoc compellantur.

CAP. LXXVI.

QVIA in aliquibus locis provinciarum noſtrarum, ſeu alicujus ſeu aliquarum ex eis, laïci parrochiales Eccleſias, occaſione juris patronatus, quod in eis habere ſe aſſerunt, vel aliàs, detinent occupatas, præſentis auctoritate Concilij monemus hujuſmodi laïcos ut infra duos menſes dictas Eccleſias omnino dimittant, per locorum Ordinarios ſeu alios ad quos pertinet, liberè diſponendas. Alioquin tam illi qui dictas Eccleſias detinent, quàm qui poſtea detinere præſumpſerint, noverint ſe excommunicationis ſententiæ ſubjacere; nonobſtante contraria conſuetudine aliqua, quæ dicenda eſt potiùs corruptela. Per hoc tamen nolumus habentibus jus patronatus, quoad illud, in aliquo derogare.

Vt nullus per ſecularis alicujus potentiam ad beneficium eccleſiaſticum admittatur.

CAP. LXXVII.

ITEM ſtatuimus quòd Clerici ſeculares vel regulares, qui per potentiam vel

.... cujuſcunque ſecularis perſonæ ſe per patronos ad eccleſiaſtica beneficia procuraverint præſentari, aut ipſa ſibi conferri, provideri, vel eligi ad eadem, aut ad hoc literas .... vel mandatum impetraverint, aut fecerint impetrari, ſeu tali præſentationi, collationi, proviſioni, vel electioni conſenſerint, aut eas ſeu earum aliquam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo ſe noverint incurriſſe.

Ad divina celebranda præſentatus non admittatur, niſi Ordinarij licentia petita & obtenta.

CAP. LXXVIII.

STATUIMUS inſuper quòd nullus Clericus præſentatus vel inſtitutus in parrochiali Eccleſia de aliqua dictarum provinciarum à Clerico vel laïco, in eadem adminiſtrare præſumat, donec à dioceſano Epiſcopo curam in eadem Eccleſia receperit animarum; quacunque contraria conſuetudine nonobſtante, quæ potiùs dicitur corruptela. Quicunque autem contrarium fecerit, ipſo facto jure quod habet vel habere credit in ipſa Eccleſia, ſit privatus ea vice; poteſtate data dioceſano removendi inſtitutum ſeu etiam præſentatum. Nihilominus ſtatuentes quòd inſtitutus & confir-

matus per Epiſcopum, nullo caſu ab alio quàm ab Epiſcopo removeri poſſit.

De contributione expenſarum inter beneficiatos pro legatione Ordinariorum, aut pro litigio ſubſecuto.

CAP. LXXIX.

ITEM ſtatuimus quòd ſi Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel aliquis Rector alicujus Eccleſiæ civitatis vel dioceſis alicujus provinciæ, expenſas neceſſarias fecerit in legationibus & nunciis ſedis apoſtolicæ, expenſæ illæ ſolventur de communi diſtributione Eccleſiarum civitatis & dioceſis infra quos dictæ expenſæ fuerunt factæ. Et iſtæ expenſæ ſolventur ſemel in anno. Et in una vel duabus ſynodis colligantur; niſi per ſedem apoſtolicam, quæ Eccleſiæ ſolvere debeant, fuerit ordinatum.

Pro juribus Eccleſiarum pauperum per Clerum ejus dioceſis contributio fiat.

CAP. LXXX.

QVONIAM frequenter propter paupertates Eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum multa inſurgunt incommoda Eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis ſive in agendo ſive defendendo non va-

lentibus proſequi jura ſua , ſacro approbante Concilio ſtatuimus quòd ad arbitrium dioceſani vel Officialis ſui de communi contributione expenſarum & ſumptuum totius dioceſis , in quo caſus ſive neceſſitas hujuſmodi evenerit , in proſecutionibus juris ſui eccleſiaſtici provideatur eiſdem , & Officiales ſint eis favorabiles in juſtitia exhibenda.

Licitum ſit Presbytero celebrare volenti cuicunque Presbytero confiteri , etſi proximi Confeſſoris præſentia non aſſiſtat.

CAP LXXXI.

VT Miſſæ cum puritate conſcientiæ celebrentur , & ne propter defectum Confeſſoris eas omitti contingat , indulgemus quòd quilibet Preſbyter, volens Miſſam celebrare , licitè poſſit cuilibet Preſbytero idoneo ſua confiteri peccata, & abſolutionis beneficium recipere ab eodem.

Ne Sacerdos celebrare præſumat cum ſuo filio illegitimè procreato.

CAP. LXXXII.

ITEM ſtatuimus & etiam ordinamus quòd Preſbyter cum proprio filio ſpurio

Digitized by Google

rio Miſſam non audeat celebrare; nec ipſe vel alius calices, veſtimenta, vel paramenta, aliáque quæ divino cultui ſunt deputata, Iudæo vendere, vel pignorare, vel aptanda ſeu reficienda tradere quacunque ex cauſa præſumat.

Clericus, cum ſuperpellicio induto, Sacerdoti celebranti deſerviat in obſequio divinorum.

CAP. LXXXIII.

STATUIMUS præcipiendò quòd Rectores Eccleſiarum Miſſas in ſuis Eccleſiis celebrantes, ſaltim unum Clericum ſuperpellicio indutum, qui ſibi miniſtret in obſequio divinorum, neceſſariò habere teneantur.

Parrochiani utriuſque ſexus dominicis diebus & feſtivis integras debent audire Miſſas.

CAP. LXXXIV.

VT honor debitus parrochialibus Eccleſiis obſervetur, & animarum periculis obvietur, ſalubriter duximus ſtatuendum quòd parrochiani diebus dominicis & feſtivis ad ſuam parrochialem Eccleſiam veniant, Miſſas integras audituri. Et ſi per duos dominicos dies continuos Miſ-

Digitized by Google

ſas in dictis Eccleſiis legitima cauſa ceſſante non audiverint, ex tunc habeant parrochiales Preſbyteri commonere non venientes, ſe reventuros in Eccleſiis ...... poſtea ....

Qualiter Euchariſtia & Chriſma diligenter cuſtodiantur, & qualiter renoventur; & de pœnis contra non facientes.

CAP. LXXXV.

OMNES miniſtros Eccleſiarúmque rectores provinciarum noſtrarum exhortamur in Domino, & eis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ injungendo, ut in cunctis Eccleſiis ſibi commiſſis Euchariſtia & Chriſma ſub clavibus fideliter conſerventur, ne inde poſſint ſortilegia exerceri, & quòd ipſa non exponant ſuper tortilibus vaſis, archis propriis, aut aliorum; & ad habendum calices argenteos ſtudeant, & vaſa miniſterij, veſtimenta, pallas altaris; necnon & ipſa corporalia tam nitida & munda teneant, ne alicui ſint horrori, & ut potiùs Dei Baſilicę quàm domus laïcę videantur. Minùs enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ non decet & in prophanis. Si autem propter ingruentem neceſſitatem aliqua vaſa vel ſupellectilia in Eccleſiis conſervanda poni contigerit, ne-

ceſſitate ceſſante ab Eccleſiis ea expellantur. Tranſgreſſores prædictorum, Ordinariorum arbitrio puniantur. Item huic conſtitutioni adjiciendo ſtatuimus quòd præfati Preſbyteri & Rectores circa renovationem Euchariſtiæ taliter ſe exhibeant diligenter, quòd de xv. in xv. diebus habeant dictam Euchariſtiam ad longius renovare, ne ex negligentia hujuſmodi mandati noſtri ſcandala ſequi poſſint. Inobedientes verò per ſuos Ordinarios pœna condigna volumus caſtigari.

Quomodo fontes baptiſmales cuſtodiantur, & claudantur; & ad quem clauſura fienda eorundem pertinere dignoſcatur.

CAP. LXXXVI.

CVM non deceat ſacramentalia illa, per quæ ſpiritualium munditiarum conſequimur puritatem, materialium ſordium contagionibus inquinari, ſtatuimus ut ſinguli parrochialium Eccleſiarum Rectores, in quibus fontes hujuſmodi ſunt fundati, eos ſic claudi clavibus faciant, & clauſos teneri, quòd nullus ad illos ſordibus patere poſſit acceſſus, ne temeraria manus ad immundam contrectationem extendere ſe valeat commodè. Et ut per hujuſmodi ſtatuti obſervantiam illius quod inibi

Digitized by Google

percipitur creſcat reverentia ſacramenti, viginti quinque ſolidorum Turonenſium pœna ſeu mulcta puniri volumus quoſlibet hoc agere contemnentes, & quòd hujuſmodi pecunia in opus Eccleſiæ vel in alios pios uſus ad dioceſani loci arbitrium convertatur. Intentionis tamen noſtræ non exiſtit quòd dictus Rector coopertura m ſeu clauſuram dictorum fontium ſuis ſumptibus facere teneatur, niſi conſuetudo in contrarium hoc haberet. Quam quidem conſuetudinem volumus obſervari.

De Indulgentiis conceſſis corpus Chriſti aſſociantibus, cùm infirmis portatur.

CAP. LXXXVII.

SI propter Chriſtum ſanctis ejus reverentia impendi præcipitur, quanto magis colendum eſt veneratione præcipua ſacratiſſimum corpus ejus, qui ſanctos ſanctificat, ac caput eſt ſanctorum omnium & corona. Hoc utique corpus, quod ipſe ſolus pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri, quotidie in eccleſiaſticis aris pro vivis & mortuis in illius paſſionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & inhibemus quatenus omnes & ſinguli Priores, Rectores, atque Vicarij Eccleſiarum noſtrarum provinciarum, civi-

Digitized by Google

tatum, & dioceſum, parrochianos ſuos, præſertim in Miſſarum ſolemniis, inducere ſtudeant, ut hujuſmodi ſanctiſſimo corpori, cùm per Preſbyterum defertur infirmo in viaticum miniſtrandum, reverenter aſſurgant, illúdque devotè ſequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementiùs ſpiritualium ſtipendiis præmiorum, omnibus qui corpus ipſum ſequentur ſine lumine diurno tempore vel nocturno, x. dies, omnibus verò cum luminaribus dictum ſacratiſſimum corpus ſequentibus, vel luminaria mittentibus de die, xx., de nocte verò, xxx. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo verè pœnitentes & confeſſi infra xv. dies exiſtant, miſericorditer relaxamus.

Qualiter novæ reliquiæ venerentur ....
vaſa nunc condantur.

CAP. LXXXVIII.

VT ſanctorum reliquiæ in majori habeantur honore, ac ne Chriſtianorum ...... variis decipiatur figmentis, ſicut occaſione quæſtus in pleriſque locis .... conſuevit obſervari, præcipimus ut aliquę reliquiæ amodo extra capſas vel ..... nullatenus oſtendantur, nec expo-

nantur venales. Inventas autem de novo ...... venerari præſumat, niſi à Romana Eccleſia fuerint approbatæ. Nec quæſtori alicui permittatur portare reliquias, crucem, vel capſas, nec publicè in Eccleſia prædicare ultra ſuarum continentiam literarum, propter falſa quæ quandoque interſerunt, niſi de Ordinariorum licentia ſpeciali. Et ſi contra præſumptum extiterit, ab ipſis debitè puniantur.

In diebus jejunij vel abſtinentiæ carnes non comedantur; pœna non facientes puniente.

CAP. LXXXIX.

GVLOSITATIS exceſſum debito moderamine reprimere cupientes, ſacro approbante Concilio prohibemus diſtrictiùs, ſub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ, ne aliquis, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtat, in diebus jejuniorum per Eccleſiam indictorum, & præcipuè in Quadrageſima, carnes comedat, niſi neceſſitate cogente. Confeſſores autem religioſi, ſi exempti non ſunt, vel ſeculares, ſi præterquam in cauſa neceſſitatis alicui licentiam dederint veſcendi carnibus diebus prædictis, ſententiam eandem incurrant, graviori cohertio-

ne per ſuos Ordinarios, ſi eis videbitur, caſtigandi.

Diebus ſabbathinis ab eſu carnium abſtineant Clerici, niſi in neceſſitatibus, aut in die à jure exceptato.

CAP. XC.

CVM, ſacra Scriptura teſtante, plura recipientes à Domino, verſa vice ad plura reddenda ex gratitudinis debito teneantur, cùmque deceat eccleſiaſticos viros, præſertim ſacris inſignitos ordinibus, aut beneficia eccleſiaſtica obtinentes, in domo Domini, in cujus ſortem aſcripti ſunt, in modo vivendi laïcos excellere, ut laïci eorum exemplo proficiant, non autem ex ipſorum corruptis moribus deformentur; ſtatuimus quòd Clerici beneficiati, aut in ſacris ordinibus conſtituti, ex nunc ſingulis diebus ſabbathi, ob reverentiam B. Mariæ Virginis glorioſæ, à carnium eſu abſtineant, niſi ex cauſa neceſſitatis, ſuper qua comedentium conſcientię relinquatur, vel niſi ea die feſtum Natalis occurrat. Statuti verò hujuſmodi tranſgreſſores, pro quolibet die ſabbathi quo fecerint contra illud, per unum menſem ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ ſint ſuſpenſi.

Digitized by Google

Omnes utriuſque ſexus Eccleſiarum parrochialium moneri debent ut Eccleſias ædificent, aut reparent; & qualiter in Eccleſiis ruralibus, diebus dominicis, ibidem celebretur; & qui eleemoſynas dederint, indulgentiam conſequantur.

CAP. XCI.

CVM præſens & viſibilis Eccleſia militans triumphanti cœleſti civitati Hieruſalem non immeritò comparetur, & locum ubi ſacratiſſimum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conficitur & ſervatur, & noſtræ reconciliationis ad divinam juſtitiam videlicet ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrantur, pro offenſiſque & culpis populi recurrentes ad ſupplicandum divinæ majeſtati ſpecialiter deputatum, in quo & delictorum venia confidentiùs ipſe tractatur, inter cetera, firmo fundamento ac expletis ædificiis communiri deceat, ut Deo gratus exiſtat, inſpicientibus & ingredientibus ſit devotus & placidus, & confidentiùs alliciat, reficiat, & informet; ſacro approbante Concilio ſtatuimus ut Epiſcopi, Abbates, Prælati, Rectores Eccleſiarum, & Religioſi quicunque provinciarum noſtrarum, in ſuis admonitionibus, prædicationibus, confeſſionibus, & aliàs ubicunque,

quantumcunque commodè poterint, Clericos, plebes, & populos inducant attentiùs, & informent, quòd cùm Eccleſię Ordinariis ſubjectæ conſtructione, reparatione, emendatione, & ornamentis eccleſiaſticis indiguerint, ad prædicta facienda & habenda de bonis ſibi à Deo collatis contribuant, & eleemoſynas conferant competentes. Ordinarij autem locorum provideant quòd Eccleſiæ rurales quæ eis ſubſunt, taliter reparentur, quòd in eiſdem in diebus feſtivitatum ſanctorum vel ſanctarum, quorum vel quarum ſunt vocabulo .... etiam aliis diebus dominicis & feſtivis, prout eſt fieri conſuetum .... Miſſæ celebrari, Rectores parrochianos & ſubditos eorundem ad præmiſſa .... neceſſe fuerit compellendo; conſtituentes nihilominus dicti Rectores aliquos .... os illarum collectarum operarios & executores, qui ad præmiſſa complenda .... fideles, ſoliciti, & attenti. Vt autem omnes & ſinguli ad præmiſſa promptiùs & faciliùs inclinentur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, tam qui prædictas pias eleemoſynas & .... ſubſidia erogaverint, quàm Religioſis, & aliis qui alios ad hæc facienda induxerint, xx. dies de injunctis eiſdem pœnitentiis, de omnipotentis Dei confiſi clementia, miſericorditer relaxa-

Digitized by Google

mus. Suffraganei verò provinciarum noſtrarum in ſuis dioceſibus concedant etiam alios xx. dies, vel plus, vel minùs, prout eis videbitur faciendum.

Exempti oratoria non erigant ſine licentia Ordinariorum petita & obtenta.

CAP. XCII.

OBSERVARI præcipimus ut Ordinarij in ſuis dioceſibus Religioſis exemptis non permittant conſtruere Oratoria ſeu Capellas in locis non exemptis, ſine Ordinariorum licentia ſpeciali; nec in ipſis conſtructis dicti exempti celebrent vel faciant celebrari divina, neque tempore interdicti in locis etiam exemptis, niſi prout eis à jure vel ſpeciali privilegio eſt conceſſum. Ac ſi contra fecerint, per Epiſcopos compeſcantur. Et ſi Conſervatores ipſorum exemptorum propter hoc inordinatè aliquas ſententias tulerint; tanquam à jure revocatæ, nullatenus obſerventur.

Digitized by Google

De pœna eorum qui ab immunitate Eccleſiarum, ut à domibus Epiſcoporum, ad eaſdem profugientes abſtrahunt, mutilant, aut vulnerant, aut impediunt quò minùs liberè exire poſſint.

Cap. XCIII.

INsuper ſtatuimus quòd quicunque eum ſeu eos qui confugerint ad Eccleſiarum vel archiepiſcopalium ſeu epiſcopalium domorum, ibidem vulneraverint, mutilaverint, interfecerint, & victualia eis ſubtraxerint, vel ne habere aut dari eis valeant impediverint per ſe vel alium ſeu alios, aut cuſtodes, ne exinde exire poſſint, quoquomodo poſuerint......, ſeu inde eos extraxerint violenter, præterquam in caſibus à canonibus permiſſis per Ordinarios antea declaratis & extentis, vulnerare, ſeu mutilare, aut eis vulnerum inferre ſupplicium præſumpſerint, aut quicunque prædicta aut aliquid prædictorum fieri præceperit, aut procuraverit, ſeu conſilium vel opem adhibendo hujuſmodi ſceleribus perpetrandis delinquerit, excommunicationis ſententiæ ſubjaceat ipſo facto. Addimus inſuper ſtatuendo quòd quicunque de cetero culpabiles quoquomodo inventi fuerint in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, quouſque plenè ſatisfecerint Eccle-

ſiis violatis & illis quorum intereſt, Chriſtiana careant ſepultura, ſi in articulo mortis ab excommunicationis ſententia ſuper prædictis à quoquam fuerint abſoluti. Et loca, ubi talia perpetrata fuerint, ſubjaceant eccleſiaſtico interdicto, donec competens præſtita fuerit emenda.

Qualiter Clericus, Clericum in judicio ſeculari convocans, puniatur.

CAP. XCIV.

INSUPER ſtatuimus quòd quicunque Clericus vel Religioſus, cujuſcunque ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtat, qui Clericum vel Religioſum ſuper actione perſonali vel ſuper crimine in judicium evocari vel citari fecerit coram judice ſeculari, ſcienter, vel malitiosè, ſententię excommunicationis ſubjaceat ipſo facto; & vocato ſic citato & de intereſſe ſatisfacere teneatur.

Qualiter temporales domini puniantur, qui ſubditos eorum prohibent ne victualia aut neceſſaria Clericis miniſtrentur.

CAP. XCV.

STATUIMUS inſuper quòd quicunque temporale dominium obtinentes in-

terdixerint ſubditis ſuis ne Prælatis aut Clericis aut perſonis eccleſiaſticis quidquam vendant, aut ab eis vel gentibus ſuis emant aliquid, neque ipſorum bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibeant, cùm talia fieri præſumantur in derogationem .... denuntientur & publicentur ipſo facto excommunicationis vinculo innodati. Si autem communitas vel .... quorumcunque locorum contra prædictas perſonas quoquomodo in prædictis deliquerint, tamdiu ſubjaceant eccleſiaſtico interdicto, quouſque per eos fuerit plenariè ſatisfactum. Circa hoc autem conſtitutionem .... Alexandri Papę IIII. præcipimus obſervari.

Contra libertatem Eccle .... acquiſitam facientes, & perſonis eccleſiaſticis & eorum .... imponentes, ſubmiſſúmque facere coactè.

CAP. XCVI.

AD evitandum periculum animarum, & Eccleſiarum indemnitatibus provinciarum noſtrarum & cuilibet earundem providendum, omnes & ſingulos utriuſque ſexus, cujuſcunque dignitatis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, qui contra Eccleſiæ libertates, immunitates, jura, juriſdictio-

nem, & privilegia ejuſdem, ſive conſiſtant in ſpiritualibus, ſive in temporalibus, modis quibuſcunque acquiſita, vel contra laudabiles conſuetudines erga ipſas Eccleſias pia devotione fidelium introductas venire nituntur, ipſa vel eorum aliquid per ſe vel alium uſurpando, occupando, infringendo, aut ipſis Eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis onera præſertim gravia imponendo, aut contra præmiſſa vel aliquod eorundem ſtatutum, ordinationes, pacta, promiſſiones inter ſe clam vel palam, directè vel indirectè, vel faciendo ſuper conſiliis, auxiliis, expenſis, ſumptuum contributione, vel aliàs quoquomodo adinvicem factis vel faciendis perpetuò vel ad tempus, necnon & omnes & ſingulos, cujuſcunque dignitatis, conditionis aut ſtatus exiſtant, qui Prælatos, Eccleſias, monaſteria, Capitula, Collegia, vel Conventus, ſeu alias perſonas eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones ſibi faciendas bonorum mobilium ſeu jurium ipſarum Eccleſiarum hactenus compulerint, quocunque quæſito colore ſeu modo, ſeu aliàs quomodolibet, niſi infra duos menſes à tempore publicationis conſtitutionis hujuſmodi numerandos prædicta revocaverint cum effectu, & de prædictis ſatisfecerint Eccleſiis competenter, & ipſa jura in priſtina reduxerint libertate, vel de cetero

perſonas eccleſiaſticas ad hujuſmodi ſubmiſſiones, ut præmittitur, faciendas coëgerint, & quoſcunque dantes in prædictis vel aliquo prædictorum conſilium, auxilium, vel favorem; ſingulares videlicet perſonas, excommunicationis, Collegia verò & univerſitates, interdicti ſententiis ipſo facto decernimus ſubjacere. Prælati verò, Religioſi, Clerici, & perſonę eccleſiaſticę, qui vel quę præſentem conſtitutionem & alia jura ſuper hoc non ſervaverint, pœnas ſuper hoc inflictas à juribus ipſo facto noverint incurriſſe, ſuis Eccleſiis quolibet anno præcipimus publicari.

Perſonæ eccleſiaſticæ blada & vina ſua portare ubi volunt poſſint, ſtatuto laïcorum nonobſtante; pœna ſtatuentibus imminente.

CAP. XCVII.

ITEM cùm ſtatuta ſecularium Eccleſias aut perſonas eccleſiaſticas non aſtringant, ſtatuimus ut ſeculares, cujuſcunque dignitatis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, qui prætextu ſtatuti contra juris formam vel aliàs quovis modo editi ne bladum, vinum, & quæcunque alia bona ex fructibus, redditibus, ſeu obventionibus Eccleſiaſticorum provenientia extrahantur de terra, caſtro, villa, vel pro certo pretio vendan-

Digitized by Google

tur, Clericos vel eccleſiaſticas perſonas aſtringere, aut ſuper angariis aut parangariis aut aliis quibuſcunque, cùm nec in eis nec in eorum bonis aliquam habeant poteſtatem, coartare ſeu impedire quoquomodo directè vel indirectè præſumpſerint, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto; & locus ubi hoc per dominum loci vel univerſitatis ejus, aut eorum conniventia vel permiſſu, attentatum fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto; niſi, moniti, infra menſem emendaverint, & de perpetratis ſatisfactionem exhibere ſtuduerint competentem.

Ne perſonis eccleſiaſticis per temporales juſtitia denegetur. Aliàs, cenſura eccleſiaſtica puniantur.

CAP. XCVIII.

STATUIMUS ut nulli temporale dominium vel juriſdictionem aliquam obtinentes, vel etiam exercentes, voce, præconio, vel aliter prohibeant ne Clericis vel perſonis eccleſiaſticis redditus vel alia eis debita exſolvantur, aut juſtitiam eiſdem Clericis & perſonis de ſuis debitoribus ſeu malefactoribus facere denegent, vel mandent denegari, vel eoſdem Clericos ſeu perſonas eccleſiaſticas banniant ſeu banniri

banniri mandent. Contrarium verò facientes excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto, poſtquam conſtiterit de præmiſſis. Eandem ſententiam incurrere volumus dantes .... conſilium, auxilium, vel favorem; præcipientes, tales per locorum Ordinarios, quouſque de .... injuria & damno ſatisfecerint competenter, excommunicatos publicè nuntiari.

Bona perſonarum eccleſiaſticarum, quæ ab ipſis tenentur, ad collectas per laïcos imponendas per eos minimè quovis modo compellantur.

CAP. XCIX.

AD æternam rei memoriam. Quoniam frequenter contingit quòd nonnulli judices ſeculares, Conſules juriſdictionem exercentes, Poteſtates, Bajuli, ac domini temporales cognoſcere quòd Eccleſię, Clerici, ac perſonę eccleſiaſticę pro terris, domibus, & poſſeſſionibus quas tenent, pro talliis & collectis ac exactionibus laïcorum ſolvere & contribuere teneantur, indebitè & injuſtè & contra canonicas ſanctiones, ipſáſque Eccleſias, Clericos, aut perſonas eccleſiaſticas talliare, ac pro hujuſmodi talliis, collectis, ac exactionibus compellere, & contra eaſdem

Q

Eccleſias, Clericos, aut perſonas eccleſiaſticas executionem & compulſionem facere temerè, violenter, & injuſtè, & contra libertatem eccleſiaſticam moliuntur, de facto ſæpiſſime tam bona mobilia quàm immobilia Eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum occupando, vendendo, diſtrahendo, & aliàs multipliciter occaſione præmiſſorum moleſtando; idcirco præmiſſa omnia & ſingula fuiſſe & eſſe temeraria, violenta, injuſta, & iniqua, & contra libertatem eccleſiaſticam attentata decernimus, & declaramus; ſtatuentes & ordinantes quòd talia attentantes, & in iis dantes auxilium, conſilium, opem, operam, & juvamen, vel favorem palam & publicè vel occultè, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Civitates verò, villæ, caſtra, & alia quæcunque loca, in quibus præmiſſa facta fuerint ſeu commiſſa, ſeu aliquid prædictorum attentatum, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, donec de offenſa Deo & ſuæ Eccleſiæ & parti læſæ integraliter & ſine fraude fuerit ſatisfactum.

Digitized by Google

Hoſpitalibus, pro eorum bonis pauperibus deputatis, quòd aliqua indictio ſeu queſta minimè imponatur.

CAP. C.

ITEM, quòd domini ſeculares, vel quicunque alij, cujuſcunque gradus, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, hoſpitalia uſibus deputata pauperum, occaſione cavalgatarum, talliarum, queſtarum, nec aliarum illicitarum exactionum, quocunque nomine appellentur, nec onerare nec moleſtare præſumant. Alioquin, ſi deſiſtere & emendam præſtare noluerint, vel ſi de cetero contrafecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

Dominis temporalibus pœna infligitur prohibentibus ne decimæ exſolvantur.

CAP. CI.

ITEM, quòd domini temporales, Bailivi, ſeu Officiales, & locorum Conſules, & alij hoc procurantes, Clericos & Eccleſiarum Rectores non impediant quò minùs decimæ ipſis, prout ad eos pertinet, per parrochianos ſuos reddantur fideliter & ſolvantur, nec eiſdem parrochianis inhibeant quòd non ſolvant. Alioquin, ſi

Digitized by Google

contrafecerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant: à qua minimè abſolvantur, niſi priùs ſatisfacto parti læſæ de damno & intereſſe.

Vt Officiales Dominorum Epiſcoporum, & eorum locatenentes, ab omni injuria præſerventur.

CAP. CII.

VT illos quos Dei timor à malo non revocat, ſaltem coërceat ſeveritas diſciplinæ, præſenti Concilio duximus ſtatuendum quòd ſi perſona, cujuſcunque conditionis, ſtatus, ſeu ordinis exiſtat, infra domos archiepiſcopales vel epiſcopales noſtrarum civitatum, dioceſum, ac provinciarum, vel alibi ubicunque ſeu nos vel ſuffraganeos noſtros aut eorum Officiales & loca eorum tenentes, ſeu noſtrum vel eorum aliquem aut aliquos cauſas judiciales audientes, aliquo facto graviter vituperaverit, ſeu & injuriam irrogaverit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto, & aliàs puniatur prout æquitas ſuadebit.

Digitized by Google

Non valet ſtatutum laïcorum ne decimæ exſolvantur, aut in Eccleſia non offeratur, aut in ultima voluntate aliquid relinquatur.

CAP. CIII.

HAc perpetua conſtitutione ſtatuimus quòd laïci, cujuſcunque gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtant, vel univerſitas, ſtatuentes vel ordinantes in ſe vel inter ſe, vel præconizare facientes, vel ſubditis ſuis mandantes .... præſtent decimas Eccleſiis, vel non offerant, vel in ultimis ſuis voluntatibus quidquam non relinquant eis vel rectoribus earundem, vel quòd laudabiles conſuetudines Eccleſię in ſpiritualibus infringant, aut aliud æquipollens directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè, quomodolibet injungentes, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant: à qua antequam emenda competens præſtita fuerit, minimè abſolvantur. Vniverſitas autem eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Qui nuntios Curiarum eccleſiaſticarum impediunt quò minùs liberè mandata Curiæ exequantur, graviſſimè puniantur.

CAP. CIV.

CVM juſtitiæ jus ſuum cuilibet tribuenti & miniſtris ipſius ac rei publi-

cæ plurimùm detrahatur, ſi proceſſus ipſorum miniſtrorum, iniquorum contingat machinationibus impediri; nos volentes talium juſtitiæ cultum impedire nitentium auſus temerarios timore diſciplinæ eccleſiaſticæ cohibere, proviſione præſentis Concilij duximus ſtatuendum quòd ſi quis, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, delegatos, ſubdelegatos, commiſſarios, nuntios, aut executores noſtros, aut ſuffraganeorum noſtrorum, Officialium, Vicariorum, ſeu eorum locatenentium, ſeu vicegerentium, aut literas & alias ſcripturas judiciales noſtras, vel ſuffraganeorum, Vicariorum, & Officialium prædictorum, deferentes, ſeu hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, aut mutilare, vel literas vel ſcripturas prædictas auferre, ſeu eas rumpere, cancellare, ſeu aliàs deſtruere quoquomodo, vel ablatas celare, ſeu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum hujuſmodi literas vel ſcripturas, aut qui prædicta ſeu aliquod prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis ſententiæ ſubjaceant ipſo facto: à qua, niſi priùs judici Curiæ, cujus auctoritatem contempſerint, & paſſo

injuriam, & ceteris quorum intereſt, prout exceſſus exiget atrocitas, ſatisfecerint, nullatenus abſolvantur. Et loca, ubi talia commiſſa fuerint ſeu perpetrata, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, quouſque de injuria & de damnis datis integrè fuerit Eccléſiæ & parti læſæ ſatisfactum.

Bona quæcunque ad perſonas eccleſiaſticas & ad loca pia pertinentia deprædari, occupari, invadi, rapi, impediri, detineri, pignorari, plagiari, inquietari, perturbari per dominos temporales non debent; & facta ſtatuta contra libertates Eccleſiæ & earum aliquas obſervantias, nullius efficaciæ conſiſtere debent; nec quamvis indictionem dictis bonis imponere debent. Et modus procedendi rigoroſus contra tales hîc expreſsè reperitur.

CAP. CV.

QVONIAM inſolens & effrenis præſumptio multos à recto calle abducit in devium, ac à juſtitiæ limite ſic avertit, quòd elati de ſuę certa præſumptione potentię ſibi putant fore licitum quidlibet, inſipientique animo Dei timore ex oculis relegato, in ſortem ipſius electos eccleſiaſticos viros irreverenter quique potiùs immaniter perſequuntur; eſt igitur perſecutoribus hujuſmodi, & eorum fautoribus,

juſtæ proviſionis obice reſiſtendum; ne appetitus noxius, nulla juſtitiæ correctione repreſſus, proſpiciens temporaliter cautum ſit, adversùs alios valeant impunitæ rapacitatis licentia liberè debacchari; præcipuè cùm multis graſſantibus, opportunum exemplum exiſtat; ne plurimorum opera & ope ſuffulta malitia periculoſiùs invaleſcat. Hac igitur conſultiſſima ſacri Concilij ordinatione ſtatuimus quòd quæcunque ſecularis eccleſiaſticáve perſona, nobilis ſeu ignobilis, utriuſque ſexus, cujuſcunque verò præeminentiæ, dignitatis, ordinis, officij, conditionis, aut ſtatus exiſtat, quæ in quavis civitate ſeu dioceſi alicujus noſtrarum provinciarum auſu temerario, cum armis, vel ſine armis, per ſe, vel alium, invadere, rapere, ſeu deprædare, capere, occupare, impedire, detinere, pignorare, ſeu gatgiare, vel inquietare, vel perturbare Eccleſias, aut Capellas, ſeu earum cimiteria, vel hoſpitalia, recluſoria, & leproſarias, religioſáſve ſeu pias domos, aut loca, poſſeſſiones, juriſdictiones, vel alia jura quæcunque ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Decanos, Præpoſitos, Archidiaconos, & alios inferiores Prælatos, Capitula, Conventus, Rectores Eccleſiarum, & Priores, Clericos, vel eccleſiaſticas perſonas ſeculares vel regu-

lares, aut eorum aliquos, communiter vel diviſim pertinentia, ſeu villas, caſtra, cenſus, treſena, laudimia, acapita, recapita, portionaria, leudas, pedagia, molendina, piſcarias, pexarias, ſive reclauſas, aut Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, Decanorum, Præpoſitorum, Archidiaconorum, & aliorum inferiorum Prælatorum, Collegiorum, Capitulorum, Rectorum, & Priorum, Clericorum, vel eccleſiaſticarum perſonarum prædictarum animalia, ſeu bona quæcunque immobilia, aut mobilia, quorum quidem bonorum mobilium valor ſexaginta ſolidorum monetæ currentis ſummam excedat, ſeu contra libertates generales vel ſpeciales eccleſiaſticas, aut eorum privilegia, vel conſuetudines legitimè probatas, aut obſervantias, quomodolibet edere vel facere quævis ſtatuta, ſeu banna, vel præconizationes, aut novitates, ſeu impedimenta quæcunque præſtare, aut contributiones, ſeu expenſas, ſolutiones per laïcos communiter vel particulariter faciendas ad relevandum univerſitates, ſeu eos qui modis prædictis vel infraſcriptis libertates eccleſiaſticas prædictas infringere non verentur, ſive quibuſlibet ex dictis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpoſitis, Archidiaconis, & aliis inferioribus

Prælatis, Capitulis, Conventibus, Recto-ribus, Prioribus, Clericis, vel eccleſiaſticis perſonis ſecularibus vel regularibus directè vel indirectè violentias aut moleſtias irrogare, ſeu eis vel alicui earundem ſuper bonis eccleſiaſticarum perſonarum queſtas, aut tallias, impoſitiones, angarias, ſive parangarias, novitates, aut onera quælibet aliqualiter imponere, ſive domos Eccleſiaſticorum, ſeu Clericorum, aut perſonarum eccleſiaſticarum occaſione quacunque claudere, ſigillare, crucem eis affigere, ſive ipſas firmare; aut eorum bona quæcunque bannire, ſeu vias novas aliquas ubilibet adinvenire vel facere, per quas Eccleſiæ vel eorum bona in pedagiis antiquis ſive leudis aut aliis quibuſlibet juribus poſſint in aliquo pejorari ſeu minui, aut itinera, vias, ſeu ſtratas publicas, vel privatas infra limites territorij vel diſtrictus locorum, villarum, ſive caſtrorum eccleſiaſticæ jurisdictionis auferre, uſurpare, vel ſibi quomodolibet appropriare, attribuere, ſeu applicare, vel eorum terminos arctare præſumpſerit, ſeu attentaverit per ſuam potentiam, ſeu per violentiam, aut malitiam, ſive prędicta vel aliquod prædictorum mandaverit, ſeu in ipſis vel ipſorum aliquo dederit auxilium, conſilium, vel favorem, publicè vel occultè, quę omnia & eorum quodli-

bet attentari ſeu fieri mandaverit, vel ratum habuerit, diſtrictiùs prohibemus, niſi infra ſex dies à die tranſgreſſionis hujuſmodi prohibitionis noſtræ, ſuper quo in hac parte quocunque præmiſſorum modorum perpetrato ſeu commiſſo exceſſu reipſa, vel per conſilij, auxilij, ac favoris impediverit præſtationem, ſuper iis emendam aut revocationem debitam, vel aliàs, prout exegerit rei qualitas, læſis ſatisfecerit competenter, excommunicationis ſententiæ ſubjaceat ipſo facto. Cujus quidem excommunicationis ſententiam volumus ac ſtatuimus per loci Ordinarium, vel per ejus Officialem, ſeu Vicarium, aut ejuſdem Officialis ſeu Vicarij locatenentes cum eo . . . . exceſſibus vel eorum aliquo ſummariè & de plano fuerit facta fides, ex mero officio & ſine ſtrepitu & figura judicij declarari, & irretitas eaſdem facere per diverſas e . . . . provinciarum, in quibus ei ſeu eis expedientius videbitur, tam generaliter quàm etiam ...... excommunicatos publicè nuntiari, & ſententiam ipſam, prout perſonarum ligatarum eadem contumacia . . . . . . protervia exegerit, aggravari. Super quibus eiſdem Ordinariis, ac Officiali, Vicario, ac locumtenenti, auctoritate præſentis Concilij plenam concedimus & attribuimus facultatem. Et ſi forſitan Co-

mes, Vicecomes, Seneſchallus, Baro, Iudex, Capitaneus, Caſtellanus, Vicarius, Bajulus, Conſules, ac quicunque utriuſque ſexus, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, præeminentiæ, ſeu conditionis exiſtant, aut eorum locatenentes, Officiales, ſeu ſervientes, in præmiſſis vel eorum aliquo culpabiles fuerint, & animo indurato per xv. dies in excommunicatione perſtiterint, civitas, caſtrum, villa, vel locus, ubi fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Statuentes inſuper quòd quandiu principales perſonæ, videlicet hujuſmodi malefactores, raptores, deprædatores, in aliqua civitate, vel caſtro, aut loco, ſeu parochia, de prædictis hujuſmodi maleficiis, rapinis, ſeu deprædationibus ſit publica vox & fama, ſine requiſitione qualibet ceſſetur penitùs à divinis. Quòd ſi ſuper præmiſſis publica vox & fama ibidem minimè habeatur; tunc ad requiſitionem Ordinarij loci, vel ejus Officialis, hujuſmodi ceſſatio fiat. Si veró univerſitas deliquerit in prædictis vel aliquo præmiſſorum; illi qui ad id univerſitatem eandem vel ſingulares perſonas ipſius induxerint, inſtigaverint, commoverint, ſeu eis vel eorum cuiquam in præmiſſis vel præmiſſorum aliquo; ſingulares perſonæ, qui in aliquo culpabiles fuerint, niſi infra xv. dies emendam fecerint ſeu

præſtiterint competentem, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Vniverſitas etiam ipſa, niſi damnum caſu quo de ipſo ſatisfactum fuerit infra xv. dies emendaverit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Item quòd dicti raptores & deprædatores nullo modo à ſuis Ordinariis abſolvantur, niſi ſatisfactione præmiſſa. Et ſi in mortis articulo fuerint abſoluti, eorum corpora minimè tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec per eorum heredes, ſeu aliàs eorum nomine, fuerit integrè damnum paſſis ſatisfactum. Item excommunicamus omnes illos qui hujuſmodi malefactores excommunicatos, poſtquam in eorum parrochialibus Eccleſiis per tres dies dominicos excommunicati fuerint denuntiati, receperint ad habitandum in dicta parrochia, ſeu receptos ſuſtinuerint, vel cum eis communicaverint, aut habitationem eis præbuerint, vel eos ſcienter receptaverint, vel fecerint quò minùs tales per illos ad quos pertinet abſque ſuperioris mandato minimè excommunicati nuntientur, & delinquentium abſolutio cuilibet Epiſcopo in ſua dioceſi auctoritate ſacri Concilij ſit commiſſa. Volumúſque quòd omnes illi qui de cetero tales raptores vel ſpoliatores eccleſiaſticæ tradiderint ſepulturæ, & qui ad hoc dederint auxilium,

conſilium, & favorem, ſint ipſo facto excommunicati, donec de condigna ſatisfactione fuerit ſatisfactum. Si verò Religioſi fuerint mendicantes, in omnibus noſtris provinciis nullus noſtrorum ſubditorum pro confeſſione ad eos accedat, nec aliquis ad prædicationem verbi Domini ipſos admittat, nec veniat; contrarium facientes ſententia excommunicationis innodando. Simili ſententia innodamus qui prædicta Clericorum eccleſiaſticarúmve perſonarum & Religioſorum ac omnium prædictorum ſcienter & voluntariè receperint in eorum caſtris ſive locis, & ſcienter ab eiſdem emere; & quòd caſtra illa vel loca in quibus fuerit dicta præda detenta, quandiu ibi fuerit, vel ſi fuerit alienata vel conſumpta, & etiam ſub urbana & continentia ædificia, ſubjaceant eccleſiaſtico interdicto, quouſque de damno dato fuerit plenariè ſatisfactum. Quo ſatisfacto, ceſſet interdictum. Volumus autem quòd Officiales foranei & alij quicunque Commiſſarij ad hoc ſpecialiter deputati, proceſſus contra tales facere poſſint; & quòd nos Archiepiſcopi & ſuffraganei noſtri, ac noſtri . . . . . . generales vel ſpeciales Officiales, cùm ad partis requiſitionem proceditur, prædictas . . . . ceſſationes indicere valeamus. Si verò ex noſtro procedimus officio; tunc noſtro

: . . . . . arbitrio, an in totum, vel in partem, ſervemus eandem. Item volumus quòd facta . . . . rapinæ, vel aliàs ſatisfacto, & ſine fraude, dictum interdictum ſive ceſſatio . . . . Et ne nos & ſuffraganei noſtri circa obſervantiam iſtius conſtitutionis nos exhiberemus . . . . biles & benignos; prohibemus Vicariis & Officialibus noſtris & ſuffraganeorum noſtrorum, ne pro cauſæ cognitione ſeu proceſſu faciendo contra malefactores hujuſmodi aliquam pecuniam prætextu ſalarij vel laboris exigant ſeu recipiant; nec eo prætextu quòd ſalarium non habeant ſeu recipiant, differant ſcienter procedere, cùm fuerit procedendum. alioquin ſuſpenſi ſint ab officio & divinis. Poſtquam autem contra aliquem vel aliquos ipſas conſtitutiones duxerint publicandas, eóſque ut excommunicatos fecerint evitari, contra eos exigentes contraria requiſiti procedant, quilibet contra ſuos ſubditos ex ſuo puro & mero officio per cenſuram eccleſiaſticam aggravando; nec tales malefactores ſeu eorum receptatores abſolvant, donec de damnis & injuriis propterea irrogatis ſatisfactum fuerit competenter. Imponántque abſolutis, ſub virtute præſtiti juramenti, talem pœnitentiam pro commiſſis, quòd pœnitentia docente cognoſcant quantum

exceſſerint in commiſſis. Quam pœnitentiam ſi forſan peragere contempſerint, in præfatam ſententiam reincidere decernimus, & reincidiſſe pronuntiari decernimus & jubemus. Qui verò eos aliqualiter abſolverit, niſi, ut præmiſſum eſt, ad intereſſe illorum qui taliter damnificati fuerint, teneantur. Statuimus inſuper quòd quicunque aliquis noſtrum Archiepiſcoporum Epiſcoporúmque ſuffraganeorum noſtrorum, ſeu noſtri vel eorum Vicarij, aut Officiales, ſeu vicegerentes eorundem, per alterum ex prædictis requiſitus fuerit ut denuntiet illum ſeu illos excommunicatum vel excommunicatos, contra quem ſeu quos ipſe facit dictam conſtitutionem ſervare, quòd dictam conſtitutionem ſine alia inquiſitione obſervet & faciat obſervari, & ſtatim mandet illum vel illos excommunicatum ſeu excommunicatos publicè nuntiari; ut infra octo dies, die qua talis requiſitio facta fuerit minimè computata, & aliàs quàm citò commodè fieri poterit, conſiderata locorum diſtantia, obſervet & mandet obſervari per alios omni appellatione & exceptione ceſſantibus. Quòd ſi præmiſſa, ut prædicitur, contempſerint adimplere, divinam ſentiant ultionem. Cùmque perſonæ meritò rebus debeant præponi, & majori privilegio gaudere; idcirco

idcirco hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus quòd præter & ultra pœnas in Capitulo *Si quis ſuadente diabolo &c.* contentas, in locis ad quæ occiſores, mutilatores Clericorum & perſonarum eccleſiaſticarum, & capientes eoſdem, pervenerint, ceſſetur penitùs à divinis, donec ad arbitrium ſui Ordinarij ſatisfecerint de commiſſis. Loca etiam in quibus Clerici ſeu perſonę eccleſiaſticę captæ detinebuntur ibidem, ceſſent penitùs à divinis. Præterea quoque quia ſcientes & conſentientes pari debent pœna damnari, omnes receptatores eorum, dantéſque in præmiſſis conſilium, auxilium, vel favorem, qui occidunt, vel mutilant, aut capiunt Clericos vel perſonas eccleſiaſticas, excommunicationis ſententia innodamus. Si verò prædictorum criminum & exceſſuum patratores excommunicationis ſententias per ſex menſes ſuſtinuerint animis induratis, quod abſit, ſtatuendo ordinamus quòd à quibuſcunque feudis vaſſalaticis vel aliis, quæ tunc tenebuntur ab Eccleſiis noſtrarum provinciarum & dioceſum, ipſò facto ſint privati, & Eccleſiis à quibus dicta feuda tunc tenebuntur, liberè revertantur.

Prohibentur temporales domini manum apponere in bonis eccleſiaſticis ſeu perſonarum eccleſiaſticarum quibuſcunque, nec ea arreſtare & bannire poſſe. Sed ad jura Eccleſiarum & locorum, & ejuſdem fori extenſio, hæc continet conſtitutio.

CAP. CVI.

QVONIAM aliqui, ſuis finibus non contenti, falcem in meſſem imponunt alienam, & non attendentes quòd in perſonas eccleſiaſticas laïcis nulla eſt attributa poteſtas, penes quos non imperandi manet auctoritas, ſed potiùs neceſſitas obſequendi, jura & bona Prælatorum, perſonarum atque locorum eccleſiaſticorum in corporalibus ...... immobilia, mobilia, & ſe moventia tenere, arreſtare, bannire, vel manui ſuæ ſubmittere, illáque capere indebitè non verentur; nos volentes præſumptionibus hujuſmodi nequitiæ congruę proviſionis antidotum adhibere, præſentis Concilij ſanctione ſtatuimus quòd quicunque utriuſque ſexus, cujuſcunque ſtatus, conditionis, præeminentiæ, aut dignitatis exiſtat, per ſe vel alium directè vel indirectè de cetero proceſſerit ſeu procedi fecerit ad hujuſmodi arreſtationem, bannitionem, ſubmiſſionem, vel captionem quo-

Digitized by Google

rumcunque jurium, locorum, ac bonorum Prælatorum ac eccleſiaſticarum perſonarum prædictarum proceſſerit, aut eorum vel ejus ad quos vel ad quem hujuſmodi jura ſive bona pertinent ſeu pertinet, legitimas rationes ſive defenſiones juxta juris formam audire vel auditas admittere recuſaverint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant: à qua non poſſint abſolvi præterquam in mortis articulo, niſi de damno & injuria læſis vel læſo ſatisfactum fuerit competenter. Et ſi, ſatisfactione hujuſmodi non præmiſſa, in mortis articulo abſoluti fuerint, corpora eorundem eccleſiaſticæ ſepulturę non tradantur, donec per ipſorum heredes, vel per alium eorum nomine, læſis vel læſo fuerit ſatisfactum. Quòd ſi hujuſmodi ſententiam per VII. dies induratis animis duxerint tolerandam, perſonæ eccleſiaſticæ conſiſtentes in aliqua ex provinciis antedictis, iſta loca, in quibus dicti excommunicati pro tempore degerint ſeu fuerint, abſque alio ſuperioris mandato à divinis tamdiù ceſſent, donec dicti excommunicati, ut præmittitur, per ſe vel alios de commiſſis hujuſmodi ſatisfecerint competenter. Similéſque ac pares pœnas incurrere volumus omnes hujuſmodi Concilij tranſgreſſores ſeu violatores, aut alterum eorundem, ad præmiſſa

Digitized by Google

vel præmiſſorum aliquod ſcienter prҿſtantes auxilium, conſilium, vel favorem.

Si pro injuria illata Prælatis Eccleſiarum, perſonis eccleſiaſticis, contingat fieri collecta, indictio pro ejuſdem injuriæ perſecutione, modum contribuendi, & per quos fiat exactio, indicit præſens conſtitutio.

CAP. CVII.

QVONIAM inſtructione apoſtolica caritatis fundamento ſuffulta ſalubriter edocemur piæ participationis juvamine onera proximorum unà cum illis tanquam communia ſupportare; hoc ſacro Concilio approbante ſtatuimus quòd ſi qua perſona de quavis provinciarum noſtrarum, utriuſque ſexus, cujuſcunquéve ſtatus, conditionis, aut dignitatis extiterit, aliquibus vel alteri ex nobis Archiepiſcopis, vel ex noſtris ſuffraganeis, Officialium, ac domeſticorum, familiarium noſtræ juriſdictioni ſubditis, vel cuiquam inferiori Prælato ſeculari vel regulari, ſeu cuicunque eccleſiaſticæ perſonæ in aliqua dictarum noſtrarum provinciarum dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, officium, vel perpetuum beneficium, ſeu locum eccleſiaſticum obtinenti, per ſe aut alium directè vel indirectè, publicè vel occultè,

actionem, injuriam, & enorme ſeu grave damnum violenter intulerit, aut quævis jura ſeu bona incorporalia & corporalia, immobilia, ſeu mobilia, vel ſe moventia, ad aliquem eorundem ſpectantia, ab ipſorum jurium ſeu bonorum occupatore ſeu occupatoribus, raptore vel raptoribus, & vel eis in vitium damnabiliter ſuccedendo ſcienter recipere, & de injuriis ſeu damnis hujuſmodi læſis ſeu læſo competentem emendam impendere, aut reſtitutionem vel ſatisfactionem ſeu recompenſationem idoneam facere recuſaverint ſuper hoc legitimè requiſiti, & propterea ipſos læſos ſeu læſum perſequendo, hujuſmodi damna ſeu injurias oporteat pro ſuo intereſſe judicialiter experiri, omnes Prælati & eccleſiaſticæ perſonæ de civitate & dioceſi illorum vel illius quem vel quos propterea oporteat hujuſmodi ſubire litigium, in expenſas litis, poſt dimidium annum à die qua lis ipſa inchoata fuerit numerandum, vel ab ipſius litis exordio faciendas, ſi forſan dictorum læſorum vel læſi notabilis impotentia forſitan id requirat, contribuere teneantur, donec hujuſmodi litigium legitima concordia ſopitum fuerit vel diffinitum, ſive calculo terminatum, & hujuſmodi ... ... ſententia debitum extiterit ſortita effectum. Tales autem pecuniarum ſummæ in

Digitized by Google

. . . . convertendæ , ac ejus partium ſingulares imponendarum ſingulis debentibus . . . . andem , ſi proſecutor litigij Archiepiſcopus fuerit, ipſum cum uno ex ſuffraganeis . . . . ſi verò Epiſcopus, Archiepiſcopum ſuum ; in ceteris verò caſibus , ſcilicet quando nec Archiepiſcopus nec Epiſcopus litem principaliter ſeu intereſſe proprium proſequuntur, loci Ordinarios præſentis proviſione Concilij taxatores & impoſitores eſſe volumus & etiam ordinamus ; eorum quemlibet in Domino exhortantes propenſiùs , & ſub interminatione divini judicij diſtrictiùs obſecrantes, quatenus omni privato affectu poſtpoſito, juxta exigentiam ſumptuum litis & eccleſiaſticarum ſuppetentium facultatum, præfatæ ſummæ , ad quarum contributionem omni modo imponentes volumus aliquatenus teneri, taxatione provida & congrua moderentur. Inſuper omnes & ſingulos, de quorum contributione prædictum eſt, tam exemptos quàm non exemptos , ad ſolvendum partem eis de ſubſidio contingentem collectoribus , quos præfatos taxatores & impoſitores ſecundùm ordinationem ſuperiùs annotatam in ſuis civitatibus & dioceſibus deputatos volumus , compellendos, non exemptos videlicet per cenſuram eccleſiaſticam , exemptos verò auctoritate

dicti Concilij; decernendo, ſi ad id contribuere animo contradixerint pertinaci, fore indignos ſimili perceptione ſubſidij; ac ſtatuendo illud eis ex tunc penitùs denegandum ſimilibus caſibus, quantumcunque illo arduè indiguerint; niſi forſitan interim à pertinacia reſiliendo hujuſmodi realiter perſolverint ſeu contribuerint partem eos de dicto ſubſidio contingentem. Necnon ſinguli dictorum taxatorum & impoſitorum non exempti prædicti ab excommunicationis ſententia, ſi quam propter hujuſmodi ſolutionis defectum forſan incurrerint, poſſint ab ipſis Ordinariis, ſi ſatisfecerint, abſolvi.

Contra diffidantes perſonas eccleſiaſticas, & earum bona, & guerram hoſtiliter eiſdem facientes, ad non faciendum hac conſtitutione arceantur.

CAP. CVIII.

AD reprimendam audaciam perverſorum Clericos & perſonas eccleſiaſticas diffidantium, ſeu procurantium diffidari, eorum occaſione, homines, vel loca eorum, ſacro approbante Concilio ſtatuimus & etiam ordinamus quòd omnes & ſinguli Clericos ſeu perſonas eccleſiaſticas diffidantes ſeu diffidari procurantes, aut

Digitized by Google

eorum occaſione contra homines vel loca ipſorum vel prædictos Clericos ſeu perſonas eccleſiaſticas præcedente vel non præcedente diffidamento quocunque guerram facient, ſeu eoſdem Clericos aut perſonas eccleſiaſticas vel homines ſive dicta bona ipſorum per modum guerræ ſeu hoſtilitatis aut aliàs cum turba ſeu hominibus coadunatis ex propoſito damnificaverint, necnon omnes & ſinguli qui eis circa prædicta dederint auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, & eorum terrę eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Volentes & etiam ſtatuentes quòd hujuſmodi ſtatutum & ordinatio locum habeant etiam contra eos qui prædictos guerrificantes ſeu malefactores in locis ſuis receptaverint ſive deffenſaverint publicè vel occultè.

Gaudere volentes conſtitutionibus præſentis Concilij, eos ipſis ſubeſſe volumus & jubemus.

CAP. CIX.

ITEM quia non ferendus qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat; ſacro approbante Concilio ſtatuimus omnes perſonas nobis ſubditas, exemptas & non exemptas, cujuſcunque ſtatûs vel conditionis exiſtant, qui ex præfatis conſtitu-

tionibus commodum recipiunt ſeu recipere poſſunt, ſubjacere & eſſe ſubjectas ipſis conſtitutionibus, ſi deliquerint in iis quæ in iis conſtitutionibus continentur, & contra tales perſonas tenore conſtitutionum eſſe rigidè procedendum.

Clandeſtina matrimonia extra dioceſim contrahentes ſine licentia Rectoris, excommunicentur, & aliàs extraordinariè puniantur.

CAP. CX.

STATUIMUS quòd quæcunque perſona, quæ pro matrimonio clandeſtino celebrando parrochiam ſuam exiverit, & ibi ipſum matrimonium contraxerit ſine licentia proprij Sacerdotis, ſententiam excommunicationis incurrat, & ut excommunicatus evitetur, & publicetur, donec ad arbitrium dioceſani Eccleſię parrochiali ſatisfecerit in cujus injuriam hoc præſumpſerit, & abſolutionis beneficium meruerit obtinere.

Perſonæ de Eccleſiis cathedralibus vel collegiatis ad ſtudium mitti debent Theologiæ vel Iuris Canonici; & ipſis negligentibus, ad ſuperiores ſic mittendi ſit tranſlata poteſtas.

CAP. CXI.

QUIA viris literatis Eccleſia in ſuis actibus noſcitur indigere, providè

Digitized by Google

duximus ſtatuendum quòd de qualibet metropolitanarum & cathedralium Eccleſiarum provinciarum noſtrarum per Epiſcopum & Capitulum duæ perſonæ docibiles ſeu doctrinæ capaces ad Theologiæ vel Iuris Canonici ſtudium tranſmittantur. Et cùm per tempus ſufficiens ad mittentium arbitrium ſtuduerint in altera de facultatibus antedictis, ad propriam revertantur Eccleſiam, & duæ aliæ ad hujuſmodi ſtudium deſtinentur, nonobſtante ipſarum Eccleſiarum vel alicujus earundem contraria conſuetudine vel ſtatuto. Quòd ſi mittere perſonas prædictas ceſſaverint per ſex menſes; ex tunc, ea vice, poteſtas eligendi & mittendi eaſdem ad ipſarum immediatè ſuperiores Præſules devolvatur. Et idem in aliis conventualibus locis vel collegiatis Eccleſiis de aliqua dictarum provinciarum, ubi ſaltim ſunt decem perſonæ, (in Religioſis verò, ſerventur eorum apoſtolicæ conſtitutiones, tanquam Collegium videlicet habentes Prælatum) præcipimus obſervari. Quod autem quantum ad Capitula & Collegia hîc dicitur, intelligendum volumus ſalvis ſtatutis Eccleſiarum in quibus hæc perſonarum miſſio ad immediatum antiſtitem noſcitur pertinere. Perſonæ verò præfatæ in dicto ſtudio exiſtentes, nihil amittant, niſi ſint illa quę intereſſentibus

divinis officiis dari conſueverunt. Idoneis verò de facili licentiam dare teneantur. Alioquin ſuperior eorundem licentiam dare eis teneatur.

Quæ Iudæi ſigna portare debent, ut à Chriſtianis dignoſcantur.

CAP. CXII.

PRÆTEREA ut Iudæi, quos à profeſſoribus fidei Chriſtianæ internæ perfidiæ ſecernit impietas, etiam à Chriſticolis in exterioris habitus differant qualitate, ſtatuimus & decernimus quòd Iudæi maſculi à XIIII. annis & ſuprà deferant extra domos ſuas in ſuperiori veſte in pectore ſignum rotæ, cujus rotunditas in quantitate ſit trium vel quatuor digitorum. Mulieres autem Iudææ à XII. annis & ſuprà, comalia deferant.

Chriſtiana liberos Iudæorum nutrire non debet, nec aliàs cum ipſis habitare.

CAP. CXIII.

INDECENS penitùs ac honeſtati abſonum reputantes ut perſonæ catholicæ fidei titulo inſignitæ Iudæis ſerviant, quos propria culpa ſubjecit perpetuæ ſervituti, ſtatuimus ſacroſancto Concilio ap-

Digitized by Google

probante quòd nulla mulier Chriſtiana de aliqua provinciarum prædictarum audeat habitare cum Iudæis, aut filios vel filias eorum nutrire vel lactare. Et quæcunque contra hujuſmodi inhibitionem noſtram, poſtquam monitæ fuerint ſuper hoc, præſumpſerint facere, decernimus eas ex tunc excommunicationis ſententię ſubjacere: ita videlicet quòd cùm hoc dioceſano aut Rectori loci illius, ubi mulieres ſuper hoc culpabiles inventę fuerint, extiterit nunciatum, per jamdictum dioceſanum aut Rectorem Eccleſię parrochialis earum ipſę mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant ipſo facto. Volumus & mandamus quòd præſens ſtatutum per dioceſanos & Rectores parrochiarum ſeu eccleſiaſticorum locorum, in quibus Iudæi morantur, ſemel . . . . ntis publicetur.

Ad Iudæos Chriſtiani non recurrant pro medicina quacunque eorum capienda, niſi maxima neceſſitas immineret.

CAP. CXIV.

ITEM, quia inter Chriſtianos, non ſine fidei catholicæ opprobrio, invaluit perniciosſus abuſus, ut ij qui Iudæorum fœtidos actus & opera abhorrere deberent, ad

ipſos Iudæos, qui ſe Phyſicos vel Surgitos aſſerunt, pro medicamentis, imò veriùs nocimentis, indifferenter recurrant; idcirco præſentis conſtitutione Concilij ſtatuimus & etiam ordinamus ut nullus de cetero Chriſtianus noſtrarum provinciarum, civitatum, & dioceſum, cujuſcunque ſexus, ſtatus, & conditionis, ac dignitatis exiſtat, in infirmitate ſua vel aliàs Iudæum quemquam Phyſicum vel Surgitum pro aliquibus infirmitatibus, cujuſcunque conditionis aut qualitatis ſint, medicinam ſeu medicamen ſuę curę recipere ab eo audeat, requirat, vel requiri faciat, ſeu aliàs quovis modo recipiat; niſi patienti immineret periculum, & Chriſtiani periti Medici, Phyſici, vel Surgiti haberi commodè in prædicto periculo copia non valeret. Interdicentes Iudæis utriuſque ſexus ut in curandis infirmitatibus Chriſtianorum nullatenus ſe audeant immiſcere. Quòd ſi fecerint, Chriſtianorum eis communio ſubtrahatur, & Chriſtiani ad eos in præmiſſis recurrentes arbitrio ſui Ordinarij puniantur.

Chriſtiani prohibentur adeſſe in matrimoniis & ſepulturis Iudæorum.

CAP. CXV.

QVONIAM abuſus quidam abominabilis nomini Chriſtiano in locis

aliquibus, ut audivimus, inolevit, videlicet quòd Chriſtiani aliqui Iudæorum in ſuis circumciſionibus aut ſepulturis intereſſe præſumunt, cauſa honorandi eoſdem, & ex cauſis præmiſſis in eorum conviviis cum eis comedere non verentur, ac in dictis circumciſionibus compaternitatis vinculum, quod nefas eſt dicere, contrahere cum eiſdem; nos volentes abuſum hujuſmodi, ſi quis in noſtris, quod abſit, forſan exiſtat provinciis vel eorum aliqua, extirpare, prædicta & quodlibet prædictorum fieri de cetero prohibemus. Si qui verò contra hanc prohibitionem fecerint, temporalis metu pœnæ arbitrio ſui Ordinarij punientur.

Clerici & laïci prohibentur herbas & alia venenoſa dare in mortem alicujus, aut ut abortivus pariatur.

CAP. CXVI.

VT quicunque alium toxicare, vel opem ad hoc vel conſilium dare, vel in necem alicujus toxicum dictare, ſeu vendere, aut aliàs miniſtrare præſumpſerit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujuſquam dederit, eo ipſo excommunicationem incurrat. Et ſi Clericus beneficiatus fuerit, ſit illo privatus benefi-

Digitized by Google

cio ipſo facto, & ab ordine quem ſuſceperat degradetur; & niſi purgatus de præmiſſis ſit à tali vel ſimili ſuſpicione probabiliter infamatus, & ex veriſimilibus præſumptionibus & perſpicuis indiciis apud bonos & graves notatus, ad honorem & dignitatem eccleſiaſticam nullatenus admittatur. Et nihilominus ad detentionem perſonæ honeſtam, prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, ſicut ſuperioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.

De Concubinariis.

CAP. CXVII.

EXCOMMUNICAMUS etiam omnes concubinarios publicos & manifeſtos.

Raptores & incendiarij publici ſint excommunicati, & careant eccleſiaſtica ſepultura.

CAP. CXVIII.

STATUIMUS quòd incendiarij & raptores publici excommunicati ſint, & tanquam excommunicati eccleſiaſtica ſepultura careant, niſi per ſe vel per heredes ſatisfactionem fecerint vel emendam.

Digitized by Google

Non revelantes inſtrumenta publica vel alia documenta ad Eccleſias pertinentia, tenentur pœna hic contenta.

CAP. CXIX.

QVONIAM pontificalem decet ſolertiam, rerum eccleſiaſticarum ita curam gerere, & ſubditorum commoda veſtigare, ut eccleſiaſtica libertas incorrupta perſiſtat, & ſingulorum ſtatus jugiter ſervetur illæſus; idcirco nos callidis quorundam machinationibus obviare volentes, ſtatuimus quòd quicunque privilegia, inſtrumenta, & alia eccleſiaſtica munimenta ad Eccleſiam & perſonam eccleſiaſticam ſeu quemlibet alium pertinentia retinuerint, niſi infra XV. dies à tempore ſcientię hoc revelaverint illi vel illis ad quos prædicta inſtrumenta, privilegia, vel munimenta noverint pertinere, ſi indebitè & ſcienter retinuerint, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto: à qua non poſſint abſolvi, niſi prædicta inſtrumenta, privilegia, ac munimenta reſtituerint, & de damnis & intereſſe ſatisfecerint parti læſæ de præmiſſis. Præſens autem ſtatutum à Rectoribus ſeu Vicariis noſtrarum provinciarum præcipimus quater in anno

diebus

diebus dominicis, dum Miſſæ ſolemnes celebrabuntur, publicari.

Qui uſuras ſolvere aut repetere prohibent, excommunicati publicè nuntientur.

CAP. CXX.

CVM utroque jure contractus uſurarij reprobati exiſtant; præſenti Concilio, ob animarum ſalutem, ſtatuimus ut quicunque Officialis, ſive Iudex, ad ſolvendum uſuras, vel quoquo modo repetantur ſolutæ, ſcienter judicare ſeu ordinare præſumpſerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto. Injungentes inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis Ordinarijs provinciarum noſtrarum ut ſi conſtiterit aliquos Officiales vel Iudices infra eorum juriſdictionem contra prædicta feciſſe quæ in præſenti Concilio ſunt ſalubriter ſtatuta, eoſdem ut excommunicatos faciant publicè nuntiari, ut ſic prædicti judicandi officio excludantur, & ad reconciliationis gratiam faciliùs inducantur.

Digitized by Google

Qualiter contra exemptos & privilegiatos ſuis privilegijs abutentes procedatur.

CAP. CXXI.

DOLENTES referimus quód nonnulli Religioſi, Hoſpitalarij, & Ciſtercienſes, & alij, tam privilegiati quàm exempti, de privilegiorum ſibi fortè aut ordini ſuo indultorum prærogativa temerè confidentes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab Ordinarijs vel Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas obſervare non curant, quinimo in contemptum clavium excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos hujuſmodi ad divina recipiunt, aut interdum in donatos vel confratres contra mentem Lateranenſis Concilij admittunt, receptatorum in hac parte genus peſſimum imitantes, ſine quibus delinquentes in ijs & ſimilibus diù forſitan non laterent. Sed nec ijs contenti, domos conventuales alterius ordinis quàm ſui eiſdem Ordinarijs lege dioceſana ſubjectas, & à ſui fundatione juriſdictioni Prælatorum ſalva regula ſui ordinis ſeu diſciplina ſuppoſitas, tam prænominati quàm ceteri Religioſi, etiam non exempti, nec privilegiati, vendicare ſibi & Prælatis quaſi furtim

ſuccedente poſtmodum violentia ſubtrahere moliuntur, ſicque de ſuis indulgentijs ſeu privilegijs confidentes, alios fidentiùs in jure ſuo moleſtant, ita quòd auctoritate imò temeritate propria nunc in veſtimentis ovium venientes, nunc ſeculari fulti potentia, violenter per ſe vel alium poſſeſſiones & quaſi hujuſmodi, aut rerum & jurium ad eas ſpectantium cum armis aliquotiens invadere & occupare ac tenere contendunt in Prælatorum præjudicium, ſcandalum, & opprobrium, & detrimentum illius ordinis cujus dicta bona ab initio & cui ab antiquo competebant, & ejuſdem læſionem. Cùm igitur tales & tam enormiter excedentes, & etiam delinquentes, receptatoribus non impares, imò improbis raptoribus nequiores, ſeverè, ut alios, jura cenſeant puniendos; nos, quantum animadvertere in ipſos poſſumus, & à jure nobis permittitur, & maximè ſi de privilegijs ſuis non vellent copiam facere requiſiti, volentes, ubi eos indulta ſibi privilegia non defendunt, correctionis & reformationis officium exercere, & effrenatam ambientium cupiditatem reprimere cupientes, ſtatuimus & concorditer ordinamus ut tales & ſimiles in præmiſſis tam enormiter delinquentes, & tam notoriè excedentes,

Digitized by Google

niſi deſtiterint, & ſaniori ducti conſilio congruenter infra VIII. dies ex quo fuerint requiſiti, revocare ſeu emendare diſtulerint, unà cum illis qui ſe ad eos ſic ligatos conjunxerint, & eis qui tranſlationem hujuſmodi attentaverint, & exinde monaſteria, domóſve conventuales, res, & jura hujuſmodi occupare ſeu invadere cum armis vel ſine armis præſumpſerint, necnon & omnes qui eis ad hoc opem vel operam præſtiterint, aut ut ſic occupata ſcienter detineant, ſeu conſilium vel juvamen præbuerint, non ſolùm excommunicationi ſubjaceant ipſò facto, ſed etiam cùm ipſi Prælatis non deferant, ſed potiùs vilipendant eoſdem, Prælati è contrà, quandiu ſic fecerint, & auſu temerario eis vel Officialibus eorum in præmiſſis reſtiterint, in privilegijs vel alijs juribus ſuis tueri eos vel defendere minimè teneantur. Dignum eſt enim ut qua menſura menſi fuerint, in eadem remetiatur eiſdem; ut ignorantes ignorari, & contemnentes ſentiant ſe contemni. Qua enim fronte Prælatorum implorabunt auxilium, qui committere non formidant in ipſos? Statuimus inſuper & præcipimus & communiter ordinamus ut ſingulares perſonæ tam ſuimet quàm ipſius Conventus dictam tranſlationem taliter fieri procurantes, ab il-

lius domus ſeu Conventus conſortio penitùs & in perpetuum excludantur, vitam ſuam alibi ſub arcta pœnitentia ſui ſuperioris arbitrio finituræ. Circa tranſlationem autem ſingularum perſonarum ad arctiorem fortè regulam tranſire cupientium nihil per hoc intendimus extra formam à jure traditam immutare.

Quomodo procedatur contra capientes Episcopum aut Prælatum, aut eorum occiſores, & dantes in præmiſſis conſilium vel juvamen.

CAP. CXXII.

QVONIAM exempla præterita timere nos admonent in futurum, hujuſmodi ſacri Concilij auctoritate ſtatuimus ut quicunque instigante diabolo per ſe vel per alium interfecerit vel vulneraverit vel ceperit aut percuſſerit aliquem Archiepiſcopum aut Epiſcopum, omnibus feudis aut rebus & beneficijs quæ ab Eccleſijs quibuſcunque alicujus provinciarum noſtrarum tempore ſceleris obtinebat, ipſo facto ſit perpetuò privatus, & ea pleno jure Eccleſijs, à quibus prædicta obtinuit, applicentur; nec deſcendentes ab odem malefactore, uſque ad quartam generationem, ad gradum ali-

quem eccleſiaſticum promoveantur, nec aliquod beneficium eccleſiaſticum feudale vel aliud quodlibet in aliqua provinciarum noſtrarum aſſequantur. Et ne minùs vindictæ quàm exceſſus memoria tanti facinoris prorogetur, adijcientes ſtatuimus quòd quicunque Prælatus de aliqua provinciarum noſtrarum prædictarum aliquem de prædictis de deſcendentibus ad aliquem ordinem, proviſionem, vel aliquod beneficium eccleſiaſticum ſeu quodlibet .... conferre ſcienter præſumpſerit, à collatione illius ordinis, quem ſcienter contulerit, per biennium ſit ſuſpenſus. Quicunque autem de prædictis malefactoribus, vel filijs ſuis, ordinem ſeu beneficium à quoquam Archiepiſcopo vel Epiſcopo ſcienter vel ignoranter receperit, executionem non habeat ordinis ſic ſuſcepti, & collatio ejuſdem beneficij ſit irrita ipſo jure, & ea vice per proximum ſuperiorem de illo beneficio ordinetur. Si verò aliquem de Prælatis inferioribus, vel principalem Vicarium, ſeu Officialem ſupradictorum Archiepiſcoporum vel Epiſcoporum, auſu temerario quiſquam interfecerit, mutilare, vel capere præſumpſerit; tam ipſi quàm eorum filij incurrant pœnam expreſſam ſuperiùs ipſo facto; proviſo quòd eis feudis &

Digitized by Google

poſſeſſionibus tantummodo ſint privati
quæ ab Eccleſijs, quarum perſonas ſic læ-
ſerint, modo quolibet obtinebunt. Salvo
eo quod aliàs ſuper hoc in canonibus con-
tinetur. Et Prælatus qui tales malefacto-
res vel filios eorum ad aliquem ordinem
promovere vel cuiquam talium benefi-
cium eccleſiaſticum conferre præſumpſe-
rit, á collatione illius ordinis, quem ſcien-
ter contulerit, per annum noverit ſe ſuſ-
penſum, & collatio hujuſmodi ſit irrita
ipſo jure, & ea vice de beneficio ipſo per
ſuperiorem proximum ordinetur. Quicun-
que autem de prædictis malefactoribus
vel filijs ſuis à quoquam Epiſcopo ſcienter
vel ignoranter ordinem receperit, execu-
tionem non habeat ordinis ſic ſuſcepti,
nec beneficij collatio valeat, ut eſt di-
ctum. ſalvis tamen omnibus pœnis cano-
nicis, quibus per hanc conſtitutionem non
intendimus in aliquo derogare. Hanc au-
tem conſtitutionem & ſtatuta ſalubriter
per dioceſanos quoſlibet provinciarum
noſtrarum ſingulis annis in ſuis ſynodis &
dioceſibus præcipimus publicari, nihilo-
minùs ut ij qui prædictas pœnas incurre-
rint, in ſynodis nuntientur nominatim.

Convenientibus ad Miſſam beatæ Mariæ in diebus ſabbathinis, Indulgentia eſt conceſſa.

CAP. CXXIII.

INSUPER attendentes quòd Eccleſia militans frequentibus adverſitatum inſultibus quatitur, & circumflantibus ſeculi turbinibus agitatur, & quòd propterea ad ſuſtentationem ipſius Eccleſiæ ſuperna præſidia ſunt ſuppliciter imploranda, præſertim mitiſſimæ cœlorum Reginæ, quæ à pacifico Rege, quem genuit & peperit illibata, compos eſt omnia impetrare; ſtatuimus & communiter ordinamus quòd Miſſa ipſius beatiſſimæ Virginis, additis Collectis *Eccleſiæ tuæ Deus* & *Deus à quo ſancta deſideria*, in die ſabbathi, ſi feſtum novem lectionum non impediat, alioquin in alia vacante feria ſequentis hebdomadæ vel ejuſdem, pro proſpero, pacifico, & tranquillo ſtatu Eccleſiæ ipſius, & inimicis ad cor pœnitens revocandis, in ſingulis provinciarum noſtrarum Eccleſijs ſolemniter celebretur. Et ut ad conveniendum ad Miſſam hujuſmodi Chriſti fideles, ſpiritualium munerum allicientibus donativis, ferventiùs animentur; omnibus verè pœnitentibus

& confeſſis accedentibus ad eandem decem dies de injunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus.

Omnibus Chriſtianis provinciarum antedictarum & diocesum orantibus pro Domino Noſtro Papa eſt Indulgentia conceſſa.

CAP. CXXIV.

ITEM quoniam univerſali Paſtori totum gregem dominicum ſolertiæ ſuæ commiſſum dirigendi, fovendi, ac eum à lupinis morſibus præſervandi, curis & vigilijs plenum imminet ſtudium, eſt ei per ſubditos apud majeſtatem divinam, quæ pijs fidelium votis benignas aures accommodat, propenſis orationum ſuffragijs aſſiſtendum. Nos .... pia deliberatione præambula præſentis auctoritate Concilij duximus ſtatuendum quòd quicunque Chriſti fideles de aliqua noſtrarum provinciarum ſeu etiam diocesum verè pœnitentes & confeſſi devotas orationes effundere voluerint ante conſpectum Altiſſimi, à quo bona cuncta procedunt, ut per ſuam ineffabilem miſericordiam Sanctiſſimum Patrem & Dominum noſtrum Papam, qui eſt vel erit pro tempore, regere ac in ſuæ pacis gratia conſervare ac cuſtodire, fidémque catho-

Digitized by Google

licam toto terrarum orbe multiplicare dignetur; quilibet, videlicet noſtrum Archiepiſcoporum per totam ſuam provinciam, & quilibet ſuffraganeorum noſtrorum per totam ſuam civitatem & dioceſim, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus.

Quòd quæſtores quicunque ſine literis Ordinariorum minimè recipiantur, nec ad prædicandum admittentur.

Cap. CXXV.

De quæſtoribus autem Eccleſiarum, hoſpitalium, vel pontium, duximus ſtatuendum quòd ſine noſtris vel Epiſcoporum literis non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur. Et ſi prædicare præſumpſerint, capiantur, ſi de juriſdictione Eccleſiæ exiſtant.

Vt Ordinarij in caſibus reſervatis deputent idoneos Confeſſores.

Cap. CXXVI.

Cvm natura humana propter ſui fragilitatem prona ſit ad gravia committenda, quorum remiſſio eſt ſolis Epiſcopis reſervata, & ipſi Epiſcopi ſuper præmiſſis quotidie adiri non poſſint; ſtatui-

mus quòd quilibet Epiſcopus provinciarum noſtrarum in caſibus ſibi reſervatis tot Confeſſores diſcretos inſtituat quot ſecundùm ſtatum ſuarum civitatis & dioceſis neceſſarios noverit, quibus ſuper ipſis committat plenariam poteſtatem.

Indulgentia conceditur dicentibus quinquies Pater noſter, *& ſepties* Avè Maria, *cùm campana trahitur pro præmiſſis.*

CAP. CXXVII.

CVM per devotam orationem duntaxat placabilis ſit ira Dei, quinimò ſacra teſtante Scriptura eum ſententiam ſæpius noverimus immutaſſe; idcirco ſacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, ſub pæna excommunicationis, quòd ſingulis & continuis diebus Rectores & Curati provinciarum noſtrarum, quilibet per ſe vel alium, circa ſolis ortum, pulſent ſeu pulſari faciant unam campanam per modum & formam quibus trahitur de ſero, quando pulſatur pro *Ave Maria.* Et tunc omnibus & ſingulis qui pro pace & ſtatu proſpero Eccleſiæ conſervandis & augmentandis devotè, ob reverentiam & honorem illorum quinque vulnerum per Salvatorem noſtrum in ara crucis pro redemptione generis humani receptorum,

Digitized by Google

quinquies genibus flexis orationem dominicam dixerint, & ad honorem ſeptem gaudiorum quæ de filio ſuo beata Virgo habuit, ſepties angelica ſalutatione, ſcilicet *Ave Maria*, eam devotè ſalutaverint, de injunctis pœnitentijs triginta dies miſericorditer relaxamus.

Qui in contemptum Eccleſiæ excommunicationis ſententias & interdicti vilipendunt, uſurpando ſibi ſacerdotale officium, ſententias fingentes per eos ferri poſſe in Dei vilipendium, & cenſuræ eccleſiaſticæ opprobrium, pœna hic contenta affligantur.

CAP. CXXVIII.

AD audientiam noſtram pervenit quòd abominabilis in quibuſdam partibus invaleſcere cœpit abuſio, videlicet quòd quidam nequitiæ filij, maledictionis alumni, non timentes Deum, nec hominem reverentes, cùm cenſuram eccleſiaſticam vilipendunt, cùmque ad hominum ſalutem inventam, tanquam venenum, reſpuunt medicinam, ad interitus feſtinando perniciem, ſuis nefandis exemplis in perverſitatis ruinam alios damnabiliter ſeducendo, cum Belial eorum patre ſuperbiæ ſedere ſibi ab aquilone . . . . ſuperioris contemnunt,

Digitized by Google

contra eos rebellionis calcaneum .... cùm, ut fertur, adulterini Prælati vel Preſbyteri confingentes officium, ac interdictum ſibi miniſterium temerè uſurpantes, dum exigente juſtitia .... ſuperioris excommunicationis ſubduntur ſententijs, vel de ſuorum ſuperiorum mandato hujuſmodi ſententiarum innodati vinculis nuntiantur, in ſuperiorum & per eos promulgatarum ſententiarum contemptum ſe parem vel ſimilem in ſuperiores ipſos habere poteſtatem, contra ipſóſque ſeu denuntiatores ſententiarum ipſarum, quantum in ipſis nequitiæ filijs eſt, excommunicationis ſententias verſa imò perverſa vice fulminare præſumunt, accenſos palearum faſciculos, vel candelas de cepo, ſeu carbones, aut tiſones ardentes in patellis, conchis, ſertaginibus, vel ſimilibus vaſis vituperabiliter extinguendo. Cùm igitur talia in Dei opprobrium & eccleſiaſticæ vilipendium diſciplinæ redundare noſcantur, præſentis Concilij ordinatione ſtatuimus & diſtrictiùs inhibemus ne quis Clericus vel laïcus, cujuſcunque ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtat, tam pernicioſa facto pariter & exemplo per ſe vel alium ſeu alios de cetero attentare præſumat. Qui verò hujuſmodi ſtatuti tranſgreſſor extiterit, & in-

Digitized by Google

ſra triduum emendam exinde non exhibuerit competentem, ex tunc ſe noverit ipſo facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus verò ubi hæc vel ſimilia, ipſius loci domino ſciente vel mandante vel ratum habente ſeu, poſtquam requiſitus fuerit ipſe ſeu locumtenens ejuſdem, infra ſex dies corrigere negligente, præſumpta fuerint, eccleſiaſtico tamdiu ſit & remaneat ſuppoſitus interdicto, donec ad mandatum Eccleſiæ, quam delinquens offenderit, & Prælati, quem irreverenter deſpexerit, ſufficiens & idonea ſatisfactio ac realis emenda præſtita fuerit per eundem: quam, cùm in talibus non ſit relaxanda vindicta, offenſus Prælatus minimè remittere valeat ullo caſu. Quinimo eiſdem pœnis illos vel illas volumus ſubjacere qui vel quæ talia mandaverint fieri, vel aliàs opem vel operam aut conſilium præbuerint, ſi tamen rem adeo deteſtabilem perducere contingerit in effectum. Addito, quòd eorum poſteri, uſque ad ſecundam generationem, in Clericorum collegium nullatenus admittantur, niſi priùs per Metropolitanum cum uno ſuffraganeo cum ipſis ſuper hoc fuerit miſericorditer diſpenſatum. Si verò Clericus beneficiatus in dignitate, perſonatu, ſeu officio conſtitutus taliter exceſſerit, ultra

pœnam quæ laïco infligeretur, præterea beneficio eccleſiaſtico, ſi quod in provincijs noſtris obtinet vel aliqua earundem, ſit ipſo facto præſentis Concilij auctoritate privatus. Non beneficiatus autem ad obtinendum beneficium ſit ex tunc inhabilis & indignus.

Lata ſententia excommunicationis vel interdicti, requiſitus Ordinarius ab alio eas faciat inviolabiliter obſervari.

CAP. CXXIX.

SENTENTIAM excommunicationis vel interdicti latam ab uno alij denuntiari & obſervari faciant, cùm à proferente ſuper hoc fuerint requiſiti. Addentes, quòd hujuſmodi ſententiæ excommunicationis & interdicti nonniſi ex juſtis cauſis, & cum magna ſolemnitate, proferantur.

In ceſſatione divinorum, capitulum Alma mater *obſervetur.*

CAP. CXXX.

CVM in quibuſdam conſtitutionibus ſacri præſentis Concilij & aliàs in provinciis noſtris ſit cautum quòd in certis caſibus debeat ceſſari penitùs à divinis; ejuſdem approbatione Concilij declara-

Digitized by Google

mus prædictam ceſſationem debere fieri prout tempore generalis interdicti per conſtitutionem felicis recordationis Bonifacij Papæ octavi, quæ incipit *Alma mater*, & per alias conſtitutiones canonicas eſt ſtatutum.

A dominis temporalibus excommunicati ad unitatem Eccleſiæ, per Ordinarios requiſiti, redire compellantur. Domini temporales requiſiti, negligentes, vinculo excommunicationis aſtringantur: & excommunicati, tempore quo divina celebrantur, ab Eccleſia exire teneantur.

CAP. CXXXI.

CVM utraque juriſdictio, videlicet ſpiritualis, & etiam temporalis, à principio manaverit ab eodem, evidenti neceſſitate urgente ſtatuimus quòd domini temporales, judices, & eorum Bajuli, & locatenentes, ad requiſitionem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, vel Officialium eorundem, excommunicatos ad petendum abſolutionis beneficium, & ad ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ revertendum, per bonorum ſuorum captionem, venditionem, diſtractionem, & per alia juris remedia, citra pœnam ſanguinis, compellant; & niſi infra octo dies à dictæ requiſitionis tempore computandos requiſitionem hujuſmodi

prǫvenerint

Digitized by Google

prævenerint cum effectu, nec ſe legitimè excuſaverint, ijdem requiſiti excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Item, quòd excommunicati, præſertim poſtquam denuntiati in Eccleſijs publicè fuerint, non jungant ſe divinis officijs, nec intrent Eccleſias, quandiu divina hujuſmodi officia celebrantur ibidem. Et illi qui dictos excommunicatos in Eccleſijs viderint, dum dicta divina ibidem celebrantur officia, hoc ipſarum Eccleſiarum denuntiare Rectoribus teneantur, vel locatenentibus eorundem. Et ſi excommunicati prædicti de ipſis Eccleſijs exire contempſerint requiſiti, Ordinariorum arbitrio puniantur, præter alias pœnas à jure introductas. Et ſi in mortis articulo abſoluti fuerint, nihilominus tamen eccleſiaſtica careant ſepultura, donec de hujuſmodi contemptibus Ordinariorum arbitrio pro eis ſatisfactum fuerit competenter. Rectores verò Eccleſiarum ipſarum de talibus tranſgreſſoribus & eorum nominibus infra menſem Ordinarium ſuum per ſuas certificare literas teneantur.

Digitized by Google

Excommunicati ad manus oſculum non ad-mittantur, nec in potu pariter, nec in cibo.

CAP. CXXXII.

QVAMVIS eccleſiaſticæ diſciplinæ contemnantur, eò quòd excommunicati arctiùs non vitantur, & quod agitur à Prælatis, facile trahitur à ſubditis in exemplum; dicti Concilij approbatione ſtatuimus quòd Prælati excommunicatos publicè ad manus oſculum non admittant, & quòd ab ipſis Prælatis vitentur eorum .... in dando eiſdem excommunicatis, quòd in recipiendo ab ipſis .... excommunicati, ad dandum eiſdem Prælatis, ratione procurationis .... aliàs legitimè ad hoc teneantur, & à dictis Prælatis & alijs evitentur .... judicium & canonicas ſanctiones, ut excommunicati rubore .... gremium ſanctæ matris Eccleſiæ libentiùs revertantur.

Confirmatio conſtitutionum à prædeceſſoribus Archiepiſcoporum editarum.

CAP. CXXXIII.

CVM multa ſit diligentia per noſtros prædeceſſores proviſum caſibus qui

ſolent in noſtris civitatibus, provincijs, & dioceſibus evenire, per conſtitutiones legitimas provinciales, quæ ab aliquibus minùs debitè obſervantur; hinc eſt quòd nos omnes conſtitutiones provinciales aliàs per prædeceſſores noſtros & per nos editas renovamus, approbamus, eáſque de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu ex certa ſcientia confirmamus, ac ipſas præcipimus inviolabiliter obſervari, nec per iſta præcedentia ſtatuta in præſenti Concilio facta, alijs ſtatutis & obſervantijs provincialibus ſeu ſynodalibus intendimus in aliquo derogare, niſi in quantum prædictis eſſent contraria vel adverſa.

IN QUORUM omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum nos Petrus Narbonenſis & Gaffredus Tholoſanus divina providentia Archiepiſcopi, & Philippus Abbas Soricinij Vicariúſque generalis Domini Arnaldi Archiepiſcopi Auxitani ſupradicti, prædictas conſtitutiones ad inſtar publici inſtrumenti publicari mandavimus per Bernardum de Fabrica aliàs de Cornucio & Iohannem Nigri Notarios publicos & ſcribas noſtros infraſcriptos, & ſigillorum noſtrorum appenſione muniri, ad majorem roboris firmitatem, & certitudinem pleniorem. Et nos ſiquidem & Reverendi in Chriſto Patres Domini

Digitized by Google

H. Biterrenſis, I. Carcaſſonenſis, A. Electenſis, R. Vaurenſis, G. Appamiarum, & G. Lombarienſis, B. Convenarum Epiſcopi, ſuffraganeíque noſtri ſupradicti, necnon prædicti Vicarij & procuratores abſentium aliorum ſuffraganeorum noſtrorum, & in præfato Concilio non comparentium, omnia & ſingula in dictis ſtatutis contenta rata habuimus atque firma, niſi ſi & in quantum Dominus noſter Papa vellet ea corrigere, diminui, vel augeri. Actum & datum in dicta Eccleſia cathedrali civitatis Vaurenſis anno à nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo, & die ſexta menſis Iunij, Indictione ſexta, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Vrbani divina providentia Papæ quinti prædicti anno ſexto, præſentibus Dominis Petro de Sortenaco Legum Doctore Decano ſancti Felicis de Caramanno Tholoſanenſis diœceſis, Iohanne Karolay Magiſtro in ſacra pagina Magiſtróque majore ac Canonico Eccleſiæ Narbonenſis, Petro de Vernhio Decretorum Doctore Canonico Narbonenſi, Petro Villani Legum Doctore Vicario & Officiali Tholoſanenſi, & venerabili & religioſo viro Domino Amelio de Lautreco Decretorum Doctore Canonico & Cancellario

Digitized by Google

Tholoſanenſi, Bertrando Ayronerij Licentiato in Decretis Officiale Narbonenſi, Iacobo Maynerij in Legibus Bacallario dioceſis Claromontenſis, & Guillelmo Siguerij Baccallario in Decretis Canonico & Sacriſta Eccleſiæ collegiatæ beatæ Mariæ Giſſonenſis Vrgellenſis dioceſis, & pluribus alijs venerabilibus & providis viris, teſtibus ad præmiſſa vocatis, requiſitis, & rogatis.

Et me Iohanne Nigri Clerico Morinenſis dioceſis, publico apoſtolica & imperiali ac archiepiſcopali auctoritatibus & ipſius Domini Narbonenſis Archiepiſcopi ſcriba & Notario, qui ſimul cum Magiſtro Bernardo de Fabrica aliàs de Cornucio dicti Domini Archiepiſcopi Tholoſani & ſcriba & Notario infraſcripto nominando, ſtatutorum ſive conſtitutionum ſupraſcriptorum editioni & ordinationi, dictorum Dominorum Epiſcoporum præſentium ac aliorum Dominorum Epiſcoporum abſentium procuratorum & Vicariorum generalium ratificationi, confirmationi, requiſitioni, & alijs omnibus & ſingulis ſupradictis, dum ſic, ut ſuprà leguntur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eáque omnia & ſingula, prout ſuprà ſcripta ſunt, manu mea propria

Digitized by Google

ſcripſi & in hanc publicam formam per dictos Dominos Archiepiſcopos & Vicarium Domini Archiepiſcopi Auxitani unà cum dicto Magiſtro Bernardo requiſitus & mandatus redegi, & ſignum meum ante ſubſcriptionem appoſui in teſtimonium præmiſſorum.

Ego verò Bernardus de Fabrica, aliàs de Cornucio, Clericus Caturcenſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate Notarius, & dicti Domini Archiepiſcopi Tholoſanenſis ſcriba, ſimul unà cum ſupradicto Magiſtro Iohanne Nigri Notario publico ſupradicto & dicti Domini Archiepiſcopi Narbonenſis etiam ſcriba, prædictorum ſtatutorum ſive conſtitutionum editioni, ordinationi, dictorúmque Dominorum præſentium Epiſcoporum, necnon aliorum Dominorum Epiſcoporum abſentium procuratorum, & aliorum Vicariorum generalium, approbationi, ratificationi, confirmationi, & requiſitioni, & alijs omnibus & ſingulis ſupradictis, dum modo fierent & ordinarentur prædicto, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, eáque omnia & ſingula ſupradicta in notam communicatus primitus collatione cum dicto Magiſtro Iohanne, & ipſis per eundem Magiſtrum Iohannem ſcriptorem in hanc publicam formam re-

Digitized by Google

dactis, ſignúmque meum & ſubcriptionem meam prædictam ſolitam appoſui in fidem & teſtimonium omnium prædictorum.

INDVLGENTIA A PATRIBVS Concilij Vaurenſis conceſſa Chriſti fidelibus qui manus adjutrices porrigent ad reſtaurationem Cathedralis Eccleſiæ Vaurenſis.

VNIVERSIS Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, viſuris, ac etiam audituris, Petrus Primas ſanctæ ſedis Romanæ proviſione Narbonenſis, Gaffredus eadem proviſione Tholoſanenſis Archiepiſcopus, Philippus Abbas Soricinij Vicarius Generalis in ſpiritualibus & temporalibus Reverendiſſimi Patris in Chriſto Domini Arnaldi Archiepiſcopi Auxitani, Bernardus Convenarum, Petrus Lodevenſis, Robertus Vaurenſis, Hugo Biterrenſis, Iohannes Caturcenſis, Arnaldus Electenſis, ... Vaſatenſis, Guilhelmus Lumbarienſis, Guilhelmus Appamiarum, Otho Leſcarenſis, eadem proviſione Epiſcopi, in civitate de Vauro de auctoritate apoſtolica & noſtra generale Concilium celebrantes, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus, & veniam delictorum. Quoniam, ut dicit Apoſtolus, omnes ſtatimus ante tribunal Chriſti,

recepturi prout quiſque geſſerit in corpore ſuo & in corde, ſive bonum fuerit, ſive malum, & tam præſens & viſibilis Eccleſia militans triumphanti cæleſti civitati Ieruſalem non immeritò comparetur, & locum ubi ſanctiſſimum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conficitur & ſervatur, & noſtræ reconciliationis ad ipſum inſtrumenta, ſcilicet eccleſiaſtica ſacramenta, miniſtrantur, tam pro offenſis, quàm ex culpis populi recurrentis ad ſupplicandum, diem majeſtati ſpecialiter deputatum, in quo delictorum venia confitentibus impetratur, & inter cetera firmo fundamento ac expletis ædificijs communiri deceat, ut alliciat, reficiat, & informet. Sanè cupientes quòd Eccleſia cathedralis Vaurenſis nuper erecta, in qua ſacrum generale Concilium auctoritate prædicta de præſenti celebramus, & in qua Dominus Ieſus Chriſtus Salvator & Redemptor noſter, ad honorem beatiſſimæ glorioſæ Virginis Mariæ, ac glorioſorum ſanctorum beati Elani Pontificis & Confeſſoris patroni dictæ Eccleſiæ cathedralis, beati Albini meritis, & plurimorum ſanctorum ſanctarúmque virginum pro quibus ad Dei & ſanctorum & ſanctarum ejus honorem & gloriam in dicta cathedrali Eccleſia ſacra altaria ſunt conſtructa & ædifi-

Digitized by Google

cata, quamplurima miracula operatur, & ejus clauſtrum de novo opere non modicùm ſumptuoſo reparetur, potiſſimè dicta Eccleſia, quæ quotidie à parte fluminis funditur, & ſubjecta oculis noſtris multùm indigeat reparatione, libris, veſtimentis, & alijs ornamentis divino cultui neceſſarijs, deceátque cathedralem Eccleſiam potiùs quàm aliæ rurales majoribus & ſolemnioribus ornamentis decorare, & dignioribus ſuffragijs ſuſtentare, & neceſſitatibus ipſius Eccleſiæ ſpiritualibus remedijs ſubvenire, & ſaluti animarum, quantum cum Deo poſſumus, providere, cùm ad dictæ Eccleſiæ & clauſtri reparationem & ornamentum propriæ non ſuppetant facultates, niſi eleemoſynis Chriſti fidelium eleventur. Nos igitur Archiepiſcopi & Epiſcopi, hujuſmodi ſacrum generale Concilium in dicta cathedrali Eccleſia celebrantes, volentes ad tam pium opus fideles Chriſti devotiùs excitare, univerſis & ſingulis utriuſque verè tam pœnitentibus quàm confeſſis, qui in feſtivitatibus Nativitatis Domini, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes Corporis Chriſti, Annuntiationis, Nativitatis, Purificationis, & Aſſumptionis, Conceptionis, & Præſentationis beatæ & glorioſæ virginis Mariæ, ſingulorúmque

Apoſtolorum, commemoratione omnium ſanctorum, Iohannis Baptiſtæ, & Evangeliſtarum, beati Albini, ſanctarúmque Catharinæ, Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ virginum, & beati Elani, cujus vocabulo ipſa Eccleſia extitit inſignita, & in dedicatione ipſius Eccleſiæ, & in Veſperis, & pro Octavis eorundem, ipſam Eccleſiam devotè viſitaverint, ornaverint, adornaverint, & ad ædificandum, reparandum, ornandum ipſius Eccleſiam cum ſuis eleemoſynis & neceſſarijs ſuas manus porrexerint adjutrices, & qui in ſanitate ſui corporis ſeu in extremis laborantes quidquam ſuarum prædicto operi & dictæ Eccleſiæ & clauſtro legaverit facultatum vel donaverit, de omnipotentis Dei gratia & miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac ſanctiſſimæ virginis Mariæ glorioſæ, & omnium ſanctorum ejus auctoritate confiſi, & noſtra & hujuſmodi ſacri Concilij auctoritate & poteſtate nobis attributa, nos omnes & ſinguli & quilibet noſtrum annuatim perpetuò pro qualibet die quadraginta dies de vera indulgentia & de injunctis ſibi pœnitentijs indulgemus, & miſericorditer relaxamus. Datum Vauri in hoc ſacro generali Concilio die III. menſis Iunij anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo.

LITTERÆ VRBANI PAPÆ V. ad Archiepiſcopos trium provinciarum qui Concilio Vaurenſi interfuerant.

VRBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Auxitanenſi, Narbonenſi, & Tholoſæ Archiepiſcopis, eorúmque Suffraganeis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, alijſque Eccleſiarum & monaſteriorum Prælatis & Rectoribus, necnon Capitulis & Conventibus Eccleſiarum & monaſteriorum, alijſque perſonis eccleſiaſticis civitatum, dioceſum, & provinciarum Auxitanenſis, Narbonenſis, & Tholoſæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad noſtrum pervenit auditum quòd nonnulli ex vobis quod una via eis ſciunt à jure inhibitum, per aliam malitiosè agere & in proprium eorum & ſuarum Eccleſiarum & monaſteriorum ac locorum diſpendium & gravamen attemptare præſumunt, interdum videlicet temporalibus dominis loco ſubditorum mutuando, ſeu alia ſumpta occaſione dando certas pecuniarum ſummas, quas veriſimiliter æſtimant ſe nullo tempore recepturos. Nos igitur volentes veſtris & eorundem Eccleſiarum & monaſteriorum indemnitatibus provi-

dere & talibus malitijs obviare, vobis & cuilibet veſtrum tenore præſentium diſtrictiùs inhibemus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam contra-facientes incurrere volumus ipſo facto, & à qua nullus niſi à nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus præterquam in mortis articulo poſſit abſolvi, mandantes quatinus hujuſmodi mutua & fraudulentas dationes non præſumatis de cetero facere ſine apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali. Mandamúſque vobis fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ut per vos vel alium ſeu alios hujuſmodi noſtram inhibitionem & mandatum in veſtris cathedralibus & collegiatis alijſque Eccleſijs dictarum civitatum & dioceſum, de quibus expedire videbitur, publicetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, voluntatis, & conſtitutionis inftingere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viterbij II. Nonas Octobris, Pontificatus noſtri ſeptimo.

* *
* * *
* *
*

Digitized by Google

CONCILIUM NARBONENSE Habitum anno MCCCLXXIV.

Litteræ Petri Archiepiſcopi Narbonenſis ad Arnaldum Epiſcopum Alectenſem, ſuffraganeum ſuum, quibus eum invitat ad Concilium in Narbonenſi Eccleſia celebrandum die xv. menſis Aprilis anno Domini MCCCLXXIV.

PETRUS miſeratione divina ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopus & Primas venerabili fratri A. eadem gratia Electenſi Epiſcopo ſuffraganeo noſtro, vel ejus Vicarijs generalibus in ipſius abſentia, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Inter aſſiduas curas & ſollicitudines quæ miniſterio noſtro incumbunt, de ſalubri ſtatu Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum piorum locorum noſtrarum civitatis, diœceſis, ac provinciæ, necnon & gregis dominici nobis commiſſi ſollicitè cogitare nos convenit, ut in ipſis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, pacíſque, ſalutis, & libertatis gratia nutriatur, & quæ in ejſdem non abſque diſpendio miniſtrorum & cultus detrimento divini ſervare novimus, per appoſitionem congrui moderaminis in

melius reformemus, & tandem officij noſtri debitum in actibus dirigendis veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodoſæ ambiguitatis volucrum anhelamus, illámque ſemper in noſtris ordinationibus ſervare cautelam intendimus, ut de ipſis proveniat commodum, adeo quòd alijs non immineat detrimentum. Cùm igitur pro obſervatione ſacrorum canonum, corrigendis exceſſibus, & reformatione vitæ & morum Cleri & populi, ac quibuſdam alijs arduis negotijs civitatem, diœceſim, & provinciam noſtras, necnon & libertatem eccleſiaſticam tangentibus, ſuper quibus ad debitam proviſionem unà vobiſcum & alijs ſuffraganeis noſtris intendimus concedente Altiſſimo interponere ſolicitudinis noſtræ partes, præſertim cùm tangatur communiter ſtatus Eccleſiarum & monaſteriorum aliorúmque piorum locorum noſtrarum civitatis, diœceſis, ac provinciæ prædictarum, provinciale Concilium ordinavimus & determinavimus convocandum, videlicet die xv. menſis Aprilis proximè futuri, apud civitatem noſtram, & in Eccleſia ſancta noſtra metropolitana, ſcientes quòd ſuper hoc ſumus per ſanctiſſimum in Chriſto patrem ac dominum noſtrum Summum Pontificem Dominum Gre-

gorium Papam XI. per ſuas apoſtolicas & patentes literas exhortati, immo ab eodem mandatum habuimus ſpeciale & expreſſum. Eapropter vos tenore præſentium monemus & etiam exhortamur ut unà nobiſcum die & loco prædictis in dicto provinciali Concilio Deo prævio celebrando, ad quod præfatos diem & locum cum diebus ſequentibus quos ad hoc continuare vel prorogare contingerit, vobis præcisè & peremptoriè aſſignamus, perſonaliter comparere curetis, vóſque ad id præſentium tenore citamus. Mandantes vobis inſuper quatinus interim citetis & peremptoriè auctoritate noſtra, & tempore congruo, omnes & ſingulos Abbates, Præpoſitos, Decanos, Archidiaconos, Archipreſbyteros, & Priores Eccleſiarum regularium & ſecularium, ac etiam adminiſtratores, procuratores, & negotiorum geſtores aliorum piorum locorum, necnon alias perſonas eccleſiaſticas regulares & ſeculares, cujuſcunque ſtatus, ordinis, religionis, & conditionis exiſtant, qui debent & conſueverunt in Concilijs intereſſe de uſu, conſuetudine, vel de jure, ut perſonaliter, Capitula verò & Collegia & Conventus veſtrarum civitatis & dioceſis per procuratores, ſindicos, ſeu œconomos idoneos ad hoc legitimè &

ſpecialiter conſtitutos cum ſufficienti & ſpeciali mandato, in ipſo provinciali Concilio compareant dicta die, inibi continuè moraturi, donec ea quæ in dicto Concilio tractanda fuerint, ad honorem Dei, proviſionem Eccleſiarum & monaſteriorum, profectum animarum, & utilitatem ſubditorum provinciæ antedictę, per dicti Concilij providentiam finem debitum ſortiantur. Et ne ipſi ſeu alij quicunque, quos pręſens tangit ſeu tangere poteſt negotium, ignorantiam quovis modo valeant prętendere de pręmiſſis, pręſentes noſtras litteras, ſeu earum transſumptum in forma publica conſcriptum, in veſtra Eccleſia, & alibi, ubi expediens vobis videbitur, interim ſœpius & frequenter publicare & denuntiare curetis. Pręcipientes vobis ulteriùs & auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa ut ante dictum Concilium, ſynodum veſtram loco & tempore debitis & honeſtis celebretis ad honorem Dei & Eccleſię ſuę ſanctę, in qua de agendis in dicto Concilio, ſuper corrigendis exceſſibus, ſupplendis defectibus, ac utilitatibus eccleſiaſticis promovendis, & alijs neceſſarijs, prout expediens vobis viſum fuerit, deliberare & tractare debitè valeatis. Vt autem ſuperfluitatum & pomparum inanium jactantiam

tiam præcludamus, vobis tenore præſentium inhibemus, ſub virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equitaturas & duos ſaumerios ſive gerulos pro vobis & veſtra familia adducatis, cùm ad dictum provinciale Concilium venietis; Abbatibus veſtræ diœceſis injungentes ex parte ſedis apoſtolicæ atque noſtra quòd ultra quinque equitaturas ad plus & unum ſaumerium ſeu gerulum ſecum adducere non præſumant; ceteri verò qui venire tenentur; cum paucis & moderatis expenſis veniant; ſi vos & Abbates prædicti & etiam alij reprehenſionis noſtræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddentes præſentes litteras portitori præſentium ſigillo veſtro impendenti ſigillatas in ſignum receptionis earum. De omnibus verò & ſingulis præſentationibus, publicationibus, atque citationibus, quas fieri facietis, volumus quòd faciatis recipi, & ex cauſa, unum vel plura publica inſtrumenta. Datum ſub ſigillo noſtro impendenti & ſigneto in caſtro noſtro de Montillis die prima menſis Februarij, anno nativitatis Chriſti M CCC LXX. quarto.

Eodem modo ſcriptum eſt P. Epiſcopo Elnenſi & ceteris ſuffraganeis.

In eundem modum ſcriptum eſt Capitulo Ec-

cleſiæ Narbonenſis, Capitulo Eccleſiæ Magalonenſis, Capitulo Eccleſiæ Elnenſis, Capitulo Eccleſiæ Nemauſenſis, Capitulo Eccleſiæ Carcaſſonenſis, Archipresbyteris & Rectoribus ac hoſpitalibus pauperum civitatis & dioceſis Narbonenſis, & exemptis provinciæ Narbonenſis.

CANONES SIVE STATVTA Concilij Narbonenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen. Conſtitutiones provinciales editæ in Concilio provinciali celebrato per Reverendiſſimum in Chriſto patrem & Dominum Dominum Petrum miſeratione divina ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopum & Primatem, cum ſuis ſuffraganeis, ſuóque Narbonenſi & aliarum Eccleſiarum cathedralium Capitulis, Abbatibus, Collegiis, & aliis perſonis eccleſiaſticis, præſentibus etiam exemptis totius provinciæ vocatis & legitimè citatis ſecundùm bullas apoſtolicas, prout infrà, aut eorum procuratoribus legitimis, die xv. menſis Aprilis, cum x. diebus ſequentibus & continuis, anno Domini M CCC LXXIV. Indictione duodecima, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Gregorij divina providentia Papæ XI. anno

quarto, in Eccleſia ſancta ſua Narbonenſi.

COPIA PRIMÆ BVLLÆ SVPER Concilio provinciali celebrando.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licèt pro obſervatione ſacrorum canonum, corrigendis exceſſibus, & reformatione morum, præſertim Cleri, ſit à ſanctis patribus inſtitutum quòd Metropolitani cum ſuis ſuffraganeis non omittant provincialia Concilia celebrare; quia tamen celebratio hujuſmodi ferè ubique terrarum, quod dolenter referimus, longis temporibus eſt negligenter omiſſa, propter quod idem Clerus ab honeſtate ſui primævi ſtatus non modicùm excidit, multiplicitérque in devium declinavit, nos de opportuna reformatione illius cogitantes, non videmus quòd hujuſmodi reformatio poſſit citiùs & efficaciùs fieri quàm per novas celebrationes Conciliorum provincialium prędictorum; ut ſuper obſervatione antiquorum inſtitutorum, novíſque caſibus in Clero ſæpius evenientibus manifeſtis, in eiſdem Conciliis opportuna remedia præbeantur. Ideóque fraternitati tuæ per apo-

Digitized by Google

ſtolica ſcripta mandamus quatinus provinciale Concilium tuæ provinciæ, in quo conveniant tecum ſuffraganei tui & alij Eccleſiarum & monaſteriorum Prælati dictæ provinciæ ad id ſoliti convocari, infra ſex menſium ſpatium poſt præſentationem præſentium tibi ſeu publicè apud Eccleſiam tuam factam ſtudeas in ipſa Eccleſia tua vel alibi infra dictam provinciam celebrare, ubi per te ac eoſdem ſuffraganeos de iis quæ erunt ad laudem Dei ac pro reformatione vitæ & morum Cleri & populi necnon pro neceſſitatibus & commodis Eccleſiarum aliorúmque piorum locorum provida examinatione tractetur & etiam ſtatuatur, prout tu & iidem ſuffraganei videritis expedire, ad apoſtolicam ſedem pro ejus auctoritate ac favoribus, ubi opportunum fuerit, recurſuri. Et ut dicti ſuffraganei venientes ad hujuſmodi Concilium de agendis in eo ſint pleniùs informati, volumus quòd eis mandes ex parte noſtra quòd ante ipſum Concilium ſtudeant ſuas ſynodos celebrare, in eis ſuper corrigendis exceſſibus, ſupplendis defectibus, ac promovendis utilitatibus eccleſiaſticis pleniùs tractaturi. Secuturis verò annis hujuſmodi Concilium convoces & celebres, prout in ſacris canonibus eſt ſtatutum. Nobis de convocatione &

Digitized by Google

celebratione hujuſmodi, cùm eas feceris, ut ſciamus ſi hujuſmodi mandato noſtro parueris, reſcripturus. Datum Avinioni II. Kal. Iulij, pontificatus noſtri anno tertio.

COPIA SECVNDÆ BVLLÆ, VT VENIRE compellantur exempti ad Concilium provinciale.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudum tibi ſcripſiſſe recolimus ut pro obſervatione ſacrorum canonum & moribus reformandis provinciale Concilium tuæ provinciæ celebrare deberes. Attendentes itaque ſtatui dictæ provinciæ expedire ut ad dictum Concilium etiam exempti ipſius convocentur, fraternitati tuæ convocandi auctoritate noſtra ad dictum Concilium, hac vice duntaxat, omnes & ſingulos Prælatos exemptos Eccleſiarum & monaſteriorum omnium ejuſdem provinciæ, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, & ordinis exiſtant, dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & Prælatis aliis Ciſtercienſis & Carthuſienſis ordinum duntaxat exceptis, contradictores quoque auctoritate prædicta appellatione poſtpoſita compeſcendi, non-

obſtantibus exemptionibus & quibuſlibet aliis privilegiis & litteris apoſtolicis ac ſtatutis & conſuetudinibus monaſteriorum & aliorum ordinum quorumcunque contrariis juramento, confirmatione, apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de eis eorúmque totis tenoribus plena & expreſſa eſſet in præſentibus mentio facienda, aut ſi eiſdem Prælatis vel alicui ſeu aliquibus ipſorum à ſede apoſtolica ſit indultum quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra vel ultra certa loca ad Concilia hujuſmodi evocari non poſſint, per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Avinioni XVI. Kal. Ianuarij, pontificatus noſtri anno tertio.

COPIA BVLLÆ TERTIÆ, QVOD exempti etiam ordinis Ciſtercienſis ad Concilium noſtrum provinciale venire compellantur.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Petro Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm tu unà cum venerabilibus fratribus noſtris tuis

ſuffraganeis ac aliis Prælatis & perſonis eccleſiaſticis tuarum civitatis, dioceſis, & provinciæ Narbonenſis, tibi & eiſdem ſuffraganeis ſubjectis, Concilium provinciale de ſpeciali mandato noſtro, prout jam incepiſti, debeas celebrare, & in hujuſmodi Concilio de utilitate & bono communi exemptorum, ſicut de aliis, tractare debeat & etiam ordinare; nos de circumſpectione tua plurimùm in Domino confidentes, convocandi ad hujuſmodi Concilium quoſcunque Prælatos & alias perſonas eccleſiaſticas ſeculares & regulares, etiam Ciſtercienſis ordinis, exemptas, civitatis & dioceſis ac provinciæ prædictarum, ipſóſque ad veniendum ad Concilium ipſum per cenſuram eccleſiaſticam compellendi, exemptionibus, privilegiis, ac litteris apoſtolicis ipſis aut eorum locis ſive ordinibus à ſede apoſtolica vel aliàs qualitercunque conceſſis, etiamſi de ipſis & totis eorum tenoribus eſſet præſentibus ſpecialis & expreſſa mentio facienda, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, fraternitati tuæ auctoritate apoſtolica plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Per hoc autem ipſis Prælatis & aliis perſonis exemptis, eorum exemptionibus & privilegiis, nullum aliàs volumus præjudicium gene-

Digitized by Google

rari. Datum Sallonij Arelatenſis dioceſis xv. Kal. Iulij, pontificatus noſtri anno quarto.

COPIA LITERÆ CLAVSÆ MISSÆ per Dominum noſtrum Papam ſuper Concilio provinciali, quòd exempti omnino venire teneantur & etiam intereſſe.

VENERABILI fratri noſtro Petro Archiepiſcopo Narbonenſi GREGORIUS &c. Venerabilis frater, vidimus &c. Quantum autem ad congregandum provinciale Concilium, de quo tuis in ſcriptionibus ſubjungebas, placet nobis & quòd ad illud exempti quicunque de dicta tua provincia venire & intereſſe debeant, legitimo impedimento ceſſante. ſuper quo tibi fieri juſſimus literas opportunas Quævis tuæ fraternitatis beneplacita ſemper nobis notificans confidenter. Datum Avinioni die XVI. Decembris.

SEQVITVR PROOEMIVM SVPER conſtitutionibus ſequentibus.

INTER cunctas ſollicitudines quæ inſident cordi noſtro, paſtorale officium nos aſtringit ut ſuper gregem dominicum ſuperna diſpoſitione ſpecialiter nobis commiſſum, illam quæ ars eſt artium habeamus præcipuam, videlicet cu-

ram & regimen animarum, ne illum lupus rapax, ſerpens antiquus, humani generis inimicus invadat, ejúſque ſanguis, quod abſit, de noſtris manibus exquiratur. Quantum enim nobis ex alto permittitur debemus virtutes inſerere, pacem quærere, ſcandala evitare, jurgiorum materiam amputare, juráque illibata ſervare, & intelligere ſuper egenum & pauperem, quia oblivio eorum non erit, & patientia pauperum non peribit in finem Voluntarios ſiquidem labores amplectimur, curis ſollicitamur continuis, & aſſidua meditatione penſamus ut juxta creditæ nobis diſpenſationis officium, ſubditorum commodis, in quorum proſperitate utique lætamur, jugi, quantum eſt nobis poſſibile, ſollicitudinis ſtudio intendamus, ut in extremo & tremendo examine ante tribunal æterni judicis Ieſu Chriſti filij Dei duplicatum talentum & creditum reportemus, & ad regnum patris ejus cum benedictis & grege nobis commiſſo pervenire feliciter valeamus. Igitur nos Petrus miſeratione divina ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopus & Primas, Sicardus Biterrenſis, Petrus Carcaſſonenſis, Iohannes ſancti Poncij Thomeriarum, Arnaldus Electenſis, & Hugo Agathenſis Epiſcopi præſentes, & procuratores vene-

rabilium fratrum noſtrorum abſentium Petri Magalonenſis, Bernardi Vticenſis, Iohannis Lodovenſis, Petri Elnenſis, & Iohannis Nemauſenſis Epiſcoporum, cum venerabili Capitulo noſtro Narbonenſi, in ipſa ſancta noſtra metropolitana Narbonenſi Eccleſia provinciale Concilium, ut juris & moris eſt, & antiqui patres ſtatuerunt & ſanxerunt, celebrantes, cum procuratoribus aliorum etiam venerabilium Capitulorum noſtrorum abſentium, Abbatibus, Capitulis, Prioribus, Collegiis, & aliis plurimis perſonis eccleſiaſticis exemptis & non exemptis, etiam mendicantibus, & aliorum ordinum quorumcunque noſtræ Narbonenſis provinciæ, ad hæc invitatis, vocatis, & legitimè citatis tam auctoritate apoſtolica quàm noſtra metropolitana conſtitutiones noſtras infraſcriptas pro ſubditorum noſtrorum ſalute animarum, & profectu & quiete eccleſiaſticæ libertatis, de ejuſdem Concilij unanimi conſilio & aſſenſu ad laudem, honorem, & gloriam divini nominis facimus, ordinamus, promulgamus, & ducimus promulgandas, quas & contenta in eis per omnes ſubditos noſtros & alios quoſcunque in juriſdictione noſtra & cujuſlibet civitatis & diœceſis provinciæ noſtræ Narbonenſis habitantes vel exi-

ſtentes nunc & in perpetuum teneri volumus irrefragabiliter & ſervari.

De Epiſcopis, qualem procuratorem ad Concilium mittere debeant, ſi juſtè fuerint præpediti.

CAP. I.

CVM, teſtante Sapientis ſententia, ſalus ſit ubi multa conſilia, & copiam ſani conſilij nequaquam coartari expedit, ſed extendi; idcirco ſub virtute ſanctæ obedientiæ Epiſcopis ſuffraganeis noſtris injungimus ut cùm venire ad ipſa Concilia fuerint legitimè impediti quò minùs ad ea perſonaliter venire poſſint, procuratores ſpeciales viros diſcretos & habiles deſtinare procurent. Et idem faciant alij qui ad dicta Concilia conſueverunt, debent, & poſſunt evocari.

De janitoribus Concilij, ubi debeant permanere.

CAP. II.

ITEM ſtatuimus quòd quandocunque provinciale Concilium infra noſtram provinciam celebrari contingerit, janitor aut quiſvis alius officialis, cujus præſentia in Concilio memorato nequaquam neceſ-

ſaria ſeu opportuna exiſtit, extra januam maneat. qui per præſidentem eidem Concilio deputetur.

Qualiter ſupplicans Concilio exire debeat quouſque vocetur.

CAP. III.

ITEM ſi contingat aliquem Prælatum, vel Canonicum alicujuſvis metropolitanæ, cathedralis, aut collegiatæ Eccleſiarum de dicta provincia, ſeu alium quemcunque, circa negotium aliquod nobis ſupplicare vel requirere, idem ſupplicans vel requirens, ſupplicatione vel requiſitione ſua propoſita, recedere ac de Concilio exire teneatur, dum Concilium ſuper petitione hujuſmodi diſcutiet atque deliberabit.

Qualiter Abbates ſubditi vocati ad ſynodum venire teneantur.

CAP. IV.

CVM non paſſim quicunque ſint admittendi vel deputandi ad ardua, ſed induſtria in talibus ſit diligentiùs exquirenda, præſentis auctoritate Concilij duximus ſtatuendum ut Epiſcopi Abbates eis ſubjectos ad ſynodos ſuas per cen-

Digitized by Google

ſuram eccleſiaſticam venire compellant. Vel ſi forſan legitimo impedimento detenti fuerint quò minùs perſonaliter ad illas accedere poſſint, procuratores deſtinent ſpeciales expertos, idoneos, & diſcretos, & de ipſorum ordinibus, ſi ibi ſufficientes exiſtant, cum patentibus & apertis literis eorundem.

Vt falſi & ficti, qui ſe aſſerunt Apoſtolos, evitentur.

CAP. V.

CVM quidam, qui ſe dicunt Apoſtolos, & Religioſos ſe fingunt, extiterint ſuis exigentibus demeritis per ſanctam ſedem apoſtolicam excommunicationis vinculo innodati, & pòſt, dum per orbem incedunt vagabundi, in multis malis fuerint deprehenſi, ſintque periculoſi homines circa fidem, volumus & etiam ordinamus quòd ubicunque infra noſtram provinciam inventi fuerint, capiantur, & dioceſanis in quorum dioceſibus capientur remittantur examinandi, corrigendi, & etiam puniendi, vt juris fuerit & etiam rationis.

Digitized by Google

Qualiter ad requiſitionem Ordinariorum excommunicati debeant in aliis dioceſibus publicari.

CAP. VI.

ITEM ſtatuimus quòd ex quo per Epiſcopum, Vicarium, ſeu ejus Officialem, aut alium per eos ſeu eorum alterum deputatum, contra aliquem vel aliquos excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententia fuerit promulgata & publicata, & exinde exigente rebellione ac inobedientiæ duritia per decem dies extiterit ſolemniter & publicè aggravata, licitum ſit eiſdem & ipſorum cuilibet hujuſmodi auctoritate Concilij ceteros Epiſcopos & Prælatos, Vicarios & Officiales eorundem, requirere, ut ipſius ſententias, quarum tenores & clauſas declarent in ſcriptis, in ſuis diſtrictibus & dioceſibus ſervent & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et Prælati, Vicarij, & Officiales alij ſuper hoc requiſiti, obtemperare teneantur.

Digitized by Google

Baillivia & ſcribania ad Prælatos ſpectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.

CAP. VII.

STATUIMUS quòd nullus noſtrum, nec Prælatus quiſvis alius, ſeu Capitulum vel Conventus alicujus Eccleſiæ cathedralis vel collegialis provinciæ noſtræ, vel aliqua alia ſingularis perſona etiam de ipſo Capitulo vel Collegio ſeu Conventu, Baillivias, Scribanias, ſeu alia officia ad nos ſeu dignitates vel beneficia noſtra vel aliarum perſonarum eccleſiaſticarum ſpectantia poſſit de cetero alicui perſonæ concedere ad ejus vitam, ſed ad beneplacitum duntaxat concedentis vel concedentium eorundem. Conceſſio verò in contrarium facta nullius valoris exiſtat.

Ne quis bona quæcunque in ædem ſacram depoſita ſub banno deponere, ſeu aliàs intromittere ſe præſumat.

CAP. VIII.

ITEM univerſos & ſingulos dominos temporales, Seneſcallos, Officiarios, Iudices, & alios quoſcunque, cujuſcunque ſtatus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, qui bona apud ædes ſacras de-

poſita vel repoſita receperint, arreſtaverint, ſaiſiverint, vel occupaverint, ſeu banniverint, & qui ſcienter recipi, arreſtari, & ſaiſiri mandaverint, & qui ſcienter talia occupata, ſaiſita, ſeu arreſtata receperint, & qui in prædictis ſcienter dederint publicè vel occultè conſilium, auxilium, vel favorem, auctoritate præſentis Concilij excommunicamus & excommunicatos ex nunc ut ex tunc haberi volumus ipſo facto, & ut excommunicatos præcipimus publicè nuntiari.

Prælati in vita vel in morte, Eccleſiæ cui præſunt vel præfuerint certam capellam relinquant ad ſummam deſignatam.

CAP. IX.

CVM ob honorem Dei & cultus divini, Eccleſiæ, maximè cathedrales, pulchris pollere debeant ornamentis, idcirco ſacro approbante Concilio ſtatuimus quòd quilibet noſtrum, ſcilicet nos Archiepiſcopus & Epiſcopi ſuffraganei noſtri, in vita unam capellam integram de pulcris pannis nobilibus Eccleſiæ cathedrali, cui præfuerint vel præſunt, conferre & dare vel centum florenos auri pro eadem emenda relinquere teneantur; & ad hoc ſint ejus bona quæcunque obligata.

Quam

Digitized by Google

Quam portionem Curati Eccleſiarum habere debeant in depoſito funere, quouſque in electa ſepultura tumuletur.

CAP. X.

DESIDERABILITER affectantes ut parrochiales Eccleſiæ, quæ maternos imitantur affectus, piis in Domino ſuorum defunctorum parrochialibus juribus non priventur; declarando ſtatuimus quòd per illos apud quorum Eccleſias ſeu cimiteria defunctos ipſos extra loca obitus transferendos deponi continget, de funeralibus & legatis eiſdem parrochialibus Eccleſiis reſpondeatur, ac ſi in ipſis in quibus corpus eſt depoſitum ſepulturam perpetuam elegiſſent.

De pœna inflicta perſonis capientibus vel detinentibus Clericos, liberè non reſtituentibus eoſdem.

CAP. XI.

CVM de jure dubium non exiſtat quin capientes & detinentes Clericos & mandantes capi abſque licentia ſui judicis eccleſiaſtici, ſint eo ipſo majori excommunicatione ligati, & mandantes ſeu detinentes hujuſmodi peccato peccatum accumu-

lent, cùm ipſos captos relaxant, ſuo judici eccleſiaſtico remiſſione non facta; volentes peccata hujuſmodi cohibere & indemnitati libertatis eccleſiaſticæ & juriſdictionis Eccleſiæ providere, inhærentes veſtigiis & ſtatutis antiquis prædeceſſorum noſtrorum, & ſtatuta eorum renovantes, volumus & ſtatuimus quòd ſi dominus temporalis aut quivis alius juriſdictionem temporalem exercens requiſitus per Curatum Eccleſiæ, in cujus parrochia Clericus capietur vel etiam detinebitur, ſeu per alium eccleſiaſtici judicis nomine, liberè nulla facta financia ſeu compoſitione, & nil in perſona vel habitu hujuſmodi Clerici immutato, Clericum ipſum in habitu & tonſura clericali exiſtentem non reſtituerit judici eccleſiaſtico ſeu deputato ab eo, ex tunc abſque alterius expectatione mandati ceſſetur à divinis in parrochia in qua hujuſmodi Clericus capietur, & etiam in qua captus detinebitur, tamdiu & quouſque idem Clericus plenè, decenter, & liberè fuerit judici eccleſiaſtico reſtitutus.

Pœna impedientium Epiſcopum & ſuos, quin de cauſis ad forum eccleſiaſticum quovis modo ſpectantibus cognoſcat, & ſuper ipſis informationes in quacunque parte dioceſis faciat.

CAP. XII.

ITEM cùm Epiſcopus in quacunque parte ſuæ dioceſis jurisdictionem ſpiritualem habeat, quæ eſſet deluſoria ſi non poſſet in loco quolibet ipſius dioceſis, non exempto, liberè exerceri; nihilominus tamen nonnulli domini temporales, ſuique judices, ac etiam alij jurisdictionem exercentes temporalem, judices eccleſiaſticos impediunt quò minùs jurisdictionem exerceant ſuper cauſis tam criminalibus quàm civilibus eccleſiaſticis, quorum correctio, punitio, & cognitio ad ipſum judicem eccleſiaſticum tam de jure quàm etiam de antiqua & approbata conſuetudine noſcitur pertinere, contra ſalutem animarum ſuarum jurisdictionem eccleſiaſticam impediendo; propter quod ſententias contra tales à jure & etiam à ſtatutis provincialibus promulgatas incurrunt; volentes ſaluti animarum ſuarum & etiam libertati eccleſiaſticæ ſalubriter providere, antiqua ſtatuta ſuper iis aliàs edita renovantes, excommunicamus tales, ut præmiſſum eſt, jurisdi-

ctionem eccleſiaſticam impedientes, & in præmiſſis ſeu aliquo præmiſſorum delinquentes, ac in iis publicè vel occultè dantes conſilium, auxilium, aut favorem; præcipientes eos excommunicatos publicè nuntiari, donec impedimenta hujuſmodi amota fuerint cum effectu, & beneficium abſolutionis meruerint obtinere.

Vt Clerici negotiationes illicitas non exerceant.

CAP. XIII.

ITEM cùm indecens & inhoneſtum ſit, & periculoſum exiſtat perſonis eccleſiaſticis, officium negotiationis exercere, & eidem inhærere, ſtatuimus & ordinamus ut perſonæ eccleſiaſticæ à negotiationibus illicitis quibuſcunque deſiſtant. Quòd ſi non fecerint, ad arbitrium Ordinarij ſui puniantur; pœnis contra tales in jure expreſſis in ſuo robore permanentibus quibuſcunque.

Vt beneficiati & animarum curam habentes Miſſas celebrare teneantur.

CAP. XIV.

ITEM cùm ſecundùm jus ratione officij detur beneficium, & ratione beneficij quilibet Deo ſervire teneatur, &, ut intelleximus, ſint nonnulli Preſbyteri, etiam

Digitized by Google

curam animarum habentes, qui in anno vix unam Miſſam celebrant, in grande ipſorum animarum periculum & gravamen; idcirco volumus & præſentis Concilij auctoritate ſtatuimus ut quicunque beneficium cum cura animarum obtinens, & qui in poſterum obtinebit, ad minus in menſe quolibet ſemel Miſſam celebrare teneatur, niſi ex cauſa ſufficienti & legitima excuſetur. Per hoc autem non intendimus diſpenſare cum illis qui ex inſtitutione ſuorum beneficiorum ſeu ordinatione ad plurium Miſſarum celebrationem ſunt adſtricti.

De Blaſphematoribus.

CAP. XV.

ITEM cùm peccatum ſit laxare linguam in blaſphemiam Dei & Redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancti Spiritus, beatæque Mariæ ſemper virginis, & ſanctorum, & ſint nonnulli, ut intelleximus, qui in Deum Patrem, & in unicum ejus Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ac Spiritum ſanctum, beatámque Mariam ſemper virginem, ſeu ſanctos ejus, blaſphemiam proferre non verentur, quod cedit in ipſorum blaſphemantium animarum non modicum periculum & gravamen & ſcandalum audientium; idcirco

Digitized by Google

hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus ut Curati infra noſtram provinciam conſtituti diebus dominicis parrochianos ſuos utriuſque ſexus moneant & exhortent ut à blaſphemiis abſtineant, ſi indignationem Dei Patris & ejus filij Domini noſtri Ieſu Chriſti & beatæ Virginis glorioſæ & ultionem noſtram voluerint evitare. Quòd ſi prædictis monitionibus non obtemperaverint, ſed in blaſphemiam in Deum Patrem, ſeu ejus Filium & Spiritum ſanctum, beatam Mariam ſemper virginem, ſeu ſanctos Dei, linguam laxare præſumpſerint, ex tunc auctoritate præſentis Concilij pœnis juris ſubjiciantur, quę per Ordinarium eccleſiaſticum executioni demandentur. Et ſi Clerici fuerint, ad arbitrium Ordinarij acriùs puniantur.

Pœna contra non revelantes blaſphematores Dei, beatæ Virginis, & ſanctorum, infra XV. *dies.*

CAP. XVI.

ITEM cùm ſecundùm ſanctorum Patrum traditiones juris ordo confundatur, quando ſua juriſdictio cuique non ſervatur, & cùm ſecundùm jus commune ad nos & ſuffraganeos noſtros in noſtris civitatibus & dioceſibus ſpectet & pertineat

Digitized by Google

cognoſcere de blaſphemiis, & blaſphemos ſecundùm canonicas ſanctiones vel aliàs, prout expediens fuerit, punire; hinc eſt quod præſenti ſacro Concilio approbante ſtatuimus & ordinamus ut Curati noſtræ provinciȩ diebus dominicis moneant & exhortentur omnes parrochianos ſuos utriuſque ſexus ad divina congregatos, ut quicunque qui audiet aliquem ſeu aliquos, aliquam ſeu aliquas, linguam ſuam publicè laxantem ſeu laxantes in blaſphemiam Dei, ejúſque filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, Spiritus ſancti, & beatȩ Mariȩ ſemper virginis, & ſanctorum, blaſphemiam & nomen blaſphemantis infra xv. dies à die prolationis blaſphemiȩ Officiali illius dioceſis, ſeu ejus locumtenenti, in qua blaſphemia dicta fuerit, revelet & revelent. Quòd ſi non fecerint, contra ſcientes & non revelantes & contra blaſphemantes prædictos & eorum quemlibet procedetur ut juris fuerit & etiam rationis.

Pœna contra uſurpantes, invadentes, & detinentes bona & jura eccleſiaſtica & perſonarum eccleſiaſticarum.

CAP. XVII.

ITEM recolentes nos dudum in generali & provinciali Concilio noſtro pri-

dem celebrato Biterris ſtatutum feciſſe ſubſcriptum, negligentiam ſuffraganeorum noſtrorum & eorum Vicariorum & Officialium redarguentes in hac parte, id præcipimus & mandamus univerſis & ſingulis ſuffraganeis noſtris & eorum Vicariis & Officialibus auctoritate præſentis Concilij, ut dictum ſtatutum, quod etiam in præſenti noſtro ſacro Concilio renovamus, executioni demandent & demandari faciant & publicari per Capellanos eis ſubjectos, quilibet in ſuis civitate & dioceſi, ſaltim bis in anno, & circa obſervantiam ejus invigilent. Cujus ſtatuti tenor ſequitur, & eſt talis.

ITEM Conciliorum provincialium per prædeceſſores noſtros Narbonenſes Archiepiſcopos eorúmque ſuffraganeos olim factorum veſtigijs inhærentes, & certa in aliquibus eorundem contenta pro qualitate & conditione temporum, prout melius nobis viſum eſt expediens, temperantes & etiam moderantes, hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus & etiam ordinamus quòd quicunque, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, qui ſcienter & temerè quaſcunque res, bona, poſſeſſiones, aut jura mobilia & immobilia aut ſe moventia, quæ tamen mobilia ſeu ſe moventia valorem XX. *ſolidorum monetæ Turonenſis communi æſtimatione excedant, Eccleſiarum ſecularium ſeu regula-*

Digitized by Google

rium aut quorumcunque religioſorum ſeu piorum locorum ſive perſonarum eccleſiaſticarum invadere, occupare, rapere, aut perſonas eccleſiaſticas ſeu earum domos, quas inhabitant, invadere, ferrare, ſeu violenter expugnare vel aperire præſumpſerint, niſi infra VI. *dies à tempore invaſionis, occupationis, rapinæ, clauſuræ, ferraturæ, expugnationis, & aperturæ hujuſmodi ſatisfactionem & emendam plenariam fecerint de præmiſſis; ſi perſona ſingularis fuerit, tam ipſa perſona quàm quæcunque alia in præmiſſis dans auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis, ſi verò univerſitas fuerit, interdicti ſententias auctoritate præſentis Concilij ipſo facto incurrant. Quòd ſi prædicti infra dictos* VI. *dies ſatisfactionem de præmiſſis non fecerint competentem; ex tunc nos Ordinarij prædicti, Vicarij, ſeu Officiales noſtri, & noſtrum quilibet in ſua civitate & diœceſi, ubi prædicta attentata fuerint, poſtquam eis conſtiterit de præmiſſis, ubi ea notoria non fuerint, ſuper quo quilibet noſtrum Ordinariorum, Vicariorum, & Officialium cognitor & executor legitimus cenſeatur, poteſtatémque habeat cognoſcendi ſummariè etiam & de plano abſque ſtrepitu judicij & figura; ubi ex mero officio procedetur. Si verò notoria extiterint, procedendo in eis ſicut eſt de jure in notoriis procedendum, denuntient ſeu faciant excommunicatos publicè nuntiari & etiam*

Digitized by Google

interdictos. Et nihilominus ad requeſtam dioceſanorum, Vicariorum, vel Officialium ſuorum, in quorum dioceſi prædicta commiſſa fuerint, ceteri Ordinarij & Officiales dictæ provinciæ noſtræ præfatos excommunicatos & interdictos & aggravatos, ſi aggravati fuerint, in locis ſuarum civitatum & dioceſum de quibus requiſiti fuerint, faciant publicè nuntiari.

Licitum ſit Presbytero, cuicunque ſacerdoti idoneo, etiam curam animarum non habenti, confiteri.

CAP. XVIII.

VT Miſſæ & alia divina officia cum puritate conſcientiæ celebrentur, & ne propter defectum Confeſſorum ea omitti contingat, indulgemus quòd quilibet Preſbyter poſſit, quotiens indigebit ſeu opportunum fuerit, cuilibet ſacerdoti idoneo, etiam non curato, ſua confiteri peccata, & abſolutionis beneficium recipere ab eodem, præterquam de caſibus Ordinariis reſervatis.

De indulgentiis conceſſis Corpus Chriſti aſſociantibus, cùm infirmis portatur.

CAP. XIX.

SI propter Chriſtum ſanctis ejus reverentia impendi præcipitur, quanto ma-

gis colendum eſt veneratione præcipua ſacratiſſimum corpus ejus qui ſanctos ſanctificat, ac caput eſt ſanctorum omnium & corona. Hoc utique corpus, quod ipſe ſolus pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri, quotidie in eccleſiaſticis aris pro vivis & mortuis in illius paſſionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & jubemus quatinus omnes & ſinguli Priores, Rectores, atque Vicarij Eccleſiarum noſtrarum civitatis & dioceſis ac provinciæ parrochianos ſuos, præſertim in Miſſarum ſolemniis, inducere ſtudeant, ut hujuſmodi ſanctiſſimo corpori, cùm per Preſbyterum defertur infirmo in viaticum miniſtrandum, reverenter aſſurgant, illúdque devotè ſequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementiùs ſpiritualium ſtipendiis præmiorum, omnibus qui ſanctiſſimum corpus ipſum ſequentur ſine lumine diurno tempore vel nocturno, xx. dies, omnibus verò cum luminaribus dictum ſacratiſſimum corpus ſequentibus, vel luminaria mittentibus de die, xxx. de nocte verò, xl. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo verè pœnitentes & confeſſi fuerint, vel infra quindecim dies inde tunc ſequentes exiſtant, miſericorditer in Domino relaxamus.

Digitized by Google

Qui nuncios curiarum noſtrarum eccleſiaſticarum impediunt quò minùs mandata curiæ libere exequantur, graviſſimè puniantur.

CAP. XX.

CVM juſtitiæ jus ſuum cuique tribuenti & miniſtris ipſius ac rei publicæ plurimùm detrahatur, ſi proceſſus ipſorum miniſtrorum contingat iniquorum machinationibus impediri; nos volentes talium juſtitiæ cultum impedire nitentium auſus temerarios timore diſciplinæ eccleſiaſticæ cohibere, proviſione præſentis Concilij duximus ſtatuendum quòd ſi quis, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, delegatos, ſubdelegatos, commiſſarios, nuncios, aut executores noſtros vel ſuffraganeorum noſtrorum, Vicariorum & Officialium prædictorum litteras deferentes, ſeu hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, aut interficere, mutilare, ſeu literas vel ſcripturas prædictas auferre, ſeu eas rumpere, cancellare, aut aliàs deſtruere quoquo modo, vel ablatas celare, ſeu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum literas hujuſmodi vel ſcripturas, aut qui prædicta vel ali-

quid prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, conſilium, vel favorem, auctoritate præſentis Concilij excommunicationis ſententiæ ſubjaceant ipſo facto, à qua, niſi priùs judici curiæ, cujus auctoritatem contempſerint, & paſſo injuriam, ac ceteris quorum intereſt, pro ut exceſſus exegerit atrocitas, ſatisfecerint, nullatenus abſolvantur.

Contra diffidantes perſonas eccleſiaſticas & eorum bona, ſive guerram eiſdem hoſtiliter facientes.

CAP. XXI.

AD reprimendam audaciam perverſorum Clericos & perſonas eccleſiaſticas diffidantium, ſeu procurantium diffidari, eorúmque homines vel loca eorum, ſeu guerram facientium, præſenti ſacro approbante Concilio ſtatuimus & etiam ordinamus quòd omnes & ſinguli Clericos aut perſonas eccleſiaſticas diffidantes ſeu diffidari procurantes, aut eorum homines vel loca ſeu prædictos Clericos aut perſonas eccleſiaſticas præcedente vel non præcedente diffidamento quocunque guerram facient, ſeu eoſdem Clericos aut perſonas eccleſiaſticas, vel

homines ſive dicta bona ipſorum per modum guerræ ſeu hoſtiliter aut aliàs cum turba ſeu hominibus coadunatis ex propoſito invaſerint, damnificaverint, necnon omnes & ſinguli qui eis circa prædicta dederint auxilium, conſilium, vel favorem, auctoritate præſentis Concilij excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Et ſi præfatam excommunicationis ſententiam per xv. dies à diffidatione guerræ & hoſtili impugnatione & damnorum datione, ſatisfactione condecenti non facta, animo ſuſtinuerint ſeu ſuſtinuerunt indurato; ex tunc auctoritate præſentis Concilij in eorum terris ceſſetur à divinis, ſi quas habent in provincia noſtra.

Clandeſtinum matrimonium extra diœceſim contrahentes ſine licentia Rectoris parrochialis Eccleſiæ, excommunicentur, & aliàs extraordinariè puniantur.

CAP. XXII.

STATUIMUS quòd quæcunque perſona, quæ pro matrimonio clandeſtino ſolemniſando parrochiam ſuam exiens, ipſum matrimonium ſolemniſaverit ſine licentia judicis vel proprij ſacerdotis, & qui in præmiſſis præſentiam ſuam

aſſociando exhibuerit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, & tamdiu ut excommunicatus evitetur & etiam publicetur, donec ad arbitrium judicis eccleſiaſtici & Preſbytero Eccleſiæ parrochialis ſatisfecerit, in cujus injuriam hoc attentare præſumpſerit, abſolutionem meruerit obtinere.

Quòd Quæſtores quicunque ſine litteris Ordinariorum minimè recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.

CAP. XXIII.

DE Quæſtoribus autem Eccleſiarum, Hoſpitalium, vel pontium, & aliorum quorumcunque, aliàs duximus ſtatuendum, & ſtatuimus præſentis Concilij auctoritate, quòd ſine noſtris vel Epiſcoporum literis aut Vicariorum aut Officialium noſtrorum non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur, ſed ad expoſitionem ipſorum tantùm quæ in noſtris vel eorum literis continentur. Et ſi prædicare præſumpſerint, taliter corrigantur quòd ceteris tranſeat in exemplum.

* *
* * * *
* *
*

Digitized by Google

hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus ut Curati infra noſtram provinciam conſtituti diebus dominicis parrochianos ſuos utriuſque ſexus moneant & exhortent ut à blaſphemiis abſtineant, ſi indignationem Dei Patris & ejus filij Domini noſtri Ieſu Chriſti & beatæ Virginis glorioſæ & ultionem noſtram voluerint evitare. Quòd ſi prædictis monitionibus non obtemperaverint, ſed in blaſphemiam in Deum Patrem, ſeu ejus Filium & Spiritum ſanctum, beatam Mariam ſemper virginem, ſeu ſanctos Dei, linguam laxare præſumpſerint, ex tunc auctoritate præſentis Concilij pœnis juris ſubjiciantur, quę per Ordinarium eccleſiaſticum executioni demandentur. Et ſi Clerici fuerint, ad arbitrium Ordinarij acriùs puniantur.

Pœna contra non revelantes blaſphematores Dei, beatæ Virginis, & ſanctorum, infra XV. *dies.*

CAP. XVI.

ITEM cùm ſecundùm ſanctorum Patrum traditiones juris ordo confundatur, quando ſua juriſdictio cuique non ſervatur, & cùm ſecundùm jus commune ad nos & ſuffraganeos noſtros in noſtris civitatibus & dioceſibus ſpectet & pertineat

Digitized by Google

cognoſcere de blaſphemiis, & blaſphemos ſecundùm canonicas ſanctiones vel aliàs, prout expediens fuerit, punire; hinc eſt quod præſenti ſacro Concilio approbante ſtatuimus & ordinamus ut Curati noſtræ provinciẹ diebus dominicis moneant & exhortentur omnes parrochianos ſuos utriuſque ſexus ad divina congregatos, ut quicunque qui audiet aliquem ſeu aliquos, aliquam ſeu aliquas, linguam ſuam publicè laxantem ſeu laxantes in blaſphemiam Dei, ejúſque filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, Spiritus ſancti, & beatẹ Mariẹ ſemper virginis, & ſanctorum, blaſphemiam & nomen blaſphemantis infra xv. dies à die prolationis blaſphemiẹ Officiali illius diœceſis, ſeu ejus locumtenenti, in qua blaſphemia dicta fuerit, revelet & revelent. Quòd ſi non fecerint, contra ſcientes & non revelantes & contra blaſphemantes prædictos & eorum quemlibet procedetur ut juris fuerit & etiam rationis.

Pœna contra uſurpantes, invadentes, & detinentes bona & jura eccleſiaſtica & perſonarum eccleſiaſticarum.

CAP. XVII.

ITEM recolentes nos dudum in generali & provinciali Concilio noſtro pri-

Digitized by Google

dem celebrato Biterris ſtatutum feciſſe ſubſcriptum, negligentiam ſuffraganeorum noſtrorum & eorum Vicariorum & Officialium redarguentes in hac parte, id præcipimus & mandamus univerſis & ſingulis ſuffraganeis noſtris & eorum Vicariis & Officialibus auctoritate præſentis Concilij, ut dictum ſtatutum, quod etiam in præſenti noſtro ſacro Concilio renovamus, executioni demandent & demandari faciant & publicari per Capellanos eis ſubjectos, quilibet in ſuis civitate & diocesi, ſaltim bis in anno, & circa obſervantiam ejus invigilent. Cujus ſtatuti tenor ſequitur, & eſt talis.

ITEM Conciliorum provincialium per prædeceſſores noſtros Narbonenſes Archiepiſcopos eorúmque ſuffraganeos olim factorum veſtigiis inhærentes, & certa in aliquibus eorundem contenta pro qualitate & conditione temporum, prout melius nobis viſum eſt expediens, temperantes & etiam moderantes, hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus & etiam ordinamus quòd quicunque, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, qui ſcienter & temerè quaſcunque res, bona, poſſeſſiones, aut jura mobilia & immobilia aut ſe moventia, quæ tamen mobilia ſeu ſe moventia valorem XX. *ſolidorum monetæ Turonenſis communi æſtimatione excedant, Eccleſiarum ſecularium ſeu regula-*

Digitized by Google

rium aut quorumcunque religioſorum ſeu piorum locorum ſive perſonarum eccleſiaſticarum invadere, occupare, rapere, aut perſonas eccleſiaſticas ſeu earum domos, quas inhabitant, invadere, ferrare, ſeu violenter expugnare vel aperire præſumpſerint, niſi infra VI. *dies à tempore invaſionis, occupationis, rapinæ, clauſuræ, ferraturæ, expugnationis, & aperturæ hujuſmodi ſatisfactionem & emendam plenariam fecerint de præmiſſis; ſi perſona ſingularis fuerit, tam ipſa perſona quàm quæcunque alia in præmiſſis dans auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis, ſi verò univerſitas fuerit, interdicti ſententias auctoritate præſentis Conciliÿ ipſo facto incurrant. Quòd ſi prædicti infra dictos* VI. *dies ſatisfactionem de præmiſſis non fecerint competentem; ex tunc nos Ordinariÿ prædicti., Vicariÿ, ſeu Officiales noſtri, & noſtrum quilibet in ſua civitate & diœceſi, ubi prædicta attentata fuerint, poſtquam eis conſtiterit de præmiſſis, ubi ea notoria non fuerint, ſuper quo quilibet noſtrum Ordinariorum, Vicariorum, & Officialium cognitor & executor legitimus cenſeatur, poteſtatémque habeat cognoſcendi ſummariè etiam & de plano abſque ſtrepitu judiciÿ & figura; ubi ex mero officio procedetur. Si verò notoria extiterint, procedendo in eis ſicut eſt de jure in notoriis procedendum, denuntient ſeu faciant excommunicatos publicè nuntiari & etiam*

interdictos. Et nihilominus ad requeſtam diœceſanorum, Vicariorum, vel Officialium ſuorum, in quorum dioceſi prædicta commiſſa fuerint, ceteri Ordinarij & Officiales dictæ provinciæ noſtræ præfatos excommunicatos & interdictos & aggravatos, ſi aggravati fuerint, in locis ſuarum civitatum & dioceſum de quibus requiſiti fuerint, faciant publicè nuntiari.

Licitum ſit Presbytero, cuicunque ſacerdoti idoneo, etiam curam animarum non habenti, confiteri.

CAP. XVIII.

VT Miſſæ & alia divina officia cum puritate conſcientiæ celebrentur, & ne propter defectum Confeſſorum ea omitti contingat, indulgemus quòd quilibet Preſbyter poſſit, quotiens indigebit ſeu opportunum fuerit, cuilibet ſacerdoti idoneo, etiam non curato, ſua confiteri peccata, & abſolutionis beneficium recipere ab eodem, præterquam de caſibus Ordinariis reſervatis.

De indulgentiis conceſſis Corpus Chriſti aſſociantibus, cùm infirmis portatur.

CAP. XIX.

SI propter Chriſtum ſanctis ejus reverentia impendi præcipitur, quanto ma-

gis colendum eſt veneratione præcipua ſacratiſſimum corpus ejus qui ſanctos ſanctificat, ac caput eſt ſanctorum omnium & corona. Hoc utique corpus, quod ipſe ſolus pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri, quotidie in eccleſiaſticis aris pro vivis & mortuis in illius paſſionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & jubemus quatinus omnes & ſinguli Priores, Rectores, atque Vicarij Eccleſiarum noſtrarum civitatis & dioceſis ac provinciæ parrochianos ſuos, præſertim in Miſſarum ſolemniis, inducere ſtudeant, ut hujuſmodi ſanctiſſimo corpori, cùm per Preſbyterum defertur infirmo in viaticum miniſtrandum, reverenter aſſurgant, illúdque devotè ſequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementiùs ſpiritualium ſtipendiis præmiorum, omnibus qui ſanctiſſimum corpus ipſum ſequentur ſine lumine diurno tempore vel nocturno, xx. dies, omnibus verò cum luminaribus dictum ſacratiſſimum corpus ſequentibus, vel luminaria mittentibus de die, xxx. de nocte verò, xl. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo verè pœnitentes & confeſſi fuerint, vel infra quindecim dies inde tunc ſequentes exiſtant, miſericorditer in Domino relaxamus.

Digitized by Google

Qui nuncios curiarum noſtrarum eccleſiaſticarum impediunt quò minùs mandata curiæ libere exequantur, graviſſimè puniantur.

CAP. XX.

CVM juſtitiæ jus ſuum cuique tribuenti & miniſtris ipſius ac rei publicæ plurimùm detrahatur, ſi proceſſus ipſorum miniſtrorum contingat iniquorum machinationibus impediri; nos volentes talium juſtitiæ cultum impedire nitentium auſus temerarios timore diſciplinæ eccleſiaſticæ cohibere, proviſione præſentis Concilij duximus ſtatuendum quòd ſi quis, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, delegatos, ſubdelegatos, commiſſarios, nuncios, aut executores noſtros vel ſuffraganeorum noſtrorum, Vicariorum & Officialium prædictorum litteras deferentes, ſeu hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, aut interficere, mutilare, ſeu literas vel ſcripturas prædictas auferre, ſeu eas rumpere, cancellare, aut aliàs deſtruere quoquo modo, vel ablatas celare, ſeu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum literas hujuſmodi vel ſcripturas, aut qui prædicta vel ali-

quid prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, conſilium, vel favorem, auctoritate præſentis Concilij excommunicationis ſententiæ ſubjaceant ipſo facto, à qua, niſi priùs judici curiæ, cujus auctoritatem contempſerint, & paſſo injuriam, ac ceteris quorum intereſt, pro ut exceſſus exegerit atrocitas, ſatisfecerint, nullatenus abſolvantur.

Contra diffidantes perſonas eccleſiaſticas & eorum bona, ſive guerram eiſdem hoſtiliter facientes.

CAP. XXI.

AD reprimendam audaciam perverſorum Clericos & perſonas eccleſiaſticas diffidantium, ſeu procurantium diffidari, eorúmque homines vel loca eorum, ſeu guerram facientium, præſenti ſacro approbante Concilio ſtatuimus & etiam ordinamus quòd omnes & ſinguli Clericos aut perſonas eccleſiaſticas diffidantes ſeu diffidari procurantes, aut eorum homines vel loca ſeu prædictos Clericos aut perſonas eccleſiaſticas præcedente vel non præcedente diffidamento quocunque guerram facient, ſeu eoſdem Clericos aut perſonas eccleſiaſticas, vel

Digitized by Google

homines ſive dicta bona ipſorum per modum guerræ ſeu hoſtiliter aut aliàs cum turba ſeu hominibus coadunatis ex propoſito invaſerint, damnificaverint, necnon omnes & ſinguli qui eis circa prædicta dederint auxilium, conſilium, vel favorem, auctoritate præſentis Concilij excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Et ſi præfatam excommunicationis ſententiam per xv. dies à diffidatione guerræ & hoſtili impugnatione & damnorum datione, ſatisfactione condecenti non facta, animo ſuſtinuerint ſeu ſuſtinuerunt indurato, ex tunc auctoritate præſentis Concilij in eorum terris ceſſetur à divinis, ſi quas habent in provincia noſtra.

Clandeſtinum matrimonium extra dioceſim contrahentes ſine licentia Rectoris parrochialis Eccleſiæ, excommunicentur, & aliàs extraordinariè puniantur.

CAP. XXII.

STATUIMUS quòd quæcunque perſona, quæ pro matrimonio clandeſtino ſolemniſando parrochiam ſuam exiens, ipſum matrimonium ſolemniſaverit ſine licentia judicis vel proprij ſacerdotis, & qui in præmiſſis præſentiam ſuam

Digitized by Google

aſſociando exhibuerit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, & tamdiu ut excommunicatus evitetur & etiam publicetur, donec ad arbitrium judicis eccleſiaſtici & Preſbytero Eccleſiæ parrochialis ſatisfecerit, in cujus injuriam hoc attentare præſumpſerit; abſolutionem meruerit obtinere.

Quòd Quæſtores quicunque ſine litteris Ordinariorum minimè recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.

CAP. XXIII.

DE Quæſtoribus autem Eccleſiarum, Hoſpitalium, vel pontium, & aliorum quorumcunque, aliàs duximus ſtatuendum, & ſtatuimus præſentis Concilij auctoritate, quòd ſine noſtris vel Epiſcoporum literis aut Vicariorum aut Officialium noſtrorum non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur, ſed ad expoſitionem ipſorum tantùm quæ in noſtris vel eorum literis continentur. Et ſi prædicare præſumpſerint, taliter corrigantur quòd ceteris tranſeat in exemplum.

* * * * * * * *

De eligendis perſonis idoneis ad audiendum rationem de pecuniis receptis à Clero.

CAP. XXIV.

ITEM ſtatuimus & auctoritate præſentis Concilij ordinamus quòd in ſingulis dioceſibus provinciæ noſtræ in hyemali ſynodo eligantur duo viri eccleſiaſtici, quibus in ſequenti ſynodo hyemali ratio reddatur de receptis & levatis per Theſaurarium Epiſcopi vel quemcunque alium ad recipiendum & levandum pecuniam debitam per Clerum ſuæ dioceſis, ratione Legatorum Nunciorum ſedis apoſtolicæ, vel alia quavis cauſa, per ipſum Epiſcopum deputatum ſeu etiam deputandum.

Quod puniantur facientes donationes in fraudem laicorum.

CAP. XXV.

ITEM ad noſtrum pervenit auditum quòd nonnulli Clerici ſoluti, & tam in minoribus quàm in ſacris ordinibus conſtituti, & etiam Religioſi aliqui, ſibi procurant donationes rerum immobilium fieri in fraudem, ut bona ſic eis donata ad contributionem talliarum laicorum pro

rata

rata non teneantur. Nos igitur talibus fraudibus obviare volentes, hoc ſacro approbante Concilio prohibemus ne hujuſmodi donationes in fraudem, ut præmittitur, recipiant. Quod ſi fecerint, volumus & ordinamus ut per judicem ſuum eccleſiaſticum, cùm de prædicta fraude ſibi conſtiterit, ad ſolutionem talliarum pro rebus eiſdem donatis compellantur.

Vt nullus excommunicatum ſeu interdictum aliquem ad ſepulturam admittat.

Cap. XXVI.

ITem ſtatuimus quòd quicunque Preſbyter, cujuſcunque conditionis exiſtat, etiam Religioſus, nullum tam per ſtatuta provincialia aut ſynodalia, quàm per literas noſtras ſeu ſuffraganeorum noſtrorum, vel aliàs excommunicationis ſententia innodatum, ſeu interdictum, poſtquam ſibi de excommunicatione ſeu interdicto conſtiterit, admittat ad eccleſiaſticam ſepulturam ſine ſui ſuperioris licentia & mandato; vel probetur ipſum ab hujuſmodi excommunicationis ſeu interdicti ſententia fuiſſe abſolutum.

Digitized by Google

Indulgentia orantibus pro Domino noſtro Papa & Rege conceſſa.

CAP. XXVII.

ITEM ſtatuimus quòd per quemcunque Chriſti fidelem provinciæ noſtræ pro ſtatu Domini noſtri Summi Pontificis & Eccleſiæ univerſalis conſervando, ac etiam Domini noſtri Regis, dicantur ſingulis diebus duo *Ave Maria*, & unum *Pater noſter*. Omnibus autem & ſingulis dicentibus, verè pœnitentibus & confeſſis, x. dies de injunctis ſibi pœnitentiis in Domino miſericorditer relaxamus.

Confirmatio conſtitutionum à prædeceſſoribus noſtris editarum.

CAP. XXVIII.

CVM multa ſit diligentia per noſtros prædeceſſores proviſum caſibus qui ſolent in civitatibus & diœceſibus noſtræ provinciæ evenire per conſtitutiones legitimas provinciales, quæ ab aliquibus minùs debitè obſervantur; hinc eſt quòd nos omnes conſtitutiones provinciales aliàs per prædeceſſores noſtros & per nos editas approbamus, eáſque de fratrum ſuffraganeorum noſtrorum conſilio una-

nimi & aſſenſu ex certa ſcientia confirmamus, ac ipſas præcipimus inviolabiliter obſervari; nec per iſta præcedentia ſtatuta in præſenti Concilio facta aliis ſtatutis obſervatis provincialibus & ſynodalibus intendimus in aliquo derogare, niſi in quantum prædictis eſſent contraria vel adverſa.

LECTÆ fuerunt & publicatæ ſupraſcriptæ conſtitutiones Narbonæ in hujuſmodi provinciali Concilio, quadam die Lunæ, quæ fuit dies XXIV. menſis Aprilis, anno, indictione, & pontificatu prædictis. In quorum teſtimonium nos P. Archiepiſcopus memoratus præfato noſtro Concilio approbante ſupraſcriptas conſtitutiones per Notarium publicum infraſcriptum in hanc publicam formam redigi mandavimus, & ſigilli noſtri appenſione muniri. Præſentibus venerabilibus Patribus Dominis Guidone Craſſenſi, Embrino de Caunis, Stephano de Quadraginta, Pontio ſancti Tiberij, Petro Iuncellenſi, Arnaldo ſancti Aniani, ordinum ſanctorum Benedicti & Auguſtini, monaſteriorum Abbatibus, Carcaſſonenſis, Narbonenſis, Agathenſis, Biterrenſis, & ſancti Pontij Thomeriarum dioceſum, necnon & venerabilibus ac diſcretis viris Guillermo Sigerij Baccallario de Pintia-

Digitized by Google

no, Petro de Meſergua Licentiato in Decretis Vicario perpetuo de Faberzano, Raymundo de Franchis in Eccleſia ſancta noſtra, Stephano de Fruinhaco de Fictorio, Raymundo de Colunhacio Vicario perpetuo de Perignano noſtræ Narbonenſis, Raymundo Palomerij de Prata Elnenſis dioceſis parrochialium Eccleſiarum Preſbyteris Rectoribus, Bernardo de Brolio Preſbytero beneficiato in Eccleſia ſancta noſtra Narbonenſi, & pluribus alis ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Iohannes Nigri Preſbyter Morinenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali ac ipſius Domini mei Domini Archiepiſcopi Narbonenſis & Primatis ac ipſius auctoritate ſcriba & Notarius, ſupraſcriptarum conſtitutionum ordinationi, lectioni, editioni, publicationi, & omnibus aliis ſupraſcriptis per prænominatum Dominum Archiepiſcopum & Primatem factis ejus ſacro approbante Concilio, unà cum ſupraſcriptis teſtibus præſens fui, ipſáſque de ejus mandato & præfati Concilij in notam recepi, publicavi, & manu propria ſcripſi in duobus pergamenis ſimul conglutinatis, & ſigno meo ſignavi in fidem & teſtimonium præmiſſorum, unà cum ipſius Domini mei Domini Archiepiſcopi & Primatis appenſione

Digitized by Google

ſigilli. Sic verum eſt prout continetur. *Manu propria* ✠ P. Narbonenſis. Datum ut ſuprà.

CONCILIVM AVENIONENSE Habitum anno MCCCXXXVII.

Statuta provincialia edita per Reverendos Patres Dominos Arclatenſem, Ebredunenſem, & Aquenſem Archiepiſcopos, cum ſuffraganeis eorundem, in monaſterio ſancti Ruffi.

IN nomine Domini. Amen. Antiqui patres, ſanctitatis gratia præditi, tam exemplo quàm opere beatitudinis munere affluentes, curam paſtoralis ſolicitudinis ſalubriter exercentes, ſua ſœpius Concilia celebrarunt, in quibus per juſtitiæ regulam ſuis conſuluerunt temporibus opportunis regimini eccleſiaſticæ diſciplinæ ....obviarunt. Ideo nos permiſſione divina Gaſbertus Arelatenſis, Bertrandus Ebredunenſis, Armandus Aquenſis Archiepiſcopi, prædictorum patrum antiquorum veſtigijs inhærentes, ac ſubditorum noſtrorum ſaluti, quantum nobis ex alto permittitur, proſpicere cupientes, de infraſcriptorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum præſentium ac procu-

ratorum noſtrarum provinciarum abſentium conſilio & aſſenſu, videlicet nos Gaſbertus Arelatenſis Archiepiſcopus cum venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis eadem gratia Petro Auraycenſi, Hugone Tricaſtrinenſi, Iacobo Tholonenſi, Hugone Carpentoratenſi, Philippo Cavallicenſi, Iohanne Maſſilienſi, Iohanne Avinionenſi & Vaſionenſi, & cum Arelatenſis, Auraycenſis, & Vaſionenſis Capitulorum procuratoribus ſufficienter comparentibus, & nos Ebredunenſis Archiepiſcopus cum Bertrando Seneſcenſi, Elizario Dignenſi, Glandatenſi, Arnaudo Vencienſi, & Guillelmo Nicienſi, & cum diſcreto viro Magiſtro Iohanne Duranti Clerico intitulato in Eccleſia Graſſenſi procuratore venerabilis Patris Domini Gaufridi Epiſcopi Graſſenſis abſentis, & cum Seneſcenſis, Glandatenſis, Graſſenſis, Vencienſis, & Nicienſis Capitulorum procuratoribus ſufficienter comparentibus, & nos Armandus Aquenſis Archiepiſcopus cum Bartholomæo Forojulienſi, Gaufrido Regenſi, Roſtagno Siſtaricenſi, & Guillelmo Aptenſi Epiſcopis noſtris ſuffraganeis, & cum religioſo viro fratre Laurentio de Sperrone Priore prioratus de Alomone Vapincenſis dioceſis ac procuratore ve-

nerabilis Patris Domini Dragoneti Epiſcopi Vapincenſis abſentis, ac cum Regenſis, Siſtaricenſis, Aptenſis, & Vapincenſis Capitulorum procuratoribus ſufficienter comparentibus, in loco ſeu monaſterio ſancti Ruffi ordinis ſancti Auguſtini, Avinionenſis diocesis, Arelatenſis provinciæ ſupradictæ, provinciale Concilium celebrantes, prorogata primò juriſdictione de loco ad locum per nos Ebredunenſem & Aquenſem Archiepiſcopos noſtróſque ſuffraganeos præſentes, nobis Gaſberto Arelatenſi Archiepiſcopo & Iohanne Avinionenſi Epiſcopo & procuratoribus ſupradictis conſentientibus, ad honorem omnipotentis Dei & præcelſæ glorioſæ virginis matris ſuæ, totius cœleſtis curiæ beatorum, ac morum reformationem, delictorum & exceſſuum correctionem, & animarum noſtrarum & ſubditorum noſtrorum utilitatem, & ſtatum eccleſiaſticum ſalubriùs conſervandum, hoc ſacro approbante Concilio ad infraſcripta ſtatuta edenda ſeu eorum aliqua ordinanda, reformanda, & declaranda proceſſimus ut inferiùs continetur. Proteſtati tamen fuimus ante omnia quòd per infraſcripta ſtatuta ſeu eorum aliqua ſtatutis provincialibus vel ſynodalibus ſeu Eccleſiarum cathedralium vel collegiata-

Digitized by Google

rum olim rationabiliter edita in noſtris provinciis derogare non intendimus, niſi ſi & in quantum dictis noſtris ſtatutis infraſcriptis reperirentur per contrarietatem vel aliàs obviare.

De Miſſa beatæ Mariæ ſemel in hebdomada celebranda.

CAP. I.

IN primis ſtatuimus & communiter ordinamus quòd Miſſa de beata Maria, additis Collectis *Eccleſiæ tuæ* & *Deus à quo*, in die ſabbati, ſi feſtum novem lectionum non impediat, alioquin in alia vacante feria ſequentis hebdomadæ, pro pace & tranquillitate & bono ſtatu Eccleſiæ conſervando, & inimicis ejus ad cor & pœnitentiam convertendis, ſolemniter in ſingulis noſtrarum provinciarum Eccleſiis celebretur. Et ut ad conveniendum fideles ferventiùs inducantur, ſingulis ad dictam Miſſam venientibus, verè pœnitentibus & confeſſis, ... dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

De indulgentia aſſociantibus corpus Chriſti, dum ad infirmos portatur, conceſſa.

CAP. II.

SI propter Chriſtum reverentia ſanctis ejus impenditur, dignum eſt ſacrum

ejus corpus coli veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius paſſionis memoriam conſecratur. Statuimus igitur & jubemus quòd ſinguli Rectores, Priores, & Vicarij Eccleſiarum noſtrarum provinciarum, civitatum, & diœceſum parrochianos ſuos ſalutaribus monitis inducere ſtudeant ut corpus Domini noſtri, dum ipſum portat Preſbyter in viaticum miniſtrandum, reverenter aſſocient & luminum adhibitione decenter honorent; illis qui aſſociabunt de die vel de nocte decem, qui verò cum luminaribus xxx. dierum indulgentiam ex conceſſione noſtra, dum tamen verè pœnitentes & confeſſi fuerint, habituris.

De indulgentia conceſſa devotè intercedentibus apud Deum pro Domino Papa & ejus regimine proſperando.

CAP. III.

ITEM cùm ſecundùm ſacræ ſcripturæ teſtimonium multùm valeat deprecatio juſti aſſidua, eò quòd oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum, ut Pſalmiſta teſtatur; pia deliberatione præſentis Concilij duximus concedendum quòd quiſquis fidelis Chriſtianus verè pœnitens & confeſſus noſtrarum provincia-

rum, civitatum, & dioceſum devotè orationes fundere & pia vota emittere curaverit, præſertim in Miſſarum ſolemniis, ante divinæ majeſtatis conſpectum, à quo cuncta procedunt bona, ut per ſuam ineffabilem miſericordiam ſanctiſſimum Patrem & Dominum Papam regere & in ſuæ pacis gratia conſervare ac cuſtodire, fidémque catholicam toto orbe terrarum multiplicare, quilibet namque noſtrum Archiepiſcoporum per totam ſuam civitatem, & quilibet noſtrum Epiſcoporum per totam ſuam civitatem & dioceſim, de injunctis talibus pœnitentiis XL. dies miſericorditer relaxamus.

De indulgentia conceſſa fidelibus audito nomine Ieſu Chriſti inclinantibus ſe devotè.

CAP. IV.

CVM felicis recordationis Dominus Gregorius Papa decimus per ſacrum conſtitutionis oraculum invitaverit quoſlibet nominis Chriſtiani charactere inſignitos, ut nomen illud quod eſt ſuper omne nomen, à quo non eſt ſub cœlo aliud datum hominibus, nomen videlicet Ieſu Chriſti, exhibitione reverentiæ ſpecialis attollerent, & præcipuè dum aguntur ſancta myſteria, quandocunque illud re-

Digitized by Google

colitur veneratione dignum devota capitis inclinatione monſtrarent; nos de noſtrorum ſubditorum ſalute ſolliciti, volumus ut ſinguli Rectores & Vicarij Eccleſiarum noſtrarum provinciarum & dioceſum ad hoc ipſum faciendum plebes ſibi ſubjectas efficaciter inducant. Et ut illud lubentiùs faciant quò uberioris retributionis præmium exinde ſenſerint proventurum; nos ſingulis in illius glorioſi nominis memoria ſe inclinantibus reverenter, utique verè pœnitentibus, eis concedimus x. dies indulgentiæ, quotiens, ut præfertur, id fecerint, ſalutaris.

De claudendis fontibus baptiſmalibus, ne quis in eis ſordidum tradere poſſit.

CAP. V.

SACRI fontes, in quibus originalis aboletur culpæ contagium per baptiſmalis aquæ viſibile ſacramentum, coli debent digno venerationis honore, ut nec indevotis contrectationibus pateant, nec intrinſecus advenientium inquinamento ſordeſcant. Statuimus igitur ut ſinguli parrochialium Eccleſiarum Rectores noſtrarum provinciarum, civitatum, & dioceſum, in quibus ſunt fundati fontes hujuſmodi, eos ſic claudi cum clavibus faciant

& aptari, & clauſos teneant & aptatos, quòd nullus ſordibus ad illos ingreſſus immineat, potiórque reverentia illius quod inibi traditur ſacramenti ſuccreſcat; v. ſolidorum pœna quibuſlibet ferenda qui hoc contempſerint agere, in opus Eccleſiæ vel pios uſus alios ad noſtrum arbitrium cedendorum.

De ſacramento Euchariſtiæ in tempore Paſchali à parrochialibus ſolummodo Presbyteris miniſtrando.

CAP. VI.

ITEM deſiderantes illud præceptum generalis Concilij pro animarum ſalute & catholicæ fidei teſtimonio ſalubriter inſtitutum, quòd omnis utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, reverenter recipiat ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, ſic à fidelibus Chriſti ſollicitudini noſtræ commiſſis volumus efficaciter obſervari, quòd nulli quæſitis coloribus & ſimulatis devotionibus vel aliàs, dum ab aliis quàm propriis ſacerdotibus recipere velle ſe aſſerunt corpus Chriſti, fraudem quærentes facere canoni, fraudent potiùs ſemetipſos, præſentis Concilij deliberatione ſtatuimus inhibendo quòd Curati noſtrarum

Digitized by Google

civitatum & dioceſum & provinciarum nulli parrochiano ſuo, cujuſcunque conditionis aut ſexus exiſtat, in feſto Paſchæ nec in octo diebus immediatè præcedentibus & octo ſubſequentibus concedant licentiam recipiendi, niſi ex cauſa infirmitatis, nec etiam alicui miniſtrandi ſeu conferendi ſacramentum Euchariſtiæ extra Eccleſias ſuas parrochiales vel aliàs Eccleſias ubi per ipſos Curatos miniſtrari extiterit conſuetum. Si qui autem Curati hujus ſtatuti fuerint transgreſſores, auctoritate præſentis Concilij excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Prælati autem ſic præſens ſtatutum diligenter obſervent ut alicui, niſi ex cauſa rationabili, recipiendi ſacramentum prædictum illo tempore alibi quàm in parrochiali Eccleſia non concedant.

Vt beneficiati, aut in ſacris ordinibus conſtituti, in diebus Sabbati à carnibus habeant abſtinere.

CAP. VII.

ITEM cùm deceat viros eccleſiaſticos, præſertim beneficia eccleſiaſtica obtinentes, in modo vivendi ſic inter homines exemplariter converſari, ut laïci eorum informentur exemplo, non autem ex Cleri-

Digitized by Google

corum abuſu corruptis moribus deformentur; ſtatuimus quòd Clerici beneficiati, aut in ſacris ordinibus conſtituti, abinde inantea ſemper in diebus Sabbati pro honore beatæ Mariæ carnibus abſtineant, niſi ex cauſa neceſſitatis, de qua comedentium conſcientiæ relinquitur, vel niſi feſtum Natalis Domini contingat in die Sabbati evenire. Contrarium facientes, pro qualibet die Sabbati quo carnes comedere attentaverint, per unum menſem ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ ſint ſuſpenſi.

Qualiter Prælati poſſunt benedicere in dioceſi aliena.

CAP. VIII.

ITEM ſtatuimus quòd quilibet noſtrum Archiepiſcoporum prædictorum & ſinguli Epiſcopi provinciarum noſtrarum, dum tranſitum facient per dictas provincias, poſſint etiam in aliis dioceſibus dictarum provinciarum populum benedicere, ut ex hoc populi devotio augeatur, & etiam in dioceſibus Arelatenſi, Aquenſi, & Ebredunenſi civitatibus, exceptis duntaxat iis & aliis locis in quibus alter ex dictis nobis Archiepiſcopis vel dioceſanus præſens eſſet. Et ſi contingat eos in pontificalibus celebrare vel prædicare vel facere coram ſe

Digitized by Google

prædicare, poſſint benedictionem epiſcopalem & indulgentiam concedere, ac veſtes & altarium ornamenta benedicere, & calices ac altaria portatoria conſecrare. Item ſententiam excommunicationis vel interdicti latam ab uno, alij denuntiari & obſervari faciant, cùm à proferente ſuper hoc fuerint requiſiti; addentes, quòd prædictæ ſententiæ excommunicationis & interdicti nonniſi ex juſtis cauſis, & cum maturitate, & ſolemniter, proferantur.

De ſententia excommunicationis ab Ordinario exigente rebellione & inobedientia per Prælatos alios publicanda.

Cap. IX.

Item ſtatuimus quòd ex quo per propriam civitatem & dioceſim per Prælatum aliquem ſuſpenſionis vel interdicti ſententia competenti tempore fuerit promulgata, & ibidem exigente rebellione & inobedientiæ duritia per decem dies extiterit ſolemniter & publicè aggravata, ex tunc, requiſito tamen proprio Metropolitano ſeu ejus Officiali, & approbatam publicante ſeu publicare faciente dictam ſententiam, licitum ſit eidem Prælato auctoritate Concilij ceteros Epiſcopos vel Prælatos requirere ut ipſius ſententias,

quarum tenorem & cauſam declaret in ſcriptis, in ſuis diſtrictibus ſervent & faciant obſervare, publicent & faciant diebus ad hoc congruentibus publicare.

Qualiter contra illos qui excommunicationis ſententiam contemnentes, exemplo perniciosa peragunt, procedatur.

CAP. X.

ITEM cùm cenſura eccleſiaſtica ſit eo moderamine auris . . . . exercenda, quòd officium debitum operando, non cogatur ad noxam . . . . tendere quæ ad medelam & remedium eſt inducta, & excommunicationis lata ſententia ſic contra contumaces & in excommunicationis ſententia dormientes poſſint expreſsè à jure proviſionibus aggravari, quòd ad peregrinas adinventiones & multipliciter perniosas recurrere ſit tam inutile quàm damnoſum; ſtatuimus quòd abinde inantea nullus eccleſiaſticam juriſdictionem exercens, contra excommunicatos ab ipſis, quantocunque tempore excommunicationis ſententiam animo ſuſtinuerint indurato, procedat ad faciendum projici lapides in domum excommunicationis ſententia innodati, vel faciendum venire Capellanum indutum veſte ſacerdotali

dotali vel aliàs ad domum excommunicati prædicti, vel portandum literbiam ſeu ferret vel alia ſimilia quæ à jure non reperiuntur expreſſa, ſed alijs à jure proviſis remediis utatur ad pœnam contumacium aggravandam. Exercentes autem juriſdictionem eccleſiaſticam hujuſmodi qui contrarium fecerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, nec ſubditi noſtri Curati vel alij eiſdem teneantur in prædictis aliqualiter obedire.

Vt cenſura eccleſiaſtica ſic exigente contumacia exerceatur quòd nullus ultra juris tramites abutatur.

CAP. XI.

CETERÙM abominabilis, proh dolor, ſicut ad noſtrum tam de longinquo quàm è vicino pervenit auditum, in quibuſdam partibus inolere cœpit abuſio. Nam aliqui filij Belial, qui nec Deum timent nec homines reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam: qui dum ſententias vilipendunt, dum medicinam, quæ fuerat ad ſalutem, reijciunt, mortis incurrunt periculum, & ad interitum ſuæ pravitatis exemplo nonnunquam inducunt alios & ſeducunt. Iſti quidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris

Digitized by Google

& ſententiæ promulgatæ neglectum, non minùs viliter quàm damnabiliter procedere imò veriùs execrabiliter excedere non reformidant; utpote dum adulterini Preſbyteri vel Prælati confingentes officium, & interdictum ſibi uſurpantes miniſterium, excommunicationem imò veriùs execrationem verſa ſeu perverſa vice in excommunicatores ſeu denuntiatores fulminare præſumunt, accenſos palearum faſciculos, aut candelas de cepo, ſeu carbones titiones ardentès in patellis, conchis, aut ſertaginibus, vel ſimilibus vituperabiliter extinguendo. Cùm igitur talia & iis ſimilia in Dei vergant opprobrium & eccleſiaſticæ diſciplinæ redundent contemptum, ſtatuimus & ſub pœna excommunicationis diſtrictiùs inhibemus ne quis Clericus vel laicus, cujuſcunque ordinis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, rem tantæ perniciei de cetero per ſe vel per alium aut pro ſe vel alio attentare præſumat. Qui verò hujuſmodi ſaluberrimi ſtatuti tranſgreſſor extiterit, & infra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit, ex tunc ſe ſciat ipſo facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel ſimilia domino loci ſciente vel mandante vel ratum habente, vel poſtquam requiſitus fuerit, vel ejus

locum tenens, infra decem dies corrigere negligente, præſumpta fuerint, eccleſiaſtico tamdiu ſit & remaneat ſuppoſitus interdicto, donec ad mandatum Eccleſiæ, quam delinquens offendit, & Prælato, quem irreverenter deſpexit, ſufficiens & idonea ſatisfactio & realis emenda præſtita fuerit per eundem: quam, cùm in talibus non ſit relaxanda vindicta, offenſus Prælatus minimè remittere valeat ullo caſu. Eiſdem pœnis ſubjacere volumus illos & illas qui vel quæ talia fieri mandaverint, vel aliàs opem vel operam aut conſilium præbuerint, ſi rem tam deteſtabilem prodire contingerit deteſtabiliter in effectum; addito, quòd eorum poſteri uſque ad ſecundam generationem in Clericorum collegium nullatenus admittantur, niſi priùs per Metropolitanum cum uno ſuffraganeo cum ipſis fuerit ſuper hoc miſericorditer diſpenſatum. Si verò Clericus beneficiatus, vel in dignitate ſeu perſonatu vel officio conſtitutus, taliter exceſſerit; ultra pœnam laico inflictam, beneficio, ſi quod in provinciis noſtris obtinet, ſit ipſo facto præſentis Concilij auctoritate privatus; non beneficiatus autem ad obtinendum eccleſiaſticum beneficium ſit tunc inhabilis & indignus.

Digitized by Google

Ne eccleſiaſticæ perſonæ titulum juriſdictionis, quam pacificè poſſederint, curiæ ſeculari oſtendere teneantur.

CAP. XII.

ITEM quòd ſeculares domini, cujuſcunque conditionis exiſtant, vel Baillivi ſeu Officiales eorum, qui Prælatos vel alios Eccleſiarum Rectores cogunt oſtendere quare merum ſeu mixtum imperium aut juſtitias altas, medias, vel minores tenent, licèt tenuerint pacificè multis annis, & ſi coram eis hoc non probetur, uſurpare, accipere, ac ſibi applicare ſine alia cauſæ cognitione motu proprio non verentur; ſi à talibus exceſſibus deſiſtere moniti neglexerint,& ad uſurpandum ſine alia rationabili cauſa proceſſerint, tam ipſi quàm illi qui eis in hac parte obedient, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto.

Vt perſona eccleſiaſtica per nullum judicem temporalem in criminalibus vel perſonalibus diſtringatur.

CAP. XIII.

ITEM quòd nullus dominus temporalis, vel judex, ſeu ſubdelegatus ejuſ-

Digitized by Google

dem, cujuſcunque conditionis, dignitatis, vel ſtatus exiſtat, Clericum vel perſonam eccleſiaſticam aut religioſam coram ſe ſuper criminalibus vel perſonalibus citet vel citari faciat ſeu quoquo modo diſtringat, exceptis cauſis feudalibus in caſibus à jure conceſſis. Quod ſi fecerit, & in hoc perſtiterit, ſi infra dies octo non ſe correxerit, & quod incautè præſumpſerit non relaxaverit, ex tunc ſententiam excommunicationis incurrat.

Vt Clericus contra Clericum ante judicem ſecularem vel alium laicum pro facienda juſtitia vel inferenda violentia non recurrat.

CAP. XIV.

ITEM prohibemus ſtatuendo, & ſtatuimus prohibendo, ut nulla perſona eccleſiaſtica de Clerico vel eccleſiaſtica perſona qualitercunque conquerens ſuper ſpiritualibus vel eccleſiaſticis aut criminalibus vel perſonalibus, recurrat ad Curiam vel Principem aut Dominum alium ſecuralem vel alium quemcunque ſuper juſtitia facienda vel violentia Clerico in perſona vel rebus ad eum pertinentibus inferenda, nec cum ipſo vel ipſis ſuper eiſdem ſine conſcientia Prælati vel Officialis ſui pactum aliquod inire præſumat, nec fa-

Digitized by Google

ctum obſervet. Alioqui querelam exponens, vel denuntiationem faciens, & in eis perſiſtens, vel cum eis paciſcens, & pactum obſervans, à jure ſuo eo ipſo cadat, nulla alia ſuper hoc ſententia expectata; & donec ſuper hoc ad arbitrium Prælati ſatisfecerit, omni beneficio eccleſiaſtico quod obtinet noverit ſe ſuſpenſum, & ab obtinendo indignum.

Proviſio contra illos qui bona & jura Eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum ſubtrahunt, diminuunt, diſſipant, & invadunt.

CAP. XV.

QVONIAM aliqui ſuis finibus non contenti, paſſim aliena diripiunt, & eccleſiaſticas libertates infringere non verentur, approbante præſenti Concilio ſtatuimus quòd quælibet perſona ſecularis aut eccleſiaſtica, nobilis aut alia, cujuſcunque præeminentiæ, dignitatis, officij, conditionis, aut ſtatus fuerit, quæ Eccleſias aut Capellas, ſeu earum cimiteria, hoſpitalia, recluſoria, domos, poſſeſſiones, loca, villas, caſtra, cenſus, taſchos, trezena, laudimia, vintena, leſdas, pedagia, molendina, piſcarias ſeu reſclauſas, paſcerias, juriſdictiones, ſive alia quæcunque jura, ſive etiam earum homines, aut

familias, animalia, ſeu bona quælibet immobilia aut mobilia valorem decem ſolidorum monetæ currentis excedentia, ſive domos religioſas, aut hoſpitalia, ſive recluſoria, vel leproſarias quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, ſeu retinere .... gadiare per ſe vel per alium, vel inquietare quomodolibet, ſeu turbare, necnon & qui contra Eccleſias, ſeu Capellas, aut Clericos ſive perſonas eccleſiaſticas, ſeu earum homines, loca, villas, caſtra, ſeu manſiones, aut contra libertates eccleſiaſticas, vel domos religioſas, aut hoſpitalia, ſive recluſoria, vel leproſarias, quomodolibet edere vel facere quævis ſtatuta ſive banna vel præconiſationes aut novitates quaſcunque, ſive quaſlibet ex prædictis directè vel indirectè violentias & moleſtias irrogare, ſeu eis ſuper bonis quibuſlibet eccleſiaſticis ſeu patrimonialibus queſtas aut tallias aut angarias aut parangarias aut novitates quaſlibet aliqualiter imponere vel inferre, ſive domos Eccleſiarum aut Clericorum aut eccleſiaſticarum perſonarum occaſione quacunque ferendarum ſeu prolatarum, ſeu eorum bona quæcunque bannire, ſeu etiam vias novas aliquas ubilibet adinvenire vel facere per quas Eccleſia vel earum villæ, caſtra, vel loca in pedagiis ſive leſ-

dis aut quibuſlibet aliis juribus poſſint in aliquo diminui vel etiam pejorari, ſive itinera aut vias vel ſtratas publicas vel privatas infra limites, territoria, vel diſtrictus locorum, villarum, ſive caſtrorum eccleſiaſticæ juriſdictionis auferre, vel ſibi appropriare quomodolibet, attribuere, ſeu etiam applicare, vel terminos eorum artare præſumpſerit ſeu attentaverit per ſuam potentiam aut violentiam ſive malitiam, aut in prædictis vel aliquo prædictorum dederit auxilium, conſilium, vel favorem publicè vel occultè, niſi infra ſex dies ſupra iis captionis, turbationis, vel inquietationis, ſive præſumptionis hujuſmodi per emendam aut revocationem debitam, ſeu aliàs, ut res exiget, plenè ſatisfecerit, excommunicationis ſententiæ ſubjaceat ipſo facto. Quam quidem ſententiam excommunicationis, cùm de præmiſſis ſeu eorum aliquibus cuilibet Ordinario aut ejus Officiali ſummariè & de plano conſtiterit, ex mero officio & ſine ſtrepitu judicij & figura volumus & ſtatuendo mandamus executioni debitæ per ipſum quemlibet Ordinarium ſeu Officialem certificatum de plano mandari per univerſas Eccleſias noſtrarum provinciarum, civitatum, & dioceſum, ſicut viderit expedire commodiùs. ſuper quo tam

in genere quàm etiam contra quaſcunque perſonas ſingulariter nominandas plenam habeat facultatem. Et inſuper etiam ad aggravandam hujuſmodi ſent .... expedire. Et ſi dominus vel Rector civitatis, caſtri, villæ, vel loci alicujus, vel Officiales ejus, in prædictis vel aliquo prædictorum culpabilis fuerit, & ſuper ſex dies in excommunicatione perſtiterit, civitas, caſtrum, vel villa, vel locus hujuſmodi ſubjaceat interdicto. Si verò univerſitas deliquerit in prædictis, illi qui univerſitatem vel ſingulares perſonas ad id induxerint, commoverint, vel defenderint, vel ſinguli qui in aliquo præmiſſorum culpabiles fuerint, poſt ſex dies ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant; univerſitas verò ipſa, niſi infra decem dies emendam fecerit competentem, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Si verò prædicta injuria per quemlibet illata fuerit, & Dominus vel Rector aut officialis, in cujus juriſdictione prædicta fuerit injuria irrogata, requiſitus per Ordinarium ſeu Vicarium vel Officialem ejuſdem vel locum tenentem vel vicegerentem aut etiam delegatum, infra decem dies ſatisfactionem vel emendam fieri non fecerit competentem, excommunicationem ſe noverit incurriſſe: quam ſi per decem dies

ſuſtinuerit, terra cui præfuerit eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Proviſio contra illos qui bona eccleſiaſtica invaſerint vel quomodolibet occupaverint.

CAP. XVI.

ITEM ſtatuimus & etiam ordinamus quòd quæcunque perſona, cujuſcunque gradus, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſtat, quæ bona quæcunque ſive jura ad Eccleſias & perſonas eccleſiaſticas quomodolibet pertinentia detinet occupata, vel quæ in præjudicium Eccleſiarum ſeu eccleſiaſticarum perſonarum & jurium earundem aliquas fecerit indebitas novitates, plenè reſtituat, & cum effectu revocet, & ſatisfactionem faciat infra menſem poſtquam fuerit requiſita. Quod niſi fecerit, excommunicationis ſententiam ſe noverit incurriſſe. Et ſi univerſitas, vel Dominus, vel Rector, aut Officialis, fuerit in prædictis culpabilis, univerſitas illa & locus hujuſmodi, ubi prædicta ſeu aliquod prædictorum commiſſa fuerint, ſi ſub ejus dominio fuerint, alioquin locus ſuus ubi habuerit ſuum domicilium principale, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Vniverſitatem autem ſufficienter requiſitam quoad præſens propoſitum reputa-

mus, cùm Dominus, vel Officialis, qui ibi præfuerit, nominatim expreſſa injuria, ut eam revocare faciat, fuerit requiſitus, vel cùm per tres dies dominicos publicè, dum celebrabuntur divina myſteria, per ſacerdotalem parrochialem vel ejus locum tenentem de mandato Ordinarij vel Officialis ejuſdem ſignificatum fuerit quòd de injuria, novitate, damnis nominatim exprimendis ſatisfaciant competenter.

Vt illi qui res eccleſiaſticas qualitercunque tenent, alienationem non faciant earum, ſub certa pœna, ſine licentia illius ad quem pertinent ſpeciali.

CAP. XVII.

ITEM cùm quidam ſuæ ſalutis immemores, tenentes ab Eccleſiis caſtra, villas, domos, terras, nemora, prata, ſeu quaſvis alias poſſeſſiones in emphitheoſim, vel ſub tertio feudo, dominio, ſenhoria, cenſu, ſervitio, penſione, vel præſtatione quacunque, plerunque illas vel illa vendunt, permutant, vel donant, ſeu aliàs ignorante domino diſtrahunt, nulla de emphitheoſi, feudo, dominio, ſenhoria, cenſu, ſervitio, penſione, vel præſtatione, quòd ab Eccleſia teneatur, habita mentione, quinimo interdum ipſas tanquam

Digitized by Google

ab omni cenſu & ſervitio ſeu quovis alio jure Eccleſiis debito liberas alienant, nos tam ſaluti talia volentium attentare quàm indemnitati Eccleſiarum providere volentes ſtatuimus quòd quicunque ab Eccleſiis tenens noſtris vel nobis ſubjectis caſtra, vel villas, domos, poſſeſſiones, vel alias res immobiles, ſeu loca, vel jura, cùm ad venditionem, donationem, permutationem, vel quamvis alienationem earum vel eorum duxerit procedendum, de feudo, emphitheoſi, etiamſi canon vel penſio propter ea non ſolvatur, cenſu, dominio, ſervitio, vel ſenhoria, penſione, ſeu quavis alia præſtatione eiſdem Eccleſiis debita, etiamſi in alienatione de jure vel conſuetudine non illius à quo tenetur requirendo ſcientia vel conſenſu expreſſam debeat facere mentionem. Aliàs, ſi aliquid prædictorum Eccleſiis debitorum in contractu ſeu alienatione hujuſmodi negaverit vel ſcienter omiſerit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto. Eandem pœnam incurrat Notarius qui ſcienter ſine expreſſione hujuſmodi de contractu fecerit inſtrumentum.

* *
* * *
* *
*

Digitized by Google

Ne quis in loco ſuo retineat bona Eccleſiarum alibi indebitè ablata.

CAP. XVIII.

ITEM quòd loca ad quæ bona Eccleſiarum ſeu eccleſiaſticarum perſonarum per violentiam manifeſtam ſeu notoriam injuriam ſine cauſa probabili ablata, occupata, ſeu arreſtata devenerint, tamdiu poſt decem dies ex quo ſignificatum fuerit locorum Domino vel Rectori interdicta ſint & permaneant, quandiu bona hujuſmodi ibi fuerint & competentem non exihuerint emendam.

Vt ſecularis poteſtas Clericum per ipſam captum citò judici ſuo reſtituat, nihil exigens ab eodem.

CAP. XIX.

ITEM quia privilegium meretur amittere qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, attendentes quòd nonnulli temporales domini, Vicarij, & alij ſecularis curiæ officiales obtentu & occaſione aliquarum licentiarum ex cauſa eis ad certum tempus vel ſimpliciter vel ad certas perſonas ab Archiepiſcopis vel Epiſcopis conceſſarum, hac occaſione, prout comperimus, manus temerarias ad capiendum Clericos paſſim

Digitized by Google

& indifferenter aliáſque perſonas eccleſiaſticas incurialiter & eo modo quo poſſunt turpiùs ad majorem confuſionem Eccleſiæ atque Cleri extendere non verentur, quinimo ipſos ſuis mancipant carceribus, ac ibidem nonnunquam eos radi faciunt totaliter, ſeu etiam mutare habitum permittunt, ut palliare poſſint exceſſus ſuos & illos confingere Clericos non fuiſſe, vel non eſſe in poſſeſſione clericatus ſeu quaſi, in ſuarum periculum animarum & enervationem eccleſiaſticæ libertatis, prohibemus ne à quocunque talia vel ſimilia de cetero attententur, revocantes ex nunc literas ſub quacunque forma verborum ſuper hujuſmodi captionibus vel detentionibus generaliter vel ſpecialiter per literas vel oraculo vivæ vocis vel aliàs quomodolibet faciendis conceſſas. Alioquin contrarium facientes, cujuſcunque ſtatus, conditionis, vel dignitatis exiſtant, ſive ſint laici, ſive eccleſiaſticæ perſonæ regulares ſeu etiam ſeculares, hanc noſtram excommunicationis ſententiam, quam in iis ſcriptis præſentibus ferimus, incurrere volumus ipſo facto; niſi fortè in eo duntaxat caſu, cùm ſcilicet eos adhuc flagrante crimine capi contingerit, antequam ad alios actus extraneos divertant, recta via eos ad curiam eccleſiaſticam duxerint, ac eos re-

Digitized by Google

ſtituerint ſine fraude. Si verò de nocte tales ceperint, debeant ultimò in craſtinum, ſine retentione bonorum ipſorum & læſione perſonarum ſuarum, ſine requiſitione alia reddere curiæ ſupradictæ; nec eis liceat aliquid à captis hujuſmodi dono vel gratia ſub colore aliquo extorquere, vel recipere gratis data. Quòd ſi in caſtris vel villis captionem hujuſmodi fieri contingat, adducant ipſos ad eccleſiaſticam curiam vel tranſmittant quantocyus ſub fida cuſtodia in expenſis ipſius curiæ moderatis. Quòd ſi ſecus egerint, vel in fraudem ſuper hoc aliquid attentaverint, eadem ſententia involvantur. Et ſi Clericum detentum de loco ad locum mutaverint, omnia loca illa tamdiu remaneant interdicta donec Clericum captum cum armis & aliis rebus ſuis dioceſano reſtituerint, & de injuria irrogata ad arbitrium dioceſani ſatisfecerint, & ipſa ſententia per ipſum fuerit relaxata.

Vt deferentibus literas pro juriſdictione eccleſiaſtica exercenda nulla injuria vel violentia inferatur.

CAP. XX.

CVM juſtitiæ jus ſuum cuique tribuenti & ipſius miniſtris ac rei pu-

blicæ plurimùm detrahatur, ſi proceſſus ipſorum miniſtrorum, iniquorum contingat machinationibus impediri; nos volentes talium juſtitiæ cultum impedientium curſus temerarios timore cohibere diſtrictionis eccleſiaſticæ, proviſione præſentis Concilij duximus ſtatuendum quòd ſi quis, cujuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtat, nuncios aut executores noſtros & ſuffraganeorum noſtrorum, Officialium, Vicariorum, ſeu eorum locatenentium, ac vicegerentium, aut aliàs literas vel ſcripturas judiciales noſtras vel ſuffraganeorum, Vicariorum, Officialium prædictorum deferentes, hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, vel mutilare, ſeu literas vel ſcripturas prædictas auferre, ſeu eas rumpere, vel deſtruere quoquo modo, vel ablata celare, vel deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum hujuſmodi literas vel ſcripturas, aut qui prædicta ſeu aliqua prædictorum fieri procuraverit, aut facientibus dederit auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis ſententiæ, quam ex nunc ferimus, ſubjaceat ipſo facto, à qua, niſi priùs judici curiæ, cujus auctoritatem contempſerit, & paſſo injuriam, ac ceteris

ris quorum intererit, prout exceſſus .....: atrocitas, ſatisfecerit, nullatenus abſolvatur.

Prorogatio juriſdictionis in invaſores & occupatores eccleſiaſticorum bonorum & jurium exercendæ.

CAP. XXI.

ITEM cùm quanto quis paſſus injuriam in majori exiſtit ſtatu, tanto atrocior injuria judicetur, & ideo ſit cautiùs & uberiùs providendum; ſtatuimus ut ſi cui noſtrum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, Eccleſiarum noſtrarum, noſtrorum familiarium, in perſonis vel rebus fuerit injuria vel violentia irrogata, vel poſſeſſio ſeu quaſi turbata, ſicut poſſet quilibet ex nobis Archiepiſcopis & Epiſcopis & noſtris Officialibus & Vicarijs & vicegerentibus & locatenentibus eorundem procedere de jure, conſuetudine, vel ſtatuto contra injuriatores, violatores, & turbatores hujuſmodi, etiamſi in propria dioceſi facta eſſent, ſic etiam poſſint ſi extra propriam dioceſim & provinciam, dum tamen infra noſtras provincias ſint commiſſa, ſimpliciter, de plano, & ſine ſtrepitu & figura judicij citare, informationes recipere, inquirere, diffinire, declarare, & omnem ju-

riſdictionem & cenſuram eccleſiaſticam exercere ad ſatisfactionem ſufficientem & debitam obtinendam. Per hoc autem non intendimus quòd Ordinario præjudicium generetur; quinimo etiam ex officio poſſit procedere ed pœnam debitam imponendam ac etiam ad faciendum ſatisfieri injuriam paſſis, ſi ab eis fuerit requiſitus. Et ut prædicta omnia & ſingula roboris obtineant firmitatem, nos omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi & procuratores Epiſcoporum abſentium ſuper iis plenam & expreſſam concedimus facultatem, ne obiici valeat contra tales proceſſus quòd extra territorium jus dixerit ſic procedens; quia quoad præmiſſa & quodlibet præmiſſorum juriſdictionem noſtram & cujuſlibet noſtrum viciſſim inter nos prorogamus, vices noſtras nobis adinvicem & dictarum provinciarum, civitatum, & diocesum ſingulis cujuſcunque noſtrum Officialibus & locatenentibus præſentibus & futuris in ſolidum committentes; univerſis noſtris ſubditis injungentes ut in præmiſſis Ordinario aut ejus Officiali ſeu locatenentibus ſic procedentibus pareant & intendant. Quòd niſi fecerint, poſſit procedens per cenſuram eccleſiaſticam animadvertere in eoſdem. Et nihilominus, ſi nos Archiepiſcopi aut Epiſcopi per ſic procedentem

requiſiti prætermiſerimus ſuas in hac parte requiſitiones aliquatenus exaudire, aut id ſuper quo requiſiti fuerimus non curaverimus perducere ad effectum, requiſitus eo ipſo per unum menſem auctoritate Concilij à pontificalibus ſit ſuſpenſus. Statuto hujuſmodi per decennium, & pòſt aliud decennium, niſi revocatum fuerit, valituro. Ita tamen quòd per hoc ſic procedenti in aliena civitate vel dioceſi nullum jus aut juriſdictio in poſterum ex longinquitate temporis vel aliàs poſt ſtatutum proximum terminum acquiratur.

Vt excommunicati ad nullum publicum Officium admittantur.

CAP. XXII.

ITEM ſtatuimus quòd excommunicati in Iudices, Conſules, Doctores, Rectores, Poteſtates, Aſſeſſores, vel Notarios, vel ad alia publica quævis officia nullatenus aſſumantur nec etiam admittantur. Et ſi de facto admiſſi fuerint, ſententia per eos vel eorum auctoritate lata, & quicunque proceſſus per eos vel eorum auctoritate in judicio vel extra habiti, & munimenta coram eis vel per eos facta, nulla & nulli ſint ipſo jure. Et nihilominus quicunque, cujuſcunque dignitatis, ſtatus,

aut conditionis exiſtant, ſi tales excommunicatos ad aliquod officiorum prædictorum ſcienter aſſumpſerint, vel aſſumptos per alios approbaverint vel confirmaverint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto. Et ſi requiſiti per Ordinarium vel alium ejus nomine, hujuſmodi excommunicatos infra decem dies à tempore requiſitionis à prædictis officiis ſic aſſumptos non amoverint cum effectu, loca illa in quibus ad aliquod prædictorum officiorum aſſumpti fuerint, ſint & tamdiu remaneant eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ſic excommunicati à ſuſceptis officiis realiter & ſine fraude abſque aliqua reſtitutionis ſpe, quandiu in excommunicatione perſtiterint, ſint amoti. Vniverſitas autem, caſtra, vel villæ, quæ excommunicatos & in Eccleſia publicè denuntiatos ad aliquod prædictorum officiorum aſſumpſerint vel elegerint, ubi eis aliàs hoc liceret, eccleſiaſtico ſint etiam ſuppoſita interdicto.

Vt nullus ſine ſuperioris licentia alicui quomodolibet miniſtret toxicum vel alia venenoſa.

CAP. XXIII.

ITEM ſtatuimus & ſub pœna excommunicationis diſtrictiùs inhibemus ne

aliquis apothecariorum vel quivis alius, cujuſcunque conditionis vel ſtatus exiſtat, toxicum vendat vel donet nec alio modo miniſtret alicui vel alia venenoſa, niſi priùs ſignificet curiæ Ordinarij, ut ſciri poſſit ſuis temporibns, ſi caſus toxicationis contingeret, quis fuit emptor ille vel alius qualiſcunque; quòdque apothecarius quilibet ad hoc ſervandum juramento coram ſuperiori ſuo corporaliter præſtito pro ſe & ſua familia ſpecialiter aſtringatur. Aliter autem vendentes, dantes, & homicidium perpetrandum recipientes quomodolibet, vel ementes, aut ad hoc conſilium vel conſenſum tacitè vel expreſsè præſtantes, excommunicationis vinculo ſubjaceant, ad ſedem apoſtolicam pro abſolutionis beneficio remittendi, vel aliàs ſicut juſtum videbitur puniendi.

De pœnis toxicum vel herbas mortiferas in mortem alterius miniſtrantibus.

Cap. XXIV.

Item quòd quicunque alium toxicare, aut opem ad hoc vel conſilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare ſeu vendere aut aliter miniſtrare præſumpſerit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujuſquam dederit, eo ipſo excom-

Digitized by Google

municationem incurrat. Et ſi Clericus beneficiatus fuerit, ſit illo privatus beneficio ipſo facto, & ab ordine quem ſuſceperat degradetur, tradendus curiæ ſeculari. Et tali vel ſimili ſuſpicione probabili infamatus, & ex veriſimilibus præſumptionibus & perſpicuis indiciis apud bonos & graves notatus, ad honores vel dignitatem eccleſiaſticam nullatenus admittatur; & nihilominus ad detentionem perſonæ honeſtam, prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, ſicut ſuperioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.

Qualiter contra exemptos & privilegiatos in diverſis abutentes ſuis privilegiis procedatur.

CAP. XXV.

ITEM dolenter referimus quòd nonnulli Religioſi, Hoſpitalarij, Ciſtercienſes, & alij tam privilegiati quàm exempti, de privilegiorum ſibi fortè aut ordini ſuo indultorum prærogativa temerè confidentes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab Ordinariis vel Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas obſervare non curant, quinimo in contemptum clavium excommu-

Digitized by Google

nicatos, ſuſpenſos, & interdictos hujuſmodi ad divina recipiunt, aut interdum in Donatos aut Confratres contra mentem Concilij Lateranenſis admittunt; receptatorum in hac parte genus peſſimum imitantes, ſine quibus delinquentes in iis & ſimilibus diù forſitan non laterent. Sed nec his contenti, domos conventuales alterius ordinis quàm ſui, eiſdem Ordinariis lege dioceſana ſubjectas, & à fundatione juriſdictioni Prælatorum ſalva regula ſeu ordinis ſui diſciplina ſuppoſitas, tam prænominati quàm ceteri Religioſi, etiam non exempti nec privilegiati, vendicare ſibi & Prælatis quaſi furtim ſuccedente poſtmodum violentia ſubtrahere moliuntur; ſícque de ſuis indulgentiis ſeu privilegiis confidentes, alios fidentiùs in jure ſuo moleſtant; ita quód auctoritate imò temeritate propria, nunc in veſtimentis ovium venientes, nunc ſeculari fulti potentia, violentiam per ſe vel per alium inferentes, poſſeſſiones & quaſi domorum hujuſmodi & rerum & jurium ad eas ſpectantium occupare & cum armis aliquotiens invadere non verentur, & occupata tenere contendunt in Prælatorum præjudicium, plurimorum ſcandalum, & enormem nihilominus ordinis cujus erant ab initio, & cui ab antiquo ſubeſſe conſueve-

Digitized by Google

runt, læſionem. Cùm ergo tales & enormiter excedentes & notoriè delinquentes, receptatoribus non impares, ac improbis raptoribus nequiores, perinde ut alios jura cenſeant puniendos; nos, quatenus in ipſos animadvertere poſſumus, & à jure nobis permittitur, & maximè ſi de privilegiis ſuis non velint copiam facere requiſiti, volentes, ubi eos indulta ſibi privilegia non defendunt, correctionis & reformationis officium exercere, & effrenatam ambientium cupidinem reprimere cupientes, ſtatuimus & concorditer ordinamus ut tales & ſimiles in præmiſſis & ſimiliter tam enormiter delinquentes & notoriè excedentes, niſi deſtiterint & ſaniori ducti conſilio congruenter, infra dies octo ex quo fuerint requiſiti, revocare ſeu emendare diſtulerint, unà cum illis qui ſe ad eos ſic ligatos conjunxerint, & eis qui tranſlationem hujuſmodi attentaverint, & exinde monaſteria, domos conventuales, res & jura hujuſmodi occupare ſeu invadere cum armis & ſine armis præſumpſerint, necnon & omnes qui eis ad hoc opem vel operam præſtiterint, aut ut ſic occupata detineant conſilium vel juvamen præbuerint, non ſolùm excommunicationi ſubjaceant ipſo facto, ſed etiam cùm ipſi Prælatis non deferant, ſed potiùs vilipendant

Digitized by Google

eoſdem, Prælati è contra, quandiu ſic fecerint, & auſu temerario eis vel Officialibus eorum in præmiſſis reſtiterint, in privilegiis vel aliis juribus ſuis tueri eos vel defendere minimè teneantur. Dignum eſt enim ut qua menſura menſi fuerint, eadem remetiatur & eis, ut ignorantes ignorari & contemnentes ſentiant ſe contemni. Qua enim fronte Prælatorum invocabunt auxilium qui committere non formidant in ipſos? Statuimus inſuper & præcipimus & communiter ordinamus ut ſingulares perſonæ tam ſuimet quàm ipſius Conventus dictam tranſlationem taliter fieri procurantes, ab illius domus ſeu Conventus conſortio penitùs & in perpetuum excludantur, vitam ſuam alibi ſub arcta pœnitentia ſui ſuperioris arbitrio finituræ. Circa tranſlationem autem ſingularum perſonarum ad arctiorem fortè regulam tranſire cupientium nihil per hoc intendimus extra formam à jure traditam immutare.

Vt Presbyteri Curati in teſtamentis parrochianorum interſint, & per Epiſcopum diſtribuantur reſtitutiones incertæ.

CAP. XXVI.

ITEM ne relictæ in teſtamentis vel aliis ultimis voluntatibus emendæ vel ad

Digitized by Google

pias cauſas eleemoſynæ vel reſtitutiones certæ vel incertæ forſitan occultentur, ſtatuimus ut Preſbyteri parrochiales intereſſe rogentur ordinationi teſtamenti, ſi haberi poterint,aut quòd Notarius infra octo dies obitus numerandos Prælato vel Officiali aut Preſbytero parrochiali copiam illius articuli, ubi quævis eleemoſyna piis eſt uſibus deputata vel emenda ſeu reſtitutio facienda, ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto, ſi negaret, incurrat, facere fideliter teneatur, & ille vel illi ſic cum heredibus vel executoribus teſtatoris ordinare feſtinent, quòd emendæ non occultentur, & eleemoſynæ ſic relictæ vel reſtitutiones hujuſmodi non pereant ad tempus magnum vel modicum aut fortè perpetuò faciendæ. Adiicientes inſuper quòd incertæ reſtitutiones nulli per aliquem præter dioceſani licentiam præbeantur, nec aliqui diſtribuere præſumant alibi quàm ubi Prælatus duxerit ordinandum, niſi teſtator executorum ſuorum arbitrio fiendam reſtitutionem & diſtributionem hujuſmodi ordinaſſet. Quo caſu executores à tempore mortis, ubi tempus reſtitutionis vel diſtributionis non eſſet teſtamento inſertum, aliàs ab illo expreſsè tempore computando, infra ſex menſes debeant fideliter defuncti exequi volunta-
Digitized by Google

tem. Quòd ſi non fecerint, ex tunc dioceſani reſtitutiones & diſtributiones incertas faciant, intentionem defuncti; quantum poterunt, imitantes. Executores autem prædicti, ut magis materiam habeant fideliter exequendi, de diſtributionibus & reſtitutionibus prædictis dioceſano teneantur reddere rationem. Ad hoc autem adiicimus quòd Preſbyteri in ſynodis venientes, Prælato ſuo vel Officiali ejus in ſcriptis teſtatoris & executorum nomina & quantitates hujuſmodi præſentare in virtute obedientiæ teneantur.

Quòd Epiſcopi in diſtributionibus legatorum vocentur, prout eſt de conſuetudine vel de jure.

CAP. XXVII.

CVM in eo in quo alicujus intereſſe tangitur rationabiliter, ejus vocatio debita requiratur; volumus & jubemus quòd in diſtributione legatorum, quorum diviſioni ſeu diſtributioni vel executioni habent intereſſe Epiſcopi de conſuetudine vel de jure, vocari debeant Epiſcopi ſeu locatenentes eorum. Quibus equidem non vocatis, nulla præſumatur fieri diſtributio de legatis. Et ſi facta fuerit, heredi, ſeu ſucceſſori, vel illi cui relictum eſt, nulla

ex tali diſtributione liberatio acquiratur.

Vt nullus Confeſſor ſine dioceſani licentia quemquam præſumat abſolvere in caſibus infraſcriptis.

CAP. XXVIII.

ITEM ut nullus, cujuſcunque religionis, ordinis, ſeu conditionis exiſtat, confitentes in cujuſcunque civitate vel dioceſi præter ſpecialem vel generalem licentiam ipſius dioceſani de facto abſolvere quemquam vel ligare præſumat in caſibus eidem dioceſano à jure, conſuetudine, vel ſtatuto provinciali vel ſynodali ſpecialiter reſervatis. Caſus verò ſunt hi. In excommunicato à canone. In incendiario non etiam publicato. In blaſphemo famoſo. In votis commutandis vel relaxandis. In iis quæ conſueta ſunt in dioceſi Epiſcopis reſervari, ut pote in oppreſſione puerorum. In homicidiis. In ſacrilegiis ultra decem ſolidos. In violatoribus Eccleſiarum. In violatoribus eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis. In inceſtu cum conſanguineis & affinibus, in aſcendentibus vel deſcendentibus in infinitum, & in collateralibus uſque ad ſecundum gradum incluſivè. In carnali cognitione ſanctimonialis, aut defloratione virginis violenta. In illis qui in Ec-

cleſia commiſerint luxuriam per carnalem copulam conſummatam. In reſtitutionibus incertis ultra viginti ſolidos in una perſona. In clandeſtinè contrahentibus. In eo qui conſuetus eſt multo tempore pravitatem uſurariam exercere. In falſo teſte. In falſario literarum vel inſtrumentorum, vel ſubtrahente aliena inſtrumenta ſeu delente. In falſario monetæ. In impediente Legatum ſedis apoſtolicæ. In proditore domini vel patriæ. In hæreſis ſectatore. In ſupponente partum, vel necante, abortivum ſibi vel alij procurante. In muliere quæ ab alio quàm á marito proprio concepit infantem quem maritus ſuus æſtimat eſſe ſuum, propter quem legitimi defraudantur hereditate paterna. In toxicante, vel aliud mortiferum miniſtrante, vel opem aut conſilium adhibente. In coëunte cum Iudæa, vel Sarracena, vel bruto, vel equa. In ſortilegis, ad quos communiter recurritur pro ſortilegiis faciendis. In iis qui corpore Chriſti, oleo ſancto, vel chriſmate abutuntur. In depopulatoribus agrorum, vinearum, vel arborum. In excommunicatis qui ſcienter ingerunt ſe divinis, & commoniti nolunt Eccleſiam exire, divinum officium perturbantes. In illis qui ſcienter excommunicatorum corpora recipiunt ad eccleſiaſticam ſepulturam, vel ea ſepeliunt ibi

contra parrochialis Preſbyteri voluntatem. In illis qui ſcienter celebrant in Eccleſia interdicta, quibus à jure non eſt vel privilegio conceſſum, cùm ex hoc reconcilianda ſit Eccleſia ſupradicta.

Vt nulla perſona eccleſiaſtica occaſione ceſſionis, donationis, vel emptionis fraudulenter facta quemquam audeat convenire.

CAP. XXIX.

ITEM quòd nullus Clericus vel perſona eccleſiaſtica ex cauſa vel occaſione vel ratione donationis vel ceſſionis ſibi factæ vel de cetero faciendæ, aut emptionis, permutationis, vel in ſolutum donationis, quæ emptio, permutatio, vel in ſolutum donatio in fraudem fieret, quemquam ordinario judice audeat convenire. Si ſecus egerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto.

De inſtrumentis debitorum ſoluto debito reſtituendis, & ſi apud creditorem remaneant cancellandis.

CAP. XXX.

ITEM cùm nulla juris patiatur ratio quòd bis idem debitum exigatur, nos volentes materiam exigendi bis idem debitum & vexationem indebitam, quantum

poſſumus, amputare, ſtatuimus quòd nullus creditor Chriſtianus vel Iudæus, poſtquam fuerit ſibi integrè de debito ſatisfactum, poſſit contra voluntatem debitoris, inſtrumentum vel mandamentum ſoluti jam debiti retinere; niſi forſitan creditor ad aliqualem cautelam vellet inſtrumentum prædictum vel mandamentum, in præſentia ſolventis cancellatum & ruptum, apud ſe conſervare. Quòd ſi qui inſtrumentum vel mandamentum, ut præmittitur, cancellatum & ruptum penes ſe conſervare voluerit, apocam, ſi petatur, teneatur facere de ſoluto. Creditor autem, poſtquam per debitorem ſoluto debito requiſitus reſtituere vel rumpere & cancellare non curaverit inſtrumentum vel mandamentum prædicta, ſi Chriſtianus fuerit, eo ipſo auctoritate præſentis Concilij excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto. Si verò Iudæus fuerit, à participatione fidelium ſit expulſus.

Vt inſtrumenta debitorum & mandamenta poſt certum tempus nullam in foro eccleſiaſtico ad probationem debitorum habeant roboris firmitatem.

CAP. XXXI.

ITEM fraudibus creditorum, qui debitum bis in totum vel in parte exigere

plerunque nituntur, occurrere cupientes; & negligentes jus ſuum perſequi ad perſecutionis diligentiam invitantes, ſtatuimus & auctoritate præſentis Concilij ordinamus quòd in noſtris curiis & ſuffraganeorum noſtrorum ſpiritualibus ac coram Officialibus noſtris & ſuffraganeorum noſtrorum nullum inſtrumentum publicum ſuper mutuo ſeu depoſito ſeu venditione & emptione rerum mobilium confectum poſt decem annos à tempore contractus & confectionis inſtrumenti, ſi dies ſolutionis vel ſolutionum non ſit ibi appoſitus, aliàs à tempore ſolutionis ultimæ computandos, nullam fidem faciat nec approbationem debiti ad quod ſuffragetur. Et hoc ſive inſtrumentum hujuſmodi ad faciendum probationem contra Clericos, ſive etiam contra laïcos, ratione juramenti, vel de conſuetudine alia, vel de jure, in curia ſpirituali conventos, quomodolibet inducatur, niſi infra prædictum decem annorum ſpatium hujuſmodi præſcriptio per citationem competentis judicis vel requiſitionem ſub teſtimonio publici inſtrumenti factam fuiſſet quodam modo interrupta. Mandamentum autem vulgariter appellatum poſt tres annos computandos ut ſuprà in prædictis curiis ſpiritualibus nullam fidem faciat, nec ullam habeat roboris firmitatem.

Vt

Vt nullus bona Eccleſiarum vacantium occupet, niſi ad illum de conſuetudine vel privilegio illud ſpectet.

CAP. XXXII.

ITEM quòd nullus omnino Prælatus, Abbas, Prior, vel Patronus, Clericus, vel laïcus, cujuſcunque conditionis, ſtatus, vel dignitatis, ordinis, vel religionis exiſtat, bona Eccleſiarum vacantium, metropolitanarum, vel ſuffraganearum, prioratus, abbatiæ, vel alterius cujuſcunque monaſterij vel Eccleſiæ ſeu beneficij vel adminiſtrationis Eccleſiarum per promotionem aut mortem vel reſignationem aut mutationem vel abſolutionem aut alio quocunque modo vacantium capere per ſe vel per alium aut occupare vel uſurpare præſumat, niſi ſibi de jure vel privilegio aut conſuetudine hoc liceret. Quod ſi fecerit, tam ipſe quàm gratis obedientes ei aliqualiter in hac parte, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto.

Vt nulla perſona eccleſiaſtica cum poteſtatibus ſecularibus poſſe habens, det conſilium vel juvamen contra eccleſiaſticas libertates.

CAP. XXXIII.

ITEM quòd quælibet perſonæ eccleſiaſticæ, ſecularium fortè Principum

Digitized by Google

Curias & Conſilia frequentantes, majores, vel minores, vel mediæ, cujuſcunque dignitatis, ordinis, conditionis, vel ſtatus exiſtant, ſi ſcienter contra Deum & juſtitiam aut eccleſiaſticam libertatem in præjudicium alicujus Eccleſiæ vel Prælati aut Rectorum eccleſiaſticorum conſilium vel favorem aut juvamen eccleſiaſticæ libertati contrarium dederint daríve procuraverint publicè vel occultè, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto: à qua niſi emendato damno vel alio diſpendio abſolvantur.

Vt nullus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel curam habens animarum, in judiciis ſecularis curiæ gerat officium publicum vel privatum.

CAP. XXXIV.

ITEM quòd nullus Clericus habens curam animarum, vel in ſacris ordinibus conſtitutus, poſſit eſſe de cetero ſine ſui Prælati licentia in judiciis ſive in cauſis in curia ſeculari procurator, ſindicus, vel actor pro aliquo laïco, vel judex etiam aut Baillivus in exercenda juriſdictione domini temporalis. Quòd ſi monitus infra menſem non deſtiterit, ex tunc talis, ſi beneficiatus fuerit, beneficiis hujuſmodi auctoritate

præſentis Concilij ſuſpendatur; non beneficiati verò à liminibus Eccleſiæ arceantur.

De modo probandi electionem ſepulturæ illorum qui apud Religioſos eam elegiſſe dicuntur.

CAP. XXXV.

ITEM ſtatuimus ne quis illorum funera defunctorum, quos fratres Prædicatorum & Minorum ordinum & aliorum Religioſorum apud ſe ſepulturam elegiſſe probaverint, deferri ad domos & Eccleſias eorum impediat, ſalvo tamen jure portandi funus ad parrochialem Eccleſiam ex conſuetudine laudabili hactenus obſervatâ, nec circa prædicta injuriam fratribus prædictis aut funeri, omittendo ſolitam campanarum pulſationem, vel aliter, inferre præſumat. Super hac autem probatione volumus ſummariè & de plano ſine ſumptibus & ſcriptura quacunque per exhibitionem ordinationis teſtamenti aut productionem teſtium coram parrochialis Eccleſiæ Rectore procedi, ſi tamen potuerit & voluerit intereſſe. Quo abſente utique vel intereſſe nolente, coram Officiali vel locumtenente ipſius, ſi funus in civitate fuerit, hoc probari ſufficiat; vel coram perſonis publicis & honeſtis, ſi hoc extra civi-

tatem fortaſſe contingat. Aliter equidem, ubi erunt funera, ea de domibus extrahi prohibemus; incurſuris excommunicationis ſententiam ipſo facto quibuſcunque contra tenorem hujuſmodi conſtitutionis extrahentibus de domibus funera, aut facientibus, procurantibus, ſeu permittentibus extrahi, ſeu aſſociantibus in hoc auxilium, favorem, aut conſilium impertiri. Et ſi infra unam diem naturalem non fuerit facta probatio ſupradicta, funus hujuſmodi ſepeliendum in cimiterio parrochialis Eccleſiæ deponatur, ibi, donec ſit facta dicta probatio, remanſurum.

Vt ſine novi impoſitione cenſus vel veteris augmentatione beneficia conferantur.

CAP. XXXVI.

ITEM quòd Prioratus ſeu beneficij alterius eccleſiaſtici facta cum novi cenſus impoſitione vel penſionis antiquæ augmentatione collatio non valeat ipſo jure; & per proximum ſuperiorem illa vice perſonæ idoneæ ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum propter negligentiam fuiſſet aliàs collatio dicti beneficij devoluta.

Digitized by Google

Vt monachi in Eccleſiis ſuis infra certum tempus perpetuos Vicarios Ordinariis repræſentent.

CAP. XXXVII.

ITEM ſtatuimus quòd in ſingulis Eccleſiis per monachos ſolitis gubernari infra ſex menſes Priores eorum ſuis diœceſanis ad curam animarum perpetuos Preſbyteros repræſentent. Quod niſi fecerint, extunc hac vice Epiſcopi inſtituant Preſbyteros in cura prædicta, & ipſos Priores compellant ad providendum eiſdem Preſbyteris, prout idem inſtituens obſervato Viennenſis Concilij ſtatuto duxerit ordinandum. Si verò qui ſuper præmiſſis privilegia aſſerant ſe habere, ea infra ſex menſes Ordinariis debeant exhibere. Quæ privilegia obſerventur.

Vt nullus beneficium conferat in quo jus tantùm obtinet patronatus.

CAP. XXXVIII.

ITEM ſtatuimus quòd nullus in aliquo beneficio eccleſiaſtico ſolum jus obtinens patronatus vel præſentationis duntaxat, cùm ipſum vacare contigerit, ad ipsum conferendum procedat. Quòd ſi ſecus

tatem fortaſſe contingat. Aliter equidem, ubi erunt funera, ea de domibus extrahi prohibemus; incurſuris excommunicationis ſententiam ipſo facto quibuſcunque contra tenorem hujuſmodi conſtitutionis extrahentibus de domibus funera, aut facientibus, procurantibus, ſeu permittentibus extrahi, ſeu aſſociantibus in hoc auxilium, favorem, aut conſilium impertiri. Et ſi infra unam diem naturalem non fuerit facta probatio ſupradicta, funus hujuſmodi ſepeliendum in cimiterio parrochialis Eccleſiæ deponatur, ibi, donec ſit facta dicta probatio, remanſurum.

Vt ſine novi impoſitione cenſus vel veteris augmentatione beneficia conferantur.

CAP. XXXVI.

ITEM quòd Prioratus ſeu beneficij alterius eccleſiaſtici facta cum novi cenſus impoſitione vel penſionis antiquæ augmentatione collatio non valeat ipſo jure, & per proximum ſuperiorem illa vice perſonæ idoneæ ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum propter negligentiam fuiſſet aliàs collatio dicti beneficij devoluta.

Vt monachi in Eccleſiis ſuis infra certum tempus perpetuos Vicarios Ordinariis repræſentent.

CAP. XXXVII.

ITEM ſtatuimus quòd in ſingulis Eccleſiis per monachos ſolitis gubernari infra ſex menſes Priores eorum ſuis dioceſanis ad curam animarum perpetuos Preſbyteros repræſentent. Quod niſi fecerint, extunc hac vice Epiſcopi inſtituant Preſbyteros in cura prædicta, & ipſos Priores compellant ad providendum eiſdem Preſbyteris, prout idem inſtituens obſervato Viennenſis Concilij ſtatuto duxerit ordinandum. Si verò qui ſuper præmiſſis privilegia aſſerant ſe habere, ea infra ſex menſes Ordinariis debeant exhibere. Quæ privilegia obſerventur.

Vt nullus beneficium conferat in quo jus tantùm obtinet patronatus.

CAP. XXXVIII.

ITEM ſtatuimus quòd nullus in aliquo beneficio eccleſiaſtico ſolum jus obtinens patronatus vel præſentationis duntaxat, cùm ipſum vacare contigerit, ad ipſum conferendum procedat. Quòd ſi ſecus

egerit, in illa vacatione jus præſentandi ipſo facto amittat, & ſuperior ejus, ad quem inſtitutio pertinet, plenam ejus diſpoſitionem habeat illa vice.

Vt Præſentatus Patrono non juret ſine dioceſani licentia, nec ab alio ſe inſtitui patiatur, nec beneficium obtentum dimittat.

CAP. XXXIX.

ITEM ſub pœna excommunicationis præcipimus ne quis à Patrono Clerico vel laïco præſentatus, aut etiam præſentandus, ante inſtitutionem præſtet aliquod juramentum in manibus Patroni vel alterius cujuſcunque ſine ſpeciali ipſius Ordinarij licentia & conſenſu. In inſtitutione veró vel pòſt poſſint præſtare juramentum Patronis, ratione temporalium, prout eis competit. Quòdque præſentatus & præſentandus hujuſmodi ab alio quàm ab Ordinario, cui de jure competit, in Eccleſia parrochiali ſe inſtitui nullatenus patiatur; nec ex quo per Ordinarium inſtitutus fuerit vel admiſſus, beneficium dimittat hujuſmodi non petita ipſius Ordinarij licentia vel conſenſu, vel niſi alia ſufficiens cauſa ſubſit, legitima, probabilis, & honeſta.

Vt Eccleſiæ & eccleſiaſticæ perſonæ in talliis & exactionibus ſecularium per Ordinarios defendantur.

CAP. XL.

ITEM quòd Clerici & Hoſpitalia & Eccleſiæ à talliis & exactionibus quas domini temporales faciunt, etiam ratione poſſeſſionum temporalium, necnon & in patrimonialibus Clericorum ſolutorum, ſecundùm leges & canones defendantur per Ordinarios nimis hactenus ſuper hoc negligentes, ne paulatim totum uſurpent temporales domini in præjudicium & enervationem eccleſiaſticæ libertatis.

Vt Clerici macellariorum & tabernariorum officia perſonaliter exercentes, moneantur ut à prædictis deſiſtant officiis, ſi gaudere valuerint privilegio clericali.

CAP. XLI.

ITEM cupientes Clericos, in Domini ſortem electos, ſic profeſſionis viam, quam elegerunt, modeſtè ſervare, quòd reſpicientes retro negociationes non exerceant eccleſiaſtico ſtatui minimè congruentes, ac attendentes quòd dignum exiſtit ut qui ſimilem cum ſecularibus vi-

Digitized by Google

tam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam, auctoritate præſentis Concilij ordinamus quòd nos Archiepiſcopi & Epiſcopi per nos & Officiales noſtros infra menſem ſub obteſtatione divini nominis omnibus Curatis noſtrarum civitatum & dioceſum diſtrictè præcipiendo mandamus quòd ipſi omnes Clericos ſolutos & conjugatos carnificum ſeu macellariorum aut tabernariorum officium publicè perſonaliter exercentes, ſub excommunicatione infra menſem à tempore publicationis hujuſmodi ſtatuti certificati in ſcriptis ſpecialiter debeant nobis ſeu noſtris Officialibus intimare. Qua intimatione & informatione receptà, nos ſine moræ diſpendio per nos aut Officiales noſtros prædictos ad monitionem nominatam faciendam & alia contenta in conſtitutione Viennenſis Concilij ſuper hoc edita exacta diligentia procedamus.

Ne queſtæ vel aliæ exactiones per ſeculares Hoſpitalibus imponantur.

CAP. XLII.

ITEM quòd domini ſeculares vel quicunque alij, cujuſcunque gradus, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, Hoſpitalia uſibus pauperum deputata occaſione

cavalcatarum, talliarum, queſtarum, & aliarum illicitarum exactionum, quocunque nomine appellentur, nec onerare nec moleſtare præſumant. Alioquin, ſi requiſiti, deſiſtere & emendam præſtare noluerint, vel ſi de cetero contra fecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

Ne laïci prætextu alicujus ſtatuti prohibeant Clericos extrahere blada de terris ipſorum.

CAP. XLIII.

ITEM cùm ſtatuta ſecularium Eccleſias aut perſonas eccleſiaſticas non aſtringant, ſtatuimus ut ſeculares, cujuſcunque dignitatis, conditionis, aut ſtatus fuerint, qui prætextu ſtatuti ne bladum extrahatur de terra, caſtro, vel villa, vel quòd certo pretio vendatur, invitos Clericos aut eccleſiaſticas perſonas aſtringere, maximè cùm ipſi non habeant aliunde forſitan unde vivant, aut ſuper angariis vel parangariis aut aliis quibuſcunque, cùm nec in eis nec in eorum bonis aliquam habeant poteſtatem, contraire præſumpſerint, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto; & locus ubi hoc per dominum loci vel univerſitatem ejus aut eorum conniventiam vel permiſſum attentatum fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, niſi mo-

Digitized by Google

niti infra menſem emendaverint, & de perpetratis ſatisfactionem exhibere ſtuduerint competentem.

Vt domini temporales non impediant vel prohibeant quò minùs Eccleſiarum Rectoribus decimæ perſolvantur.

CAP. XLIV.

ITEM quòd domini temporales, Bajuli, ſeu Officiales ipſorum Clericos & Eccleſiarum Rectores non impediant quò minùs decimæ ipſis, prout ad eos pertinent, per parrochianos ſuos præſtentur fideliter & ſolvantur, non impediant, nec eiſdem parrochianis inhibeant quòd non ſolvant. Alioquin, ſi contra fecerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto.

Ne ſtatuta & ordinationes fiant ſuper decimis, funeralibus, oblationibus, & aliis, contra laudabiles conſuetudines & Eccleſiæ libertates.

CAP. XLV.

ITEM quòd laïci, cujuſcunque gradus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, vel univerſitas ſtatuentes & ordinantes in ſe vel inter ſe, vel præconiſari facientes, vel ſubditis ſuis mandantes quòd non præſtent decimas Eccleſiis, vel non offe-

rant, vel in ultimis voluntatibus quicquam relinquant eis vel Rectoribus earundem, vel quòd laudabiles conſuetudines Eccleſiæ in ſpiritualibus vel aliis infringant vel aliàs non obſervent, vel aliud æquipollens directè vel indirectè, tacitè, vel expreſsè, vel aliud quomodolibet injungentes, ipſo facto excommunicationem incurrant: à qua antequam emenda competens fuerit præſtita, minimè abſolvantur; univerſitas autem eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

De ſocietatibus, colligationibus, & conjurationibus, quas confratrias appellant, radicitus extirpandis.

CAP. XLVI.

ITEM quia in quibuſdam noſtrarum provinciarum partibus nobiles plerunque, & interdum alij, colligationes, ſocietates, & conjurationes faciunt tam canonibus quàm humanis legibus interdictas, ſemel in anno ſub confratriæ nomine ſe in loco aliquo congregantes, ubi congregationes, conventiculas, & colligationes, & pacta juramento vallata ineunt quòd ſe adversùs quoſcunque, præterquam dominos ſuos, adinvicem adjuvent, & in omni caſu unus alteri det conſilium, auxilium, & favorem, & interdum ſe omnes veſte confr-

mili cum aliquibus ſignis exquiſitis vel characteribus induentes, unum majorem inter ſe eligunt, cui jurant in omnibus obedire, ex quibus juſtitia offenditur, mortes & deprædationes ſequuntur, pax & ſecuritas exulant, innocentes & inopes opprimuntur, & eccleſiaſticæ perſonæ, quibus tales opidò ſunt infeſti, in perſonis, rebus, juribus, & juriſdictionibus injurias diverſas & damna plurima patiuntur; Nos volentes iis auſibus peſtiferis & conatibus pernicioſis exemplo occurrere, & de remedio poſſibili providere, & à peccato ſubditos noſtros, prout paſtorali incumbit officio, cohibere, auctoritate præſentis Concilij omnes conventiculas, colligationes, ſocietates, & conjurationes, quas fraternitates vel confratrias appellant, ab olim factas per Clericos vel laïcos, cujuſcunque gradus, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, necnon prædictas conventiones & ordinationes & pacta inter eos habita, irritamus & diſſoluimus & caſſamus, & caſſas & caſſa irritas & irrita nuntiamus; decernentes omnia juramenta ſuper obſervandis prædictis præſtita aut illicita aut temeraria, & nullum teneri volumus ad obſervantiam omnium præmiſſorum, à quibus juramentis eos etiam abſolvimus ad cautelam, ut tamen pro incauto juramento vel

ſacramento à ſuis Confeſſoribus pœnitentiam recipiant ſalutarem; auctoritate prædicta prohibentes eiſdem ſub excommunicationis pœna, quam venientes in contrarium, poſtquam præſens ſtatutum in Eccleſiis quarum parrochiani exiſtunt fuerit per duos dies dominicos publicatum, incurrere volumus ipſo facto, quòd occaſione prædictarum colligationum, ſocietatum, conventionum, juramentorum abinde inantea ſimul non conveniant, hujuſmodi confratrias non faciant, alter alteri non obediat, nec præſtet adjutorium vel favorem, nec veſtes ſigna rei jam damnatæ præbentes deferant, nec ſe Confratres, Priores, vel Abbates prædictæ ſocietatis appellent; quinimò infra decem dies à tempore dictæ publicationis unuſquiſque alios, quantum eſt in eo, à prædictis juramentis abſolvat, & ſe nolle eſſe de prædicta ſocietate ulteriùs publicè proteſtetur. Prohibemus etiam quòd amodo tales conjurationes, conſpirationes, conventiculæ, etiam ſub nomine confratriæ, non fiant. Alioquin & de facto attentatas caſſamus & irritamus, & facientes & attentantes excommunicationi à qua niſi per Concilium provinciale præterquam in mortis articulo nullatenus abſolvantur, volumus ſubjacere. Per hoc autem confratrias olim in ho-

more Dei & beatæ Mariæ & aliorum ſanctorum & pro ſubſidio pauperum introductas, in quibus conjurationes & juramenta non interveniunt hujuſmodi, non intendimus reprobare.

Vt Clerici præter dioceſani licentiam Eccleſiam non muniant, nec ibi armatos tenere præſumant.

CAP. XLVII.

ITEM prohibemus ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto contrarium facientes incurrant, ne Regulares aut etiam Clerici ſeculares ad muniendas Eccleſias vel ipſarum jura indebitè occupanda præter dioceſani cui ſubſunt Eccleſiæ vel ejus locum tenentis licentiam vel mandatum arma portare vel armatos ducere vel tenere vel receptare de propria dioceſi vel aliena præſumant.

De Clericis arma portantibus, & qualiter puniantur.

CAP. XLVIII.

ITEM ſtatuimus ut nullus Clericus arma deferre præſumat abſque illius cui competit licentia ſpeciali, niſi in caſibus à jure conceſſis. Qui verò contra hoc fecerit,

præter id quòd armorum amiſſione mulctabitur, ſi de nocte portaverit, decem librarum, ſi de die, centum ſolidorum pœna monetæ currentis irremiſſibiliter feriatur.

De honeſtate Clericorum circa barbam non nutriendam & coronam debitam deferendam.

Cap. XLIX.

Insolentias Clericorum, quæ tam ex inordinato habitu quàm ex geſtu deformi diſſolutiones ridiculoſas non ſolùm gignunt in Clero, ſed apud ipſos laïcos indevotionem pariunt, & exempla ſcandaloſa producunt; compeſcere cupientes, ſtatuimus quòd omnes Clerici, cujuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, coronam rotundam deferant non nimia parvitate notandam infra octo dies ex quo illam receperint, & à barbis nutriendis, poſtquam ad tempus raſuræ congruens pervenerit, ut præfertur. Quam tonſuram ſingulis menſibus, niſi ex juſta cauſa id facere diſtulerint, qua ceſſante ad hoc illos arctari volumus, radi facere teneantur. Quòd ſi præmiſſa non fecerint, beneficia in noſtris provinciis ſeu dioceſibus obtinentes pœnam centeſimæ partis fructuum beneficiorum hujuſmodi, quo-

tiens defecerint in præmiſſis, valore tamen ipſorum fructuum juxta taxationem decimæ, quoad hoc attinet, æſtimato, ipſo facto incurrant. Quam centeſimam ſi occupaverint vel ſibi appropriaverint, tamdiu ſint ab omni fructuum prædictorum beneficiorum perceptione & ipſo jure ſuſpenſi, donec integram ejuſdem centeſimæ partem ſemel vel pluries commiſſæ reſtitutionem Ordinariis ſuis fecerint ſeu emendam. Clerici verò ſoluti beneficia non habentes, in clericali tamen ſtatu viventes, quotiens contra præmiſſa fecerint, in pœnam XII. denariorum monetæ currentis incidant ipſo facto, in uſus pios Ordinariorum arbitrio convertendam.

De honeſtate Canonicorum ſecularium & dignitates habentium in veſtibus deferendis.

CAP. L.

ITEM ſtatuimus quòd in noſtris provinciis ſeu diocesibus omnes Canonici cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum, necnon Rectores, perpetui Vicarij, ac Capellani Curati parrochialium Eccleſiarum præſentes & poſteri, videlicet Canonici in dignitatibus ſeu perſonatibus conſtituti in Eccleſiis & civitatibus, alij verò Canonici in Eccleſiis, ac Rectores, perpetui

perpetui Vicarij, & Capellani Curati, in ſuis Eccleſiis & parrochiis veſtes ſuperiores clauſas non nimia brevitate notandas cum manicis decentibus longis pariter & rotundis habeant, cum capuciis ſeu capſanis vulgariter appellatis notabiliter non apertis aut magnis, videlicet tam præfati Canonici tam dignitates ſeu perſonatus habentes quàm etiam non habentes poſtmodum & aliæ ſupraſcriptæ perſonæ poſt unum annum à tempore publicationis ſtatuti hujuſmodi numerandum aſtringantur portare præcisè. Quòd ſi præmiſſa facere neglexerint, veſtibus quas contra præſens ſtatutum portaverint, ſint ipſo facto privati: quas etiamſi requiſiti non tradiderint Ordinariis per ipſos in pia opera convertendas, illi qui diſtributiones percipiunt, eas, quandiu dictas veſtes tradere diſtulerint, perdant etiam ipſo facto. Quarum quidem diſtributionum medietas Capitulo, & alia medietas Ordinarij arbitrio præfatis operibus applicetur. Aliæ verò perſonæ prædictæ, quæ diſtributiones non recipiunt, ipſo jure veſtes amittant in uſus quocunque præmiſſis per Ordinarium convertendas.

* * *
* * *
* *
*

Vt ij qui in Capitulis vocem non habent, cum habentibus ſe non ingerant, nec ad diſtributiones quæ dantur in Capitulo Capitulantibus admittantur.

CAP. LI.

ITEM cùm nullus cathedralis vel collegiatus Canonicus, niſi ſubdiaconus, nec etiam habentes dignitatem, perſonatum, præbendam, vel officium certum requirens ordinem, niſi in illo ſit ordine conſtitutus, vocem de jure in Capitulo habeant, etiamſi eis ab aliis deliberare concedatur; ſtatuimus inhibentes ne prædicti vocem in Capitulo non habentes cum vocem habentibus, quando ipſi tenent Capitulum, ſe nullatenus ingerant, nec per alios admittantur etiam ex cauſa videndi, audiendi, vel ſciendi quæ per tenentes Capitulum dicentur, tractabuntur, ordinabuntur, vel etiam ſtatuentur, nec diſtributionibus ſeu emolumentis, quas tenentes Capitulum pro intereſſendo Capitulo recipiunt, de conſuetudine vel ſtatuto quicquam recipiant prædicti vocem in Capitulo non habentes. Quòd ſi contra præmiſſa fecerint aut aliquid præmiſſorum, ſint per menſem à perceptione fructuum beneficiorum ſuorum, quæ in illa Eccleſia obtinent,

& diſtributionum ipſo facto ſuſpenſi. Qui ſi de iis quicquam perceperint durante ſuſpenſione prædicta, duplum Capitulo infra ſex dies reddere teneantur. Quòd ſi non fecerint, duret dicta ſuſpenſio donec duplex ſolverint ſupradictum. Quacunque conceſſione, donatione, remiſſione, vel gratia contra hoc nullatenus valitura.

Vt Canonici, præſertim dignitates habentes, per duos menſes in Eccleſiis ſuis reſidentiam annis ſingulis facere perſonaliter teneantur.

CAP. LII.

ITEM quòd omnes Canonici, & maximè dignitates, perſonatus, vel officia in cathedralibus vel collegiatis Eccleſiis obtinentes, præſentes & futuri, teneantur annis ſingulis per duos menſes in dictis Eccleſiis reſidentiam facere perſonalem, quocunque ſtatuto vel conſuetudine contraria non obſtante. Quam niſi fecerint, ex tunc omnium fructuum & obventionum ſuorum beneficiorum totius anni, quæ in Eccleſia obtinent, quartam partem ſecundùm taxationem decimæ ipſo jure amittant: cujus quartæ medietas Capitulo, alia verò medietas fabricæ vel aliæ neceſſitati Eccleſiæ ad arbitrium Epiſcopi aut

Capituli applicentur. Quæ nullatenus remitti valeat, etiamſi Prælatus & Capitulum ſuper hoc convenirent. Nec ſuper reſidentia facienda in duobus menſibus ſuprà dictis valeat idem Prælatus, niſi ex cauſa ſtudij, diſpenſare. Præmiſſa autem pœna in longa infirmitate præpeditis, aut exiſtentibus in obſequiis Domini Noſtri Papæ vel Prælati, ſive proſequentibus Eccleſiæ negotia ſine fictione & fraude, aut in iis qui diſpenſationem obtinuerint abſentandi ex cauſa ſtudij, non vendicet ſibi locum. Per præmiſſa verò, circa illos qui conſuetudine vel ſtatuto Eccleſiarum ad continuam vel majorem reſidentiam per ſe vel per alium ſunt aſtricti, non intendimus aliquid immutare.

Vt Canonici prætextu ſeu colore cujuſvis officij ſeu ſervitij diſtributiones non recipiant quas eſſent aliàs recepturi.

CAP. LIII.

ITEM cùm laborantibus in vinea Domini diurnus denarius debeatur, & negligentibus ſeminare in benedictionibus meſſis temporalis juſtè debeat denegari, auctoritate præſentis Concilij conſtituimus & etiam ordinamus ut nullus Canonicus cathedralis ſeu collegiatæ Eccleſiæ ſeu

alij Clerici perpetui beneficiati in eiſdem Eccleſiis, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, aut conditionis exiſtant, etiam prætextu alicujus officij aſſumpti vel etiam ſervitij colorati, diſtributiones quotidianas, quæ ſolis horis canonicis intereſſentibus dari debent, recipiant, niſi in eiſdem horis perſonaliter interſint, aut occaſione dicti officij & pro negotiis Capituli utilibus omni fraude ceſſante fuerint perſonaliter occupati; quacunque remiſſione, donatione, vel gratia contra hoc nullatenus valitura.

Vt ij qui dignitates ſeu perſonatus habent, ſeu habituri ſunt, infra certum tempus ad ſacros ordines, prout dignitates & perſonatus hujuſmodi exigunt, ſe faciant promoveri.

Cap. LIV.

Item quia decet illos, & ipſis incumbit, qui ad ſervitium altaris & Eccleſiæ Domini dedicati fore ſpecialiter dinoſcuntur, ſi ſua dignè & ſalubriter velint adimplere miniſteria, ad ſacros ordines promoveri, ne lucra amplecti avidè & humeros ab oneribus præſertim onerabilibus ſubducere cenſeantur; nos attendentes quòd nonnulli Canonici cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum noſtrarum provin-

Digitized by Google

ciarum, civitatum, & dioceſum, in dignitatibus & perſonatibus conſtituti, in propriæ ſalutis diſpendium non curaverint hactenus, quod cum diſplicentia referimus, neque curant, immo potiùs in effectu recuſant ad ſacros ordines, quos requirunt dignitates ſeu perſonatus quos obtinent, promoveri, quaſi properate veriſimiliter ſed damnabiliter, quòd cùm de Chriſti patrimonio fuerint ſublimati, à clericali ſtatu, ſicut à multis factum eſſe comperitur, illuſis Eccleſiis retrocedunt, ex quibus minutus eſt cultus divinus, & minui ampliùs ex prædicto abuſu timetur, niſi ſuper hoc proviſionis commodæ remedium apponatur. Et idcirco volentes, prout noſtro incumbit officio, hujuſmodi abuſum illuſus & illuſionem abuſus jam noſtris ſubditis abominabilem, & inſuper cultum divinum non minui ſed augeri noſtris operibus affectantes, præſentis Concilij auctoritate ſtatuimus concorditer & etiam ordinamus, utilitate & neceſſitate Eccleſiarum noſtrarum id ſummopere poſcentibus, ut omnes & ſinguli Canonici in cathedralibus ſeu collegiatis Eccleſiis noſtrarum provinciarum dignitates ſeu perſonatus obtinentes, vel qui in poſterum obtinebunt, infra unum annum à die præſentis ſtatuti publicati, dignitates vel perſonatus

præſentialiter obtinentes, qui autem obtinebunt in poſterum, à die adeptæ poſſeſſionis pacificæ dignitatum ſeu perſonatuum hujuſmodi inantea continuè numerandum, ad ſacros ordines, prout dignitates vel perſonatus hujuſmodi exigunt, ſe faciant promoveri. Alioquin ſi infra dictum tempus ſe non fecerint, ut præmittitur, promoveri, à perceptione fructuum & obventionum dignitatum ſeu perſonatuum hujuſmodi, donec ad dictos ordines ſint promoti, eo ipſo noverint ſe ſuſpenſos. Et ſi durante ſuſpenſione hujuſmodi ad percipiendum fructus, redditus, ſeu proventus dignitatum ſeu perſonatuum hujuſmodi ſe ingerere præſumpſerint, dignitatibus ſeu perſonatibus ſint ipſo facto privati. Volumus autem quòd fructus, redditus, & proventus dignitatum ſeu perſonatuum hujuſmodi, qui durante ſuſpenſione prædicta de dignitatibus ſeu perſonatibus recipientur, in utilitatem dignitatum ſeu perſonatuum prædictorum per Ordinarium & ejus Capitulum integrè convertantur.

Vt Prælati remiſſiones delinquentium adinvicem faciant requiſiti.

CAP. LV.

ITEM ſtatuimus quòd Archiepiſcopi & ſinguli Epiſcopi, & eorum Officia-

Digitized by Google

les, Vicarij, locatenentes, & vicegerentes ipſorum, in delictis remiſſionem faciant, cùm fuerint requiſiti. Et ſi is qui deliquiſſe dicitur, de dioceſi non fuerit ejus à quo remiſſio fieri poſtulatur, ſufficiant ſolæ litteræ requirentis. Si verò de ejus dioceſi fuerit, ſemiplena probatio ſufficiat in hac parte.

De excommunicatis compellendis redire ad gremium Eccleſiæ per judicem ſecularem, & appoſitione pœnæ.

Cap. LVI.

Item cùm nonnulli claves ſanctæ matris Eccleſiæ contemnentes, excommunicationis ſententiam non ſine animarum ſuarum periculo frequenter diù ſuſtineant animo indurato, ſtatuimus ut quicunque hujuſmodi ſententiam per nos vel per noſtras curias promulgatam per duos menſes poſtquam noverit in ſe prolatam, eam duxerit pertinaci animo ſuſtinendam, non curans modo debito abſolutionis beneficium petere ab eiſdem vel ab ea curia per quam fuerit excommunicationis vinculo innodatus, requiratur per eandem curiam dominus temporalis, aut ipſius Bajulus, vel judex loci ubi talis excommunicatus noſcitur commorari, & moneatur at-

rentè ut infra competentem terminum ab ipſa curia præfigendum ſuum ſubditum ſic excommunicatum compellat omnino ſatisfacere ſuper eo pro quo in eum excommunicationis ſententia fuerit promulgata, & abſolutionis beneficium poſtulare. Si verò dominus, Bajulus, ſive judex hoc non curaverint efficaciter adimplere, in ipſum per eandem curiam ſententia excommunicationis proferatur. Et deinde ſi adhuc dictum ſubditum ſuum regere contempſerit, locus ille, donec ipſum compulerit, interdicto eccleſiaſtico ſupponatur. Ceterùm, ut iidem excommunicati, qui divino non inclinantur amore ut ad gremium Eccleſiæ revertantur, temporalis metu pœnæ ad id propenſiùs inclinentur; ſtatuimus ut laïci quinque, Clerici verò decem, & Preſbyteri quindecim ſolidos Viannenſium bonorum pro quolibet menſe quo in excommunicatione prædicta permanſerint ſolvere teneantur, niſi propter paupertatem vel aliam rationabilem cauſam memorata curia miſericorditer agere voluerit cum eiſdem. Prædictis pœnis in ornamentis Eccleſiæ ſeu eleemoſynis ad dioceſani arbitrium convertendis.

Digitized by Google

Ne prohibeantur Prælati juriſdictionem ſuam exercere.

CAP. LVII.

ITEM cùm in jure cautum exiſtat Archiepiſcopos & Epiſcopos in totis ſuis diceſibus juriſdictionem ordinariam obtinere, & in quolibet loco ſuarum dioceſum non exempto per ſe vel per alium poſſe pro tribunali ſedere, cauſas audire ſpectantes ad forum eccleſiaſticum, & perſonas eccleſiaſticas, cùm earum exceſſus exegerint, capere & carceribus mancipare, aliáque omnia & ſingula ad ſua ſpectantia officia liberè exercere, & nonnulli domini temporales, judices, rectores, & officiales eorum, Deum & libertatem eccleſiaſticam ſacrorúmque ſtatuta canonum offendere in ſuarum animarum grande periculum non verentes, perſonas eccleſiaſticas, quas in diverſis locis noſtrarum civitatum & dioceſum ac provinciarum ſuis exceſſibus & delictis exigentibus capi & carceri mancipari contingit, interdum de carceribus extrahunt violenter, impediunt quò minùs de illis & eorum delictis & exceſſibus per judices eccleſiaſticos, ad quos pertinet, exhiberi liberè valeat juſtitiæ complementum; nos talium obviari

damnandis auſibus júſque ſervari ſuper iis in eiſdem civitatibus & dioceſibus ac provinciis cupientes, præſenti approbante Concilio ſtatuimus quòd omnes & ſinguli temporales domini, judices, rectores, vel officiales eorum, qui talia de cetero in eiſdem civitatibus vel dioceſibus vel provinciis præſumpſerint attentare, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, eorúmque terræ & loca, niſi infra decem dies poſtquam fuerint ſuper hoc requiſiti deſtiterint, ex tunc eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, donec ſpoliatis carceribus plenariè & liberè reſtitutis, ei, cujus juriſdictionem ſic læſerint, emendam præſtiterint condecentem.

Ne prohibeantur directè vel indirectè Clerici coram judice eccleſiaſtico litigare.

CAP. LVIII.

ITEM cùm nonnulli ſeculare dominium obtinentes, ſeu ſecularis juſtitiæ poteſtatis gerentes officium, juriſdictionem ſanctæ matris Eccleſiæ ſubvertere vel minuere exquiſitis aſtutiis moliantur; nos eorum malitias ultione canonica reprimere cupientes, approbante præſenti Concilio ſtatuimus inhibentes ne quis in foro eccleſiaſtico litigantes ſeu litigare volentes ſuper

cauſis merè eccleſiaſticis, ſive quæ ad forum Eccleſiæ de antiqua & approbata conſuetudine & hactenus pacificè obſervata pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellat per ipſorum vel parentum & conſanguineorum ſeu rerum eorum vel perſonarum hujuſmodi captionem vel modis aliis quibuſcunque. Si verò contra præſumpſerint, excommunicationis ſententiæ præſentis auctoritate Concilij ſe noverint ſubjacere.

Vt infra domos Prælatorum, & in eorum & Officialium ſuorum præſentia, injuria nulli fiat.

CAP. LIX.

ITEM cùm illos quos Dei timor à malo non revocat, ſaltem coërcere debeat ſeveritas diſciplinæ, præſenti Concilio duximus ſtatuendum quòd ſi perſona, cujuſcunque conditionis, ſtatus, ſeu ordinis exiſtat, infra domos archiepiſcopales vel epiſcopales noſtrarum civitatum vel dioceſum ac provinciarum, vel alibi ubicunque, nos vel ſuffraganeos ſeu noſtros ſeu eorum Officiales cauſas audientes aliquo facto graviter vituperaverit ſeu injuriam irrogaverit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto, & aliàs puniatur.

Digitized by Google

De bannis ſolvendis à Clericis, & per quos & qualiter exigantur.

CAP. LX.

ITEM ſtatuimus ſub pœna excommunicationis quòd nullus dominus temporalis audeat compellere Eccleſias vel perſonas eccleſiaſticas, vel earum familias, ſervientes, ſeu nuncios, ſolvere bannum ſeu banna pro animalibus ſuis quibuſcunque vel perſonis prædictis. Et ne perſonæ eccleſiaſticæ vel earum familiæ materiam habeant propter hoc delinquendi, ſtatuimus ut banna quæ à laïcis committentur pro fructibus alienis ſubreptis, vel eorum animalibus in vineis, pratis, aut poſſeſſionibus, vel defenſis, inventis, eadem ab ipſis Clericis & perſonis eccleſiaſticis, ipſarum familiis, & animalibus eorundem, applicanda curiæ ſingulorum dioceſanorum de cetero committantur. Volentes & præcipientes ut à Preſbyteris ſingularum Eccleſiarum provinciarum & dioceſum noſtrarum, curam habentibus animarum, banna ipſa, quotiens ea in locis ipſorum committi contingerit, auctoritate cujuſlibet dioceſani exigantur fideliter & leventur, eidem Curiæ per eos poſtmodum in ſingulis ſynodis ex integro aſſignanda. Si

qui verò ſic banna commiſſa ſolvere recuſaverint per Preſbyteros requiſiti, ex tunc ad duplicata banna eadem teneantur, & ad ea ſic duplicata ſolvenda per eandem curiam compellantur. Preſbyteri verò prædicti dictæ curiæ banna hujuſmodi ſolvere recuſantes manifeſtare procurent. Alioquin ſi ſuper hoc reperti fuerint negligentes, juxta ipſius curiæ arbitrium exinde puniantur. In civitatibus verò vel caſtris alterius noſtrum ſeu noſtrorum diœceſanorum temporali juriſdictioni ſubjectis per mandatarios noſtros ſeu ipſorum diœceſanorum banna prædicta exigi volumus & levari, & cuilibet noſtrum & diœceſanorum noſtrorum, prout ad nos & quemlibet eorundem pertinuerit, reſtitui per eoſdem. Ceterùm ſuper denuntiatione prædictorum bannorum, cùm ab aliquo ſeu aliquibus committentur, cuſtodientibus ſive gardis juratis fidem decernimus adhibendam. Porrò ſuper ſolutione prædictorum bannorum & emendandis talis ſeu damnis, prout juſtum fuerit, nullum volumus excuſari. Prædictum autem ſtatutum ad perſonas eccleſiaſticas temporalem juriſdictionem habentes in locis ſibi ſubjectis volumus non extendi.

Digitized by Google

De contrahentibus matrimonia clandeſtina in dioceſi aliena.

CAP. LXI.

ITEM ſtatuimus quòd quæcunque perſona pro matrimonio clandeſtino celebrando dioceſim ſuam exiverit, & ibi ſuum matrimonium contraxerit ſine licentia proprij ſacerdotis, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & ut excommunicatus vitetur & publicetur, donec ad arbitrium dioceſani Eccleſiæ parrochiali ſatisfecerit in cujus injuriam hoc præſumpſit, & abſolutionis beneficium meruerit obtinere.

De abutentibus literis Domini Noſtri Papæ & Legatorum, & qualiter puniantur.

CAP. LXII.

ITEM quia ſunt nonnulli Clerici & laïci qui litteris Domini Papæ vel Legatorum ejus nequiter abutuntur, idcirco auctoritate præſentis Concilij excommunicamus omnes illos qui literas obtentas aliis ejuſdem nominis ad abutendum tradunt, & eos qui eas recipiunt tali modo. Item qui ad loca æquivoca aliquem citari faciunt ut fraudulenter & malitiosè vexent

Digitized by Google

& decipiant ſic citatum laboribus & expenſis. Item omnes illos qui per literas Domini Papę vel Legatorum ejus perſonas non comprehenſas in reſcriptis per excogitatam malitiam, litteram ubi non eſt ſimulantes, citari faciunt vel procurant ad teſtimonium perhibendum veritati. Item omnes illos qui literas apoſtolicas vel Legatorum ejus contra jura ad futuras trahunt controverſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Item omnes qui per literam ea quæ de bonis pro ſuo prioratu, vel ſua Eccleſia, officio, vel beneficio impetratam ad inſtantiam aliquorum reliquos citari faciunt cum quibus ratione prioratus, vel Eccleſiæ, beneficij, vel officij, quorum nomine eſt littera impetrata, non habent aliquid quæſtionis, de littera poſt iter arreptum omnibus prædicto modo abutentibus idem per omnia ſtatuentes, necnon de omnibus illis qui per quaſcunque litteras apoſtolicas aliquos citari faciunt contra quos non habent aliquid quæſtionis, vel contra conſtitutionem felicis recordationis Domini Bonifacij Papæ VIII. adverſarios ad remota loca notoriè diſtantia vel non inſignia faciunt evocari. Item Iudices, Conſervatores, Delegatos, & Subdelegatos, qui ſcienter ad loca notoriè diſtantia vel non inſignia partem

citare

citare præſumunt, quíque auctoritate litterarum apoſtolicarum contra aliquem citando vel aliàs procedunt ad inſtantiam alicujus, ſi ſibi conſtiterit illum ad cujus inſtantiam procedunt, eum vera re vel ipſius procuratorem eſſe qui in litteris apoſtolicis continetur. Si quis verò ſuper rebus ad dotem ſpectantibus litteram apoſtolicam impetraverit, & illius auctoritate aliquem vel aliquos, cum quibus ratione dotis non habet aliquid quæſtionis, fecerit fatigari, auctoritate præſentis Concilij eadem excommunicationis ſententia qua ſuperiùs nominati noverit ſe ligatum. De illis verò qui falsò ſe aſſerunt cruceſignatos, cùm non ſint, & ſic cruceſignati litteras apoſtolicas impetrant, per quas aliquos fatigant laboribus & expenſis, idem de illis qui privilegium cruceſignatorum impetrant, ut ſub illa forma, poſtquam iter arripuerint ttanſmarinum, & ante iter arreptum, per illud privilegium aliquos faciant fatigari, talium abuſorum abſolutione, poſtquam parti læſæ plenè ſatisfecerint, ſuo Ordinario reſervata, aliis pœnis à jure ſtatutis eis nihilominus per ſuos Ordinarios vel illius quem indebitè vexaverint, ſi ibi reperti fuerint, infligendis. Hoc autem contra abuſores litterarum Domini Papæ & Legatorum ipſius auctoritate præ-

ſentis Concilij duximus ſtatuendum, ejuſdem ſedis apoſtolicæ & Legatorum ipſius auctoritate in omnibus ſemper ſalva.

Vt beneficiati ſine diœceſani licentia non componant ſuper decimis & aliis juribus Eccleſiarum ſuarum.

CAP. LXIII.

ITEM ſub interminatione anathematis prohibemus ne aliquis Rector, Vicarius, vel alius Clericus prædictarum Arelatenſis, Aquenſis, & Ebredunenſis provinciarum ſuper decimis vel aliis juribus debitis Eccleſiis parrochialibus cum aliquibus Religioſis componere audeat ſine auctoritate diœceſani, vel jus uni Eccleſiæ debitum alteri audeat aſſignare.

Vt beneficiati res eccleſiaſticas abſque diœceſani licentia, præterquam in certis caſibus, non alienent. Et hoc ſub certa pœna.

CAP. LXIV.

ITEM ſtatuimus prohibentes ne aliquis, cujuſcunque ſtatus vel dignitatis exiſtat, poſſeſſiones eccleſiaſticas aut quæcunque alia jura immobilia alienet quocunque titulo in quaſcunque perſonas, cujuſcunque ſtatus, conditionis, vel religionis, aut dignitatis exiſtant, ſine ſui diœceſani conſi-

Digitized by Google

lio & aſſenſu, contractu hujuſmodi irrito nihilominus exiſtente. Qui verò contrarium fecerit, proventus ſui beneficij unius anni ipſo facto amittat in perpetuam utilitatem ipſius beneficij ad dioceſani arbitrium convertendos. Addentes, quòd ubi poſſeſſiones ſteriles vel aliæ de conſenſu, ut præmittitur, dioceſani in emphytheoſim perpetuam concedentur; dictas in emphytheoſim pro acapito aut pro introitu nihil ultra recipere audeat quàm valeat cenſus vel canon annuus vel pars unius anni fructuum quæ vel qui ratione dominij retinetur. Salvis tamen circa alienationem hujuſmodi conſuetudinibus rationabilibus hactenus obſervatis; quas non intendimus immutare.

In quo ſtatu debeant dimitti beneficia, quandò ad aliorum manus perveniunt præterquàm per mortem.

CAP. LXV.

ITEM ſtatuimus quòd ſi contingat aliquem aliquam Eccleſiam ſuam quomodolibet dimittere ſine morte, juxta æſtimationem legitimam & ejuſdem Eccleſiæ facultates relinquat ibidem in bonis mobilibus quòd perſonæ neceſſariæ ipſi Eccleſiæ & domui ejuſdem inde poſſint vivere

uſque ad novos fructus & commodè ſuſtentari, & onera interim Eccleſiæ incumbentia ſupportare. & animalia aratoria, & ornamenta Eccleſiæ, & ſuppellectilia conſueta; quòdque ſucceſſor quilibet omnia ornamenta eccleſiaſtica & univerſam domus ſupellectilem in pannis & aliis in illo ſtatu conſervet & meliori, ſi poterit, ac reddere teneatur, quo recipiet Eccleſiam ſupradictam.

De inventario bonorum eccleſiaſticorum infra certa tempora faciendo.

CAP. LXVI.

ITEM ſtatuimus quòd Priores Eccleſiarum, & Rectores ſeu gubernatores Hoſpitalium pauperum, & omnes alij beneficia eccleſiaſtica obtinentes, faciant inventarium cum publico inſtrumento, vel in Chartulario, quod penes Eccleſiam debeat remanere, de omnibus mobilibus & immobilibus bonis, ſcilicet inſtrumentis, privilegiis, vaſis æneis & ferreis atque vinariis, in principio ſui regiminis, infra ſex menſes. Et idem faciant inſtituti poſt primam ſynodum infra ſex menſes. Et qui prædicta non fecerit, in decima fructuum dicti beneficij puniatur, operi vel ornamentis aut in utilitatem perpetuam Ec-

Digitized by Google

cleſiæ per Ordinarium applicanda.

De teſtamentis per beneficiatos ſecundùm conſuetudines laudabiles faciendis.

CAP. LXVII.

ITEM ſtatuta olim per prædeceſſores noſtros edita ſuper teſtamentis vel aliis voluntatibus per Prælatos vel beneficiatos alios faciendis ac conſuetudines rationabiles hactenus in ſingulis provinciis obſervatas auctoritate præſentis Concilij approbamus, & in ſuo robore volumus permanere.

De ſtatutis, bannis, & præconiſationibus contra conſuetudines Eccleſiæ editis.

CAP. LXVIII.

ITEM ſtatuimus quòd quicunque contra eccleſiaſticas conſuedines antiquas rationabiles, approbatas, & hactenus pacificè obſervatas, ſtatuta, banna, prohibitiones, vel præconiſationes, aut præcepta ſcienter fecerit aut fieri procuraverit aut ſervari, vel facientibus vel ſervantibus in hoc conſilium vel opem directè vel indirectè præſtiterit, per dioceſanos locorum aut Officiales vel procuratores eorum auctoritate præſentis Concilij moneantur ut infra unum menſem à tempore monitionis

Digitized by Google

hujuſmodi numerandum ſtatuta, banna, prohibitiones, præconiſationes, & præcepta hujuſmodi cum effectu revocare debeant, ad conſimilia nunquam ulteriùs proceſſuri. Alioquin excommunicationis ſententia, quam in iis ſcriptis ex nunc in ipſos ferimus, ſint ligati.

De contributione expenſarum neceſſaria inter omnes beneficiatos diœceſis facienda.

CAP. LXIX.

ITEM ſtatuimus quòd ſi Archiepiſcopus vel Epiſcopus aut aliquis Rector alicujus Eccleſiæ civitatum vel diœceſum ac provinciarum prædictarum expenſas neceſſarias fecerit in Legatis & Nunciis ſedis apoſtolicæ, expenſæ illæ ſolvantur de communi diſtributione Eccleſiarum civitatum vel diœceſum infra quas dictæ expenſæ fuerint factæ. Et iſtæ expenſæ ſemel in anno in una ſynodo colligantur, niſi per ſedem apoſtolicam quæ Eccleſiæ ſolvere debeant fuerit ordinatum.

Vt Iudæi utriuſque ſexus ſigna deferant per quæ ab aliis diſcernantur.

CAP. LXX.

ITEM decernimus quòd Iudæi maſculi à XIV. annis & ſupra deferant extra do-

Digitized by Google

mos in ſuperiori veſte, in pectore, ſignum rotæ, cujus rotunditas in quantitate ſit trium vel quatuor digitorum, niſi ſint in viagio conſtituti. Mulieres autem Iudææ à xii. annis & ſupra carnalia deferant extra domos. Si verò Iudæi quocunque prætextu contra fecerint, Chriſtianorum eis participatio denegetur. Hac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis & oblationibus de domibus & poſſeſſionibus quas noſcuntur in ipſarum parrochiis poſſidere.

Tunc ſententia interdicti ſervetur, cùm ab Ordinario data fuerit in mandatis.

Cap. LXXI.

IN ſingulis autem caſibus ſupradictis, in quibus lata eſt ſententia interdicti, tunc demum eam ſervari volumus & mandamus, cùm ab Ordinario vel Officiali ſeu locatenentibus aut delegato datum fuerit in mandatis. Mandans autem diligenter advertat quòd tunc demum dictam ſententiam mandet ſervari, quando illius loci dominus eſſet ſolus. Si verò plures fuerint pro indiviſo dominium obtinentes, quorum aliquis recuſat, alius verò eſt obedire paratus; tunc dominus ſuperior, vel ſuperiori proximus, ſi plures fuerint, vel ejus ſeu eo-

Digitized by Google

rum officiales requirantur & moneantur ut infra unum menſem à die monitionis inantea numerandum emendam fieri faciant & ſatisfactionem debitam ſuper eis ſuper quibus dicta ſententia eſt prolata. Quòd ſi non fecerint, ex tunc prædictus Ordinarius, Officialis, vel locumtenens ſeu delegatus ejuſdem, dictam interdicti ſententiam mandet & faciat per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari.

Ad Iudæos Chriſtiani non recurrant pro medicina quacunque eorum capienda, niſi maxima neceſſitas immineret.

CAP. LXXII.

ITEM quia inter Chriſtianos non ſine catholicæ fidei opprobrio adeo invaluit perniciosus abuſus, ut ij qui Iudæorum, utpote noſtræ inimicorum fidei, fœtidos actus & opera ſpernere & abhorrere deberent, ad ipſos Iudæos, qui ſe Phyſicos & Surgicos aſſerunt, pro medicamentis imò verius nocimentis indifferenter recurrunt, propter quod eorundem Iudæorum ſervilis ſtatus ultra metas erigitur, inflatur, & ſuperbit cœcitas, & ipſi fidem catholicam parvipendunt, exinde familiaritates & converſationes multiplices, multorum ubique incentivæ malorum, inter ipſos Chriſtianos

Digitized by Google

& Iudæos prodeuntes, pluribus nefandis ſceleribus, quæ reperiuntur perpetrata, cauſam creduntur veriſimiliter præbuiſſe, & darent in poſterum aliis ſceleribus iis forſitan pejoribus occaſionem ſive cauſam, niſi ſalubris proviſio talibus obviaret; idcirco nos, quibus debet eſſe cura diligens per omnia ſuperni numinis religionem tueri, ſubditóſque noſtros à noxiis, quantum cum Deo poſſumus, præſervare, ſtatuimus ac etiam ordinamus ut amodo nullus Chriſtianus noſtrarum provinciarum, civitatum, & dioceſum, cujuſvis ſexus, ſtatus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in infirmitate ſua vel aliàs Iudæum quemcunque Phyſicum vel Surgicum pro aliqua cujuſcunque conditionis medicina vel medicamine ſive cura recipiendis ab eodem adeat, requirat, & requiri faciat, nec etiam ipſius Iudæi ad eum ſponte vel aliàs venientis aut mittentis recipere audeat per ſe per alium quovis exquiſito colore medicinam, conſilium, aliàs quàm facturus fuerit ſui curam, niſi patienti immineat periculum, & Chriſtiani periti Medici, Phyſici, vel Surgici haberi commodè in præfato periculo copia non valeret. Interdicentes pari modo Iudæis utriuſque ſexus ut in curandis infirmitatibus Chriſtianorum nullatenus ſe audeant immiſcere. Qui autem hujuſmodi

ſtatuti extiterit violator; ſi Iudæus fuerit, eidem communio fidelium ſubtrahatur; Chriſtianus verò, ſuperioris ſui arbitrio puniatur.

Cùm abſolutio vel diſpenſatio in caſibus præſentis Concilij ſuperiori non reſervatur, per Ordinarium vel per illum ad quem Ordinarius remittit impendi poterit & debebit.

CAP. LXXIII.

ITEM adjicimus quòd in caſibus ubi diſpenſatio vel abſolutio non reperiretur in ordinationibus præſentis Concilij ſedi apoſtolicæ ſpecialiter vel aliter reſervata, Epiſcopi pro ſuæ diſcretionis arbitrio juxta negotij qualitatem & perſonarum conditionem provideant & diſpenſent, aut pro reconciliationis & abſolutionis ſeu diſpenſationis remedio remittant culpabiles ad ſuum vel aliquem alium de prædictis Metropolitanum, de quo ſibi magis expedire videbitur, & ſicut illius ſaluti, de cujus agetur exceſſu, penſatis tam negotij quàm perſonæ circumſtantiis, magis crediderint opportunum.

IN QUORUM omnium fidem & teſtimonium nos Gaſbertus Arelatenſis, Bertrandus Ebredunenſis, & Armandus Aquenſis Archiepiſcopi ſupradicta ſtatuta

publicari mandavimus in dicto provinciali Concilio & ſigillorum noſtrorum appenſione muniri ad majorem rerum firmitatem & certitudinem pleniorem. Et nos ſiquidem Petrus Auraſicenſis, Hugo Tricaſtrinenſis, Iacobus Tholonenſis, Hugo Carpentoratenſis, Iohannes Cavallicenſis, Iohannes Maſſilienſis, Iohannes Avinionenſis, Raterius Vaſionenſis Epiſcopi ſupradicti, prædictorum procuratorum interveniente conſenſu, omnia & ſingula in dictis ſtatutis contenta grata habentes & rata, ideo prædictis ſtatutis ad majus prædictorum teſtimonium ſigilla noſtra apponi fecimus & appendi.

Actum & datum in prædicto monaſterio ſancti Ruffi anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſeptimo, Indictione quinta, die tertia menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi Patris & Domini Noſtri Benedicti divina providentia Papæ XII. anno tertio; præſentibus venerabilibus viris Dominis Petro Baſconis juris civilis Profeſſore, Petro Gervaſij Vivarienſis Albienſis Eccleſiarum Canonico, Duranto Mercatore Rectore Eccleſiæ de Monte Clairano Caturcenſis, Amalrico Saomine Clerico Vticenſis dioceſis, & Raimundo Aſtorgij Iuriſperito Curiæ

Montiſalbanenſis, & pluribus aliis teſtibus ad præmiſſa.

Ego verò Guillelmus de Benga Clericus Agennenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate Notarius, prędictorum ſtatutorum editioni, ordinationi, lectioni, & recitationi unà cum ſupranominatis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, procuratoribus, & teſtibus præſens fui, eáque ad requiſitionem dictorum Dominorum Archiepiſcoporum publicavi & in hanc formam publicam redegi, ſignúmque meum ante ſubſcriptionem meam & in quibuſcunque conglutinationibus ſuperiùs factis conſuetum appoſui in teſtimonium veritatis.

FINIS.

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS NOTÆ AD CONCILIA GALLIÆ NARBONENSIS.

CONCILIVM PORTVENSE.

ALIQUAM iſtius Portuenſis ſynodi notitiam, ſed valde parvam, habuerat, qui in his ſtudiis ſumma cum laude ſe exercuit, Jacobus Sirmondus, clariſſimum ſeculi noſtri lumen & ornamentum; ut patet ex his quæ ipſe notata reliquit ad Concilium habitum apud Juniarias in diœceſi Magalonenſi. Nos igitur magno viro fuimus feliciores, qui ſynodum integram nacti ſumus in vetuſtiſſima membrana quæ extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Et Sirmondus quidem viderat haud dubiè exemplar fragmenti iſtius Concilij ex Chartulario Narbonenſi folio XXXVIII. ubi hæc tantùm habentur: *Illuſtrante gratia ſancti Spiritus corda fidelium, con-*

Digitized by Google

ventus factus eſt Epiſcoporum ſanctorum apud Nemauſenſem pagum, in loco qui Portus cognominatur, in Eccleſia ſanctæ Dei genitricis Mariæ, anno ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCXCVII. XIII. *Kal. Mai, Indictione* XV. *reſidente verò in eodem Concilio magnificentiſſimo Pontifice primus Narbonenſis Eccleſiæ Arnuſto.* Hæc ibi de ſynodo Portuenſi. Tum ſtatim abſque ulla diſtinctione ſequitur: *Diſpoſitione arcerſiti &c.* Quæ pertinent ad ſynodum Magalonenſem apud Iunquarias.

AGILBERTO BITERR.] Mirum eſt hunc Epiſcopum Biterrenſem heic Agilbertum vocari, & in ſubſcriptionibus Tructarium. Hæc enim acta ſunt admodum vetuſta, ſed tamen non puto eſſe authentica. Itaque oportet erratum heic eſſe à librario, aut Epiſcopum illum fuiſſe binominem. Nam quòd aliqui Reginaldum medium collocant inter Agilbertum & Tructarium, huic conjecturæ non officit; cùm Reginaldus hinc removendus ſit, qui poſt annum demum DCCCXCVII. ad eam cathedram pervenit, ut dicetur in Notis ad Concilium Magalonenſe.

SERVO-DEI GERVND.] cujus crebra paſſim ac nobilis eſt memoria per illas tempeſtates, & ad quem data reperitur epiſtola Romani Papæ nondum edita. Quòd autem Epiſcopus provinciæ Tarraconenſis intereſt ſynodo provinciæ Narbonenſis, hinc factum, quòd cùm Tarraco, provinciæ metropolis, eſſet in poteſtate Sarracenorum, maxima pars provinciæ, tota nimirum illa pars quæ citra Rubricatum habitatur, provinciæ Narbonenſi adjuncta fuerat quantum ad res eccleſiaſticas, cùm Regibus Francorum optimo jure pareret quoad civiles, ad eorúmque regnum pertineret; uti diximus in diſſertatione de epiſcopatu Egaren-

ſi, & in Notis ad Concilium apud Narbonem habitum ſub Karolo Magno. Itaque paſſim in ſynodis Gallicanis per ea tempora celebratis reperias nomina Epiſcoporum Vrgellenſium, Gerundenſium, Barcinonenſium, itémque Auſonenſium, poſtquam Auſonenſis Eccleſia fuit reſtaurata. De qua reſtauratione dictum eſt in Notis ad Concilium illud Narbonenſe cujus mox meminimus; atque iterum de ea agemus ex profeſſo, cùm occaſio erit edendi Concilij apud Barcinonem habiti anno DCCCCVI.

MON. S. LAVR.] Erat monaſterium illud in poteſtate Archiepiſcopi Narbonenſis jam inde à temporibus Ludovici Balbi Regis, cujus auctoritate unitum eſt Eccleſiæ Narbonenſi; ut patet ex Præceptis Karlomanni Regis & Karoli Simplicis, quibus patris donationem confirmant. Nam Ludovici Præceptum hodie non extat. Tandem ea abbatia redacta eſt in prioratum undecimo Chriſti ſeculo, ac monaſterio Craſſenſi unita; ut docent acta Concilij quod Dalmatius Archiepiſcopus habuit apud Narbonem anno MXC.

MONAST. S. MARIÆ] id eſt, Craſſenſi, quod antiquitus Urbionis dicebatur, ſito in confinio Narbonenſi & Carcaſſonenſi, ut loquitur Karolus Magnus in Præcepto de confirmatione donationum huic monaſterio factarum.

COCONE] Locus eſt haud procul Montepeſſulano, retinens etiamnum hodie nomen. Eccleſiam verò Coconis Capitulo Magalonenſi univit Gothofredus Epiſcopus Magalonenſis circa annum MLXXX. ut fidem facit vetus carta à Gariello edita in hiſtoria Epiſcoporum Magalonenſium. Eccleſiæ Cauconis, ſive Coconis, rurſum mentio extat in literis Galteri Epiſcopi Magalonenſis & in literis

Ludovici VII. Francorum Regis apud eundem Gariellum pag. 136. 197.

CONCILIVM MAGALONENSE.

CONCILIVM iſtud Magalonenſe fideliter deſcriptum eſt ex vetuſtiſſima membrana quæ extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Et haud ſcio annon illud ſit authenticum iſtius ſynodi. Sed valde dolendum eſt temporum injuria factum eſſe ut priores lineæ perirent magna ex parte. Eam tamen jacturam utcunque ſarciunt vetera monumenta quæ extant in Chartulario ejuſdem Archiepiſcopi Narbonenſis fol. xxxviii. ubi ſic ſcriptum eſt. *Diſpoſicione arcerſiti, anno incarnationis herilis verbigenæ* DCCCXCVIIII. *Indictione* XII. *Nonas Mai., in regno Septimaniæ, territorio Magalonenſi, loco Iunquarias vocato, jam Eccleſia ſancti Vincentij, nos perhumiles Septimaniæ, Spaniæ, atque Provinciæ Ieſu Chriſti, Arnuſtus videlicet ſanctæ Eccleſiæ primæ Narbonæ Metropolita, Amelius Vzeticenſis, Gimera Carchaſſenſis, Reginardus Biterrenſis, Nantigidus Vrgellitanenſis, Autgarius Lutovenſis, Gairardus Agatenſis, Vgbertus Nemauſenſis, Gontarius Magdalonenſis, Benedictus Forojulenſis, item Reguiardus Cavallienſis.* Hactenus ex Chartulario. Reliqua enim hujuſce Concilij acta illic deſcripta non ſunt. Falluntur ergo qui putant ſynodum iſtam fuiſſe habitam anno DCCCXCIV. Nam & acta vetera quæ nunc in lucem eduntur, multò vetuſtiora memoriis illis quas ex Chartulario Narbonenſis Archiepiſcopi deſcripſimus, ſat diſertè præferunt annum nogenteſimum nonum, & memorię ipſæ, quibus illi utuntur ad conſtituendam opinionem ſuam, non

Digitized by Google

non annum DCCCXCIV. præſcriptum habent, ſed annum DCCCXCVIIII. Verùm cùm Indictio duodecima, quæ in iiſdem memoriis adnotata eſt, non congrueret huic annorum numero, quæ in annum potiùs DCCCXCIV. incidebat, facilè ſibi perſuaſerunt mendum heic eſſe, próque DCCCXCVIIII. legendum eſſe DCCCXCIIII. demptâ literâ V. quæ quinarium numerum ſuperaddebat. Indictio porrò duodecima, quæ cauſa errandi fuit, incidit omnino in annum DCCCCIX. Præterea Gimera nondum erat Epiſcopus Carcaſſonenſis anno DCCCXCIV. nondum Reginardus ad Biterrenſem cathedram pervenerat, neque Gerardus ad Agathenſem, non Ugbertus ad Nemauſenſem, non denique Guntarius ad Magalonenſem; ut patet ex Concilio apud Portum habito anno DCCCXCVII. Nam huic Portuenſi ſynodo interfuiſſe reperiuntur alij ſedium illarum Epiſcopi, quos ante iſtos vixiſſe patet ex Concilio habito anno DCCCCVII. apud monaſterium ſancti Tyberij in diœceſi Agathenſi, & ex Concilio apud Fontem coopertam in diœceſi Narbonenſi congregato anno DCCCCXI. Ut nullus jam ſit dubitandi locus quin Concilium iſtud Magalonenſe revocandum ſit ad annum nongenteſimum nonum.

........RIAS VOCATO] Sirmondus legit *Iuniarias*, fortè vitio librariorum, cùm ſcribendum eſſet *Iuncarias*, facili typographorum errore. Sic enim legendum eſſe admonet Gariellus, de hac ſynodo agens, in Serie Præſulum Magalonenſium pag. 91. Hunc enim locum, qui Junquieres hodie ſive Joncetum dicitur à juncorum inibi ſilveſcente copia, ut in humo uda & paluſtri, ampliſſimo quondam templo, quod ſancto Vincentio ſacrum eſt, vicinia tota percelebrem fuiſſe, donec furente Calviniſtarum bello dirutum fuit. Hujus tamen

Digitized by Google

adhuc templi magnifica rudera extare, fornicis porrò, qui olim fuit, proceritatem è mira feneſtrarum altitudine æſtimari, reliqua cùm affabre ſtructa, tum gradariæ præſertim cochleæ concinnum architectonices & elaboratum eſſe opus. Eccleſiam ſancti Vincentij de Junqueriis monaſterio Caſæ-Dei donavit Gothofredus Epiſcopus Magalonenſis circa annum MXC. ut fidem facit idem Gariellus pag. 122. Quod donum confirmatum eſt à Galthero Gothofredi ſucceſſore literis quæ extant apud eundem Gariellum pag. 136. in quibus diſertè ſcriptum eſt *Eccleſiam ſancti Vincentij de Iunqueriis*. Ut nullus deinceps ſit dubitandi locus quin pro *Iuniarias* ſcribendum ſit *Iunquarias*, ut habetur in fragmento iſtius Concilij quod ſuprà retulimus ex Chartulario Archiepiſcopi Narbonenſis.

REGNO SEPTIMANIÆ] Hujus regni mentionem facit etiam Karolus Calvus in Præcepto dato in monaſterio ſancti Saturnini prope Toloſam anno DCCCXLIV. quod extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis, ubi hæc leguntur: *Notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus & noſtris præſentibus atque futuris quia quidam fidelium noſtrorum* REGNI SEPTIMANIÆ, *vaſſus noſter, nomine Teodtfredus &c.* Item in Præcepto dato in monaſterio ſancti Dionyſij anno DCCCLXVIII. quod habemus ex archivo monaſterij ſancti Petri Rodenſis in diœceſi Gerundenſi: *Concedimus memorato fideli noſtro Odoni vaſſo prædicti fidelis noſtri Otgerij quaſdam res juris noſtri ſitas infra* SEPTIMANIÆ REGNUM *in pago Ruſſilionenſe.* Iſtius porrò regni hos limites fuiſſe exiſtimo, quicquid videlicet à Carcaſſone intercipitur inter mare mediterraneum, Rhodanúmque, & montes Pyrenæos; ita ut non ſolùm diœceſis Helenenſis,

Digitized by Google

quæ pars eſt Galliarum, eſſet intra hos limites, ſed etiam diœceſis Urgellenſis ex provincia Tarraconenſi. Ac de diœceſi quidem Helenenſi nullus eſt dubitandi locus, quandoquidem, ut diximus, pars Galliarum eſt. Attamen ſi quis etiam probationes in hoc requirat, facilè exhibebimus. Nam & Præceptum Karoli Calvi quod retulimus ex archivo ſancti Petri Rodenſis, Comitatum Ruſcinonenſem, cujus iidem ſunt limites qui & diœceſeos Helenenſis, in regno Septimaniæ fuiſſe docet. Deinde Lotharius, Ludovici Pij filius, in Præcepto dato anno XXI. imperij Ludovici Pij, quod extat in Chartulario Eccleſiæ Helenenſis, Ruſcinonenſem pagum in Septimania eſſe ſcribit. Tum, Comitatus Vallis-Aſperi, qui reſectus eſt à Ruſcinonenſi, Septimaniæ quoque accenſetur in Præcepto Ludovici Pij dato anno XX. imperij ejus, quod extat in eodem Chartulario Eccleſiæ Helenenſis. Et in Conſtituto de monaſteriis regni Francorum, quod à Sirmondo primùm, dein à Ducheſnio editum eſt, inter monaſteria quæ anno DCCCXVII. cenſebantur in Septimania, diſertè nominatur *monaſterium Valle-Aſperij*, id eſt, monaſterium Arularum in Comitatu Vallis-Aſperienſis. Diœceſim porrò Urgellenſem, quæ tum, ut maxima pars provinciæ Tarraconenſis, Regibus Francorum parebat, partem Septimaniæ fuiſſe oſtendunt Præcepta Ludovici Pij & Karoli Calvi quæ extant in archivo Eccleſiæ Urgellenſis, quæ vidimus authentica. Nam Ludovicus ornans privilegiis monaſterium ſanctæ Gratæ in ea diœceſi conſtructum, ait poſtulatum à ſe fuiſſe ut *ita monachi vel res ibidem pertinentes noſtri proprij eſſent ſicut cetera monaſteria infra Septimaniam noſtra eſſe conſtant.* Karolus autem in Præcepto de confirmatione bonorum ac privile-

Digitized by Google

giorum Eccleſiæ Urgellenſis, ait inter cetera: *Præterea concedimus eidem ſanctæ ſedi, ut ſicut aliæ Eccleſiæ Septimaniæ, ita quoque eadem & rectores ejus ſemper habeant tertiam partem telonei de omnibus illius parrochiæ merchatis.* Præterea, Comitatus Palliarenſis, quæ pars eſt diœceſeos Urgellenſis, in Septimania eſſe dicitur in actis anno XI. imperij Ludovici Pij confectis, quæ extant in archivo Eccleſiæ Urgellenſis.

SUNIARIUM COMITEM] filium Vvifredi piloſi Comitis Barcinonenſis, ut ego quidem arbitror. Iſte verò fuit primus Comes Urgellenſis, & Selvam Eccleſiæ Urgellenſis pervaſorem foverat adversùs Ingobertum Epiſcopum. Quam ob rem excommunicatus fuerat in ſynodo Trecenſi Stephani VI. Papæ, & in pluribus ſynodis Galliæ Narbonenſis. Ac licèt Ingobertus ſedem ſuam recepiſſet, eíque Nantigiſus canonicè ſubſtitutus fuiſſet, adhuc tamen Suniarius durabat in excommunicatione. Tandem in ſe reverſus, veniam petiit, nimirum in hac ſynodo Magalonenſi.

PARICONSILIUM] unica dictione, id eſt, præſentibus nobis in ſynodo, qui in commune conſulere debemus, ſi quid alicujus momenti ingruat intra provinciam. Huc enim referenda eſt ſignificatio hujus vocis; & iſtud, par conſilium vocant Patres Concilij Andegavenſis habiti anno CDLIII. tum in præfatione, tum etiam in fine canonum. Pro quo parem conſultum dixit Frotarius Epiſcopus Tullenſis in epiſtola X. quæ data eſt ad Drogonem Epiſcopum Metenſem, & parem conſenſum Ludovicus Pius in epiſtola ad Sicharium Archiepiſcopum Burdegalenſem.

FOROIULENSIS] in ſecunda Narbonenſi. Epiſcopi enim illius tractus frequenter per ea tem-

pora conveniebant ad ſynodos Epiſcoporum primæ Narbonenſis. Is porrò Benedictus interfuit etiam Concilio celebrato apud Fontem-coopertam anno DCCCCXI.

QVERIMONIA.

ISTAM Berengarij Vicecomitis Narbonenſis adversùs Guifredum Archiepiſcopum Querimoniam Gallicè vertit vir clariſſimus Guilielmus Catellus Senator Toloſanus, eámque ſic verſam edidit in pagina 575. Memoriarum Hiſtoriæ Occitaniæ. Nos verò eam, ut propoſita eſt, reperimus in veteri membrana quæ extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis, innumeris illam quidem, ut ita dicam, ſolœciſmis fœdatam, ut ferebat illa ætas, ſed quæ ſimplicem ac minimè fucatam veritatem ubique ſpirat, adeóque etiam propter hos nævos nobis debet eſſe venerabilis. Nota eſt celeberrimi viri Cæſaris Cardinalis Baronij prudens admonitio, qui in ſimili cauſa retinendos putavit ſolœciſmos ac barbariſmos. *Nam ſciendi curioſitas* (inquit ille ad annum MXIX. §. V.) *quæque aſpera condiens, ſuavia reddit.*

De tempore porrò quo Querimonia iſthæc propoſita eſt, video non unam eſſe omnium ſententiam. Nam aliqui putant actum id eſſe anno MLXVI. & quidem in Concilio apud Narbonem habito, decepti, opinor, auctoritate quorundam actorum illius anni quorum mentio extat apud Catellum in pag. 582. & 781. earundem Memoriarum, quæ verò docent graves tum controverſias fuiſſe inter Archiepiſcopum & Vicecomitem. Sed ego ut aliter ſentiam faciunt multa. Nam iſta Querimonia prolata fuit coram Legatis Summi Ponti-

ficis, præſente Raimbaldo Arelatenſi Archiepiſcopo; & quidem vivente Papa Victore, ut ego quidem arbitror. Scimus autem Legatos ejuſdem Victoris, Raimbaldum Arelatenſem & Pontium Aquenſem Archiepiſcopos, ſynodum in Toloſana urbe celebraviſſe anno MLVI. cui interfuit Guifredus Narbonenſis Archiepiſcopus. Deinde, hæc Querimonia habita eſt in ſynodo cui Lodovenſis & Helenenſis antiſtites affuerunt. Iſti verò Epiſcopi in eadem Toloſana ſynodo præſentes fuerunt. Denique, ſi poſt mortem Victoris iſta acta ſunt, cur Berengarius ſolum Victoris anathema commemorat adversùs Guifredum, quem ex Gregorij VII. teſtimonio conſtat à multis Romanis Pontificibus excommunicatum fuiſſe? Hauddubiè valuiſſet iſtud augendam ad invidiam, præſidiáque magna in cauſam Berengarij inducere poterat. Sed videlicet Guiffredus à nullo hactenus Romano Pontifice excommunicatus fuerat quàm à Victore. Ergo Berengarius, cùm à Guifredo excommunicatus fuiſſet, neque animum ejus flectere poſſet ad concordiam, haud ſpernandam occaſionem ratus, Querimoniam ſuam cenſuit deferendam eſſe ad tam celebrem Epiſcoporum conventum, cui præter Legatos Papæ Victoris, intererant etiam XIX. Epiſcopi ex diverſis provinciis Gallicanis. Itaque dubium mihi non eſt quin hæc acta fuerint apud Toloſam anno MLVI. Et puto revocatam inter eos concordiam auctoritate & induſtria Legatorum.

QUASI P. ALO. H. PATERNA] Ea fuit quorundam ſeculorum deflenda calamitas, ut beneficia eccleſiaſtica in laicorum poſſeſſione eſſent, & cum hereditate tranſirent ad heredes, intérque illos dividerentur velut cetera bona paterna, tum etiam venderentur; ut obſervatum eſt

ad librum Agobardi de diſpenſatione eccleſiaſticarum rerum cap. xv. Nullus autem in laicis illis pecuniæ cupiditatíſve modus erat ; ad ſe cuncta trahebant, nec ſolùm decimas, ſed etiam ipſas fidelium Chriſtianorum oblationes. Quin eò uſque proceſſerat ſcelerata audacia, ut mulieres altaribus adſtarent, & plerunque ipſo oblationis tempore coram omnibus acciperent quod offerebatur. Quod vix credibile eſſet, niſi luculentum iſtius rei teſtimonium extaret in veteri Chartulario Eccleſiæ Cadurcenſis. His malis excitati viri pij, ac præſertim eccleſiaſtici ordinis homines, Eccleſias & Altaria redimebant de manu laicorum, numerata pecunia. cujus rei innumera ſuppetunt teſtimonia. Verùm animadverto neceſſariam in hoc fuiſſe viſam interventionem auctoritatis Epiſcoporum, quaſi purgarent vitium ſimoniæ quod in redemptione beneficij eccleſiaſtici committebatur. Extat enim inſignis epiſtola Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, hactenus inedita, ex qua diſcimus monachos Majoris-monaſterij Turonenſis, cùm Eccleſiam quandam in diœceſi Carnotenſi ſitam acquirere vellent, ad Fulbertum acceſſiſſe, humiliter deprecantes ut Eccleſiam illam eis emere emptámque poſſidere in perpetuum concederet. Et facilè aſſentiebantur Epiſcopi, quòd intelligerent nullam, ſi canonicis regulis ſua auctoritas ſervaretur, laicis de eccleſiaſticis rebus diſponendi attributam eſſe poteſtatem. Eo pacto paulatim eccleſiaſtici redditus ad Eccleſias rediere, non tamen integrè. Hactenus enim multis in locis decimæ, quas vocant infeodatas, à laicis poſſidentur velut alodia paterna.

FRATRIS SUI GUILIELMI] Contigit iſtud circa annum Chriſti milleſimum quadrageſimum primum. Nam Heribaldus Epiſcopus Urgel-

Digitized by Google

lenſis vivebat adhuc anno MXL. XV. Kal. Octobris, ut patet ex Chartulario Eccleſiæ Urgellenſis. Guilielmus autem Epiſcopus Urgellenſis, Heribaldi ſucceſſor, interfuit Concilio Narbonenſi anno MXLIII. XVI. Kal. Aprilis. Fortaſſis ergo id actum anno MXLII. vel initio anni MXLIII. cùm ſtatim dicat Berengarius Guifredum Archiepiſcopum congregaſſe Concilium non modicum apud Narbonem haud multò pòſt quàm Guilielmum locaverat in cathedra Urgellenſi, & huic Concilio interfuiſſe Raimbaldum Arelatenſem Archiepiſcopum. Raimbaldum porrò interfuiſſe Concilio Narbonenſi, de quo mox dicebamus, docent acta illius Concilij quæ extant in archivo monaſterij Cuxanenſis. Niſi ſi iſtud Concilium interpretemur illud quod in eadem urbe Narbonenſi habitum eſt à Guifredo Kalendis Auguſti ejuſdem anni, cui etiam interfuit Raimbaldus; ut fidem faciunt veteres ſchedæ hactenus ineditæ.

COMMENDAVIT SE MANIBVS) id eſt, homagium & fidelitatis juramentum præſtitit Comitiſſæ Urgellenſi, manibus nimirum poſitis inter manus ejuſdem Comitiſſæ, ut mos eſt homagiorum, & haud dubiè genu flexo. Quod eſt infra dignitatem Pontificis, ut is cui omnis terra caput inclinat, provolvatur ad genua mulieris, cunctáque homagiorumq́ ſolennia apud illam exequatur. Puto autem homagium ab eo præſtitum pro terris quæ ſibi teſtamento patris donatæ erant, quod à viro clariſſimo Domno Luca Dacherio editum eſt in tomo ſexto Spicilegij.

TREGVAM DEI] Actum iſtud in Concilio habito apud Narbonem anno MLIV. VIII. Kal. Septembris, quod à nobis editum eſt in tomo primo de concordia ſacerdotij & imperij.

Digitized by Google

ANATHEMATIZATUM] nimirum in Concilio Florentino, quod à Papa Victore II. habitum fuerat anno ſuperiore. Cui Concilio interfuiſſe cxx. Epiſcopos docet hic locus. Ad eam porrò Guifredi Narbonenſis excommunicationem reſpexiſſe videtur Gregorius VII. dum hæc in Concilio Romano ſanciebat anno MLXXVIII. *Renovamus etiam excommunicationem à predeceſſoribus noſtris factam ſuper Guifredum Archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque ulla recuperationis ſpe ab epiſcopali officio eum ſubmovemus.* Ceterùm, quod heic legis *anathemizatum*, pro *anathematizatum*, error fuit typographi. Nam vetus membrana habet *anathematizatum.*

NULLUS IBI BAPTIZETUR] Durum iſtud ac valde inhumanum, & prorsùs contrarium regulis eccleſiaſticis, quæ tempore interdicti ſervant locum humanitati, concedentes baptiſma parvulorum, pœnitentias morientium, viaticum in exitu mortis, ſepulturam Clericorum, pauperum, peregrinorum, & infantium à bimatu & infra, benedictiones nuptiales, purificationes mulierum, prout in variis regionibus regulæ variant. In univerſum tamen affirmare licet, tempore interdicti permiſſum fuiſſe baptiſma parvulorum, itémque pœnitentiam morientium. Vide cap. *Inquiſitioni tuæ.* De ſentent. excommun.

LUTEU. ET HELEN.] Hos videlicet locupletiſſimos teſtes nominat Berengarius, quòd in ſynodo adeſſent, adeóque eorum teſtimonium facilè haberi poſſet. Ex quo etiam confirmatur opinio noſtra de tempore quo Querimonia iſthæc habita fuit. Nam Roſtagnum Lodovenſem Epiſcopum & Arnaldum Helenenſem interfuiſſe Concilio Toloſano anno MLVI. fidem faciunt acta quæ ex-

tant apud Cardinalem Baronium, itémque codex MS. monaſterij Rivipullenſis in Catalonia.

SYNODUM ARELATI] Haud dubiè ſynodus quæpiam apud Arelatenſem urbem celebrata eſt per eas tempeſtates, cujus nulla nunc alibi, quod ſciam, memoria ſupereſt.

NISI LIGATUS] id eſt, niſi ei vis adhibeatur. Nam ſponte non ibit. Notat autem contumaciam Guifredi Archiepiſcopi: qui Papæ Victoris anathema inſuperhabens, non ferebat ſe pro anathematizato, ac nihilo minùs epiſcopale munus exequebatur. Et videbimus in tempore magnas eum moleſtias exhibuiſſe ſequentibus Pontificibus, ac præcipuè Gregorio ſeptimo, qui vehementer & ſeverè adversùs illum incanduit in epiſtola ſcripta ad Berengarium Epiſcopum Gerundenſem, Guifredi fratrem germanum. Nam Gregorium offenderat nimis pertinax & obſtinata Guifredi contumacia. De hoc enim tantùm agitur in illa epiſtola, non autem de hæreſi Berengarij Andegavenſis Archidiaconi, cui faviſſe Guifredum falsò putavit Catellus. Sed hæc non ſunt hujus inſtituti; & alibi commodior erit de his agendi locus, cùm edemus acta Concilij quod apud Biſuldunum in diœceſi Gerundenſi habuit Amatus Oloronenſis Epiſcopus anno MLXXVII.

Digitized by Google

CONCILIVM NARBONENSE

Habitum anno MXC.

GUILIELMUS Catellus Senator Toloſanus iſtius Concilij mentionem facit in pagina 785. Memoriarum Hiſtoriæ Occitaniæ: qui tamen in eo fallitur, quòd habitum illud ſcribit die xx. menſis Aprilis. Nam ex actis conſtat habitum fuiſſe XIII. Kal. Aprilis, id eſt, die xx. menſis Martij. Qui error impoſuit etiam Sammarthanis.

Dalmatius Narbonenſis Archiepiſcopus, qui conventui præſidebat, fuit magnus vir per illas tempeſtates, auſus ſe opponere proceribus regionis, qui pro more tum ubique recepto beneficia eccleſiaſtica & jure hereditario poſſidebant, & veluti jure publico, ac ſi licitum eſſet quod publicum eſt, emebant palam ac vendebant. Itaque ſuburbanas quaſdam Eccleſias, à ſimoniacorum manibus ereptas, monaſterio Maſſilienſi ſubjecit; ut ex actis illius temporis conſtat, quæ extant in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Eadem calamitas diù exercuit Eccleſiam ipſam Narbonenſem, ut colligitur ex epiſtolis Gregorij VII. & ex Querimonia Berengarij Vicecomitis Narbonenſis adversùs Guifredum Archiepiſcopum Narbonenſem, quæ ſuprà edita eſt. Nam per multum ævi Vicecomitum Narbonenſium ea fuit auctoritas, ut non alios ferme Pontifices haberet Eccleſia Narbonenſis, quàm quos dediſſent Vicecomites. Itaque cùm poſt mortem Guifredi ea ſedes vacaret, Berengarius Vicecomes, ille inquam Berengarius qui in Toloſana ſynodo vehementiſſimè

declamaverat adversùs ſimoniacos eccleſiaſticarúmque regularum contemptores, Dalmatij electionem, quæ rite ac ſecundùm canones celebrata fuerat, turbavit, ut fratrem ſuum Petrum illo in loco atque in hac celſiſſima ſede dignitatis atque honoris conlocaret. At non ea Dalmatio mens. Sed ut fuit illi viro magnus erectúſque animus & infixus in reverentia & auctoritate canonum, potentiæ procerum opponendam putavit Gregorij VII. Romani Pontificis potentiam, qui tum inter præcipuas laudes ſuas hoc aſſumpſerat ut veterem diſciplinam revocaret, & nundinationem illam rerum eccleſiaſticarum aboleret. Ad hunc ergo accedens Dalmatius, primùm electionem ſuam approbari procuravit, literáſque reportavit ad proceres Galliæ Narbonenſis adversùs Petrum pervaſorem Eccleſiæ Narbonenſis, jam antea depoſitum in Concilio quod apud Toloſam habuerant Legati Papæ Gregorij. quam depoſitionis ſententiam in Romana ſynodo confirmavit idem Gregorius anno MLXXXI. Itaque prævaluit electio Dalmatij.

EXEMPTA AB O. IUR. EPISC.] Per illa tempora Epiſcopi ægrè ferebant exemptiones quas Romani Pontifices concedebant monaſteriis, júſque commune ſanctum illibatúmque debere eſſe contendebant. Ea Dalmatio mens, ea cura, ea ſollicitudo, ut in his actis videmus. Sic in ſynodo apud Anſam in pago Lugdunenſi habita anno MXXV. pronuntiatum eſt privilegium quod à Romano Pontifice conceſſum erat Cluniacenſibus, cujus auctoritate monachi illi ſubtrahebantur juriſdictioni proprij Epiſcopi, non eſſe ratum, eò quòd canonicis non ſolùm non concordaret, ſed etiam contrairet ſententiis, id eſt, Concilio Chalcedonenſi, cujus ea de re canon in Anſana

Digitized by Google

ſynodo relectus eſt. Poſteriorum temporum monachis ſufficere viſæ non ſunt exemptiones. Etiam in epiſcopalem juriſdictionem invaſerunt. Eo nunc jure utimur.

DEBITAM SUBIECTIONEM] Iſtud quoque diſciplinæ caput graves tumultus excitavit in variis regionibus. Nota eſt contentio quæ ob hanc cauſam fuit inter Ivonem Epiſcopum Carnotenſem & Goffridum Abbatem Vindocinenſem. Nolo renovare antiquatas veterum temporum querelas. Illud tantùm dicam, graviter ab Innocentio Papa II. increpitum fuiſſe Abbatem ſancti Vvandregiſili, qui Rothomagenſi Archiepiſcopo, ſuo nimirum diœceſano, profeſſionem facere contemnebat, adeóque propter hanc cauſam divinum ſacramentum, id eſt, benedictionem, nondum ſuſceperat. Hunc ergo, quandiu abſque benedictione eſſet, vacuum vas eſſe ait Innocentius, & nomen Abbatis caſſum gerere & inane. Iubet deinde ut & benedictionem ſuſcipiat, &, quod ſtricti juris ratio poſtulat, Prælato ſuo irrefragabiliter obedire ne differat. Tum in epiſtola ſcripta ad Henricum Regem Anglorum, cujus ſtudiis Abbas ille attollebatur, ait Abbates & reliquos Clericos nec gratum Domino famulatum impendere nec animarum ſuarum ſaluti poſſe providere, immo acephalos, id eſt, ſine capite, reputandos eſſe, niſi Epiſcopis ſuis & Prælatis debita fuerint humilitate ſubjecti. Aureas porrò illas Innocentij epiſtolas, quæ ſedis apoſtolicæ Pontificem valde decent, debemus diligentiæ viri optimi & eruditiſſimi Domni Lucæ Dacherij, qui illas ex codice MS. Beccenſis monaſterij edidit in appendice ad Guibertum de Novigento pag. 689. Et nos quoque illas nacti ſumus paulò emendatiores in vetuſtiſſimo codice MS. Vide Sirmon-

Digitized by Google

dum in Notis ad Goffridum lib. II. epiſt. VII.

TRANSGRESSUS FUERAT] Hoc rurſum incommodum in rem publicam attulerunt privilegia monaſteriis conceſſa, ut eorum prætextu monachi non ſervarent interdictum quod Epiſcopus protulerat in regionem. Ortum id malum ex nimia priſcorum Pontificum teneritudine & indulgentia: qui, ut otia quietémque monachorum foverent, etiam divina in receptaculis ſuis officia celebrare permiſerunt, tametſi pagus in quo monaſterium erat conſtitutum, generali interdicto teneretur. Quod nemo non videt ea ſolùm de cauſa datum eſſe monachis, ne qui non peccaverant, pœnas ſceleribus conſtitutas dependerent. Hinc factum ut excommunicati & interdicti frequenter eluderent vim atque dignitatem eccleſiaſticæ poteſtatis, dum monachi, ſtudio videlicet venditandi privilegij, libertatem in licentiam vertebant; ut colligitur ex epiſtola DLIV. libri primi regeſtorum Innocentij III. ex qua ſumptum eſt caput *Cùm in partibus. De verbor. ſignific.* Privilegium autem illud his vulgò verbis conceptum erat: *Si verò generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis januis clauſis, non pulſatis campanis, excluſis excommunicatis & interdictis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare.* Ævo Clementis Papæ IV. cùm Reginaldus Epiſcopus Pariſienſis interdicto ſuppoſuiſſet civitatem ac diœceſim Pariſienſem, monachi quidam refractis pudoris ac reverentiæ clauſtris, non ſolùm divina in ſuis conventibus officia celebrarunt, ſed propria temeritate ſine judicio vel modo cuncta fecerunt per quæ oſtendere poterant ſe flocci facere epiſcopalem auctoritatem. Nam cùm privilegia permitterent monachis ut durante interdicto generali divina officia in ſuis domibus celebrare poſſent ſup-

Digitized by Google

preſſà voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, excluſis interdictis & excommunicatis, illi è contrà, quò magis pateret contemptus, durante interdicto apertis januis, pulſatis campanis, alta voce divina officia damnabiliter celebrarunt, recipiendo interdictos præfatæ civitatis ad ecclesiaſtica ſacramenta, ipſorúmque corpora defunctorum faciendo in cœmeteriis ipſarum Eccleſiarum ſepeliri; ut fidem facit ipſe Clemens in epiſtola ea de re ſcripta ad Decanum, Theſaurarium, & Officialem Meldenſem. Eadem perpetraverunt & Carmelitæ Pariſienſes: qui poſtea ad officium redierunt, ſeu ſponte ſua, ſeu fortean auctoritate Epiſcopi. Video Pontifices Romanos præcaviſſe ne monachi illa poteſtate abuterentur, edixiſſéque ne contra privilegij verba quicquam præſumerent. Et neceſſarium heic videbatur obſequium, ſaltem in ſpeciem. Itaque ſequenti tempore cauti homines, januis quidem clauſis, quandoquidem ita Pontifices juſſerant, ſed perforatis, aut feneſtris in eis factis, ſeu modis aliis exquiſitis, divina officia celebrarunt, his technis palam illudentes Epiſcoporum auctoritati, nervúmque eccleſiaſticæ diſciplinæ diſrumpentes. Non tulit hanc audaciam Clemens Papa V. ut patet ex conſtitutione ejus edita, non in Concilio Viennenſi, ut legitur in Clementinis, ſed Avenione XII. Kalend. Aprilis anno MCCCX. multò ante Concilium Viennenſe; niſi ſi deinde repetita eſt in Concilio Viennenſi, & in libros Clementinarum hinc tranſlata. Extat autem in libro V. Clementin. tit. X. cap. *Ex frequentibus*. Vide Concilium Avenionenſe habitum anno MCCCXXXVII. cap. XXV. & Vaurenſe anni MCCCLXVIII. cap. CXXI.

ABBATIA S. LAVR.] Conquerebatur Dalmatius Archiepiſcopus de iniquitate monacho-

Digitized by Google

rum Craſſenſium, quòd abbatiam ſancti Laurentij, quam Reges Francorum dederant Eccleſię Narbonenſi, abſque conſenſu ejus occupaſſent & invaſiſſent. Reſpexit autem Dalmatius ad tempora Ludovici Balbi Regis, qui abbatiam illam Sigebodo Narbonenſi Archiepiſcopo ſucceſſoribúſque ejus donavit illo prorsùs tempore quo ſynodum Trecenſem agitabat Iohannes Papa hujus nominis octavus; ut patet ex Præcepto Karlomanni Regis, quo patris donationem confirmat. In quo illud interim valde notandum eſt, Iohannis iſtius eam fuiſſe modeſtiam ac reverentiam in Regem Francorum, ut jus ſummum, quo Principes utebantur erga monaſteria, noluerit convellere; ſed cùm eam abbatiam maximè cuperet uniri Eccleſiæ Narbonenſi, quæ tum pauper erat, deprecatus eſt à Ludovico ut illam eidem Eccleſiæ donaret. ac facilè impetravit. Rurſum, obſervandum heic eſt, non conſueviſſe ſupprimi, ut noſtrorum temporum verbis utamur, abbatialem dignitatem, cùm abbatia quæpiam Eccleſiæ cathedrali uniebatur, ſed Abbates cum monachis ſolitos relinqui in monaſteriis ſic unitis, ac tamen adminiſtrationem rerum temporalium pertinuiſſe ad Epiſcopum Eccleſiæ cui unitum erat monaſterium. Nam ex actis Concilij Portuenſis habiti anno DCCCXCVII. conſtat monaſterium ſancti Laurentij illo tempore Abbatem habuiſſe Froiam. Et tamen abbatia illa Narbonenſis Eccleſiæ propria erat jam ab anno DCCCLXXVIII. quo Trecenſis ſynodus habita eſt. De auctoritate porrò Principum erga monaſteria vide quæ à nobis dicta ſunt ad Lupum Ferrarienſem.

ROM. ECCL. PRIVILEGIO] Pontificem Romanum, qui hanc ſancti Laurentij abbatiam confirmaverit Eccleſiæ Narbonenſi, nullum invenio

nio præter Stephanum VII. in epiſtola ad Arnuſtum Narbonenſem Archiepiſcopum data anno DCCCXCVI. quæ à Catello edita eſt. Hunc verò primum omnium Pontificum Romanorum puto ſcripſiſſe de privilegiis Eccleſiæ Narbonenſis. De iis enim loquens, ac de bonis eidem Eccleſiæ collatis, Imperatores, Reges, & alios Deum timentes nominat, nullum ex prædeceſſoribus ſuis nominat. Unde etiam colligere poſſumus monaſterium ſancti Laurentij unitum Eccleſiæ Narbonenſi fuiſſe ſola Ludovici Regis auctoritate, abſque ullo interventu auctoritatis Papæ Iohannis, tametſi præſens adeſſet. Ceterùm poſt iſtius Concilij Narbonenſis tempora, dum Urbanus II. Paſchalis II. & Eugenius III. enumerant bona & poſſeſſiones Eccleſiæ Narbonenſis, altum ſemper apud illos ſilentium de monaſterio ſancti Laurentij. Diſtractum enim erat ab Eccleſia Narbonenſi, & monaſterio Craſſenſi unitum. Attamen diſſimulare non debeo, Ludovicum VII. in privilegio quod anno MCLVII. conceſſit Berengario Narbonenſi Archiepiſcopo, inter cetera Narbonenſis Eccleſiæ bona numerare etiam abbatiam ſancti Laurentij.

S. POLYCARPI] Hoc monaſterium, quod ſub Dalmatio redactum eſt in prioratum, rurſum in abbatiam evectum eſt. Sed quonam demum tempore iſtud contigerit, nondum mihi compertum eſt. Illud tantùm ſcio, procuratorem ſive vicarium Abbatis ſancti Polycarpi interfuiſſe Concilio quod Guilielmus de Broa Narbonenſis Archiepiſcopus habuit in civitate Biterrenſi anno MCCLV.

BERTRANNI BARCHIN.] Adhuc Epiſcopus Barcinonenſis erat ſuffraganeus Archiepiſcopi Narbonenſis, licèt Urbanus II. jeciſſet anno ſuperiore fundamenta reparandæ Eccleſiæ Tarra-

conenſis, quæ provinciæ metropolis erat. Ac fruſtra fuit contradictio Dalmatij Narbonenſis Archiepiſcopi. Valuit auctoritas Urbani, favore procerum provinciæ Tarraconenſis adjuta. Itaque anno MXCI. Tarraco ſuum habuit Archiepiſcopum, id eſt, Berengarium Auſonenſem tum Epiſcopum. Sed valde puto Barcinonenſem Epiſcopum noluiſſe redire ad veterem provinciæ metropolim, maluiſſéque manere ſubjectum cathedræ Narbonenſi. Nam in epiſtola Urbani II. ad Raynerium Legatum video illum ad Romanum Pontificem acceſſiſſe cum Archiepiſcopo Narbonenſi, & illo quidem tempore quo idem Archiepiſcopus querelam ſuam de ſubtractione Epiſcoporum Tarraconenſium acriùs urgebat.

CONCILIUM MONSPELIENSE

SUB MICHAELE.

HANC ſynodum à Magiſtro Michaële celebratam puto cùm in Hiſpaniam proficiſceretur, legationem illic obiturus nomine Celeſtini III. Romani Pontificis. cujus legationis meminit Innocentius III. in libro primo Regeſtor. epiſt. XCIX. Occaſionem autem mittendi tum in Hiſpaniam Legati eam fuiſſe puto, quòd (ut narrat Godefridus monachus ſancti Pantaleonis ad Coloniam) anno MCXCV. facta fuerit irruptiò paganorum valida & bellum ingens contra Chriſtianos in finibus Hiſpaniæ & Gallæciæ, ita ut Rex Hiſpaniæ metu periculi conditione cum eis facta, in regnum Regis Franciæ demigraret, pacta pace cum ethnicis úſque in Pentecoſte ſequentis anni. Itaque Michaël, cui ne-

Digitized by Google

gotium iſtud Hiſpanicum valde cordi fuiſſe video, privilegiis in hac ſynodo ornavit eos qui in Hiſpaniam pergerent adversùm Sarracenos, pœnáſque è diverſo conſtituit adversùs eos qui arma ſeu armamenta vel lignamina galearum aut navium deferrent Sarracenis.

CAP. I.

DECRETUM ANTIQUUM] ab Innocentio II. inventum in Concilio Claromontano, ac poſt annos deinde novem renovatum in Lateranenſi, in alio tandem Lateranenſi confirmatum ab Alexandro III. ex quo ſumptum eſt caput primum de treuga & pace.

CAP. IV.

APUD MONTEMPESSUL.] Hæc ſola Concilij iſtius memoria ſupereſt, ut alibi dicemus. Nam illius acta non extant. Vide rurſum infrà cap. xv.

CAP. VI.

GREGORIUS OCTAVUS] Hic locus approbat reſtituendum eſſe Gregorio VIII. caput *Ex adminiſtrationis.* quod extat in libris Decretalium, Titulo *De Jurejurando*, ubi Gregorio IX. tribuitur. Quanquam rectè monent Correctores Romani, & idipſum in margine ſecundæ collectionis antiquæ admonuerat Antonius Auguſtinus, unum codicem tribuere iſtud caput Gregorio octavo, ídque videri rectiùs. Sed poſt teſtimonium Magiſtri Michaëlis, nullus deinceps ſupereſt dubitandi locus quin ad Gregorium octavum referri debeat. Sic ergo habet illa Gregorij conſtitutio quam hoc loco laudat Magiſter Michaël. *Quoniam igitur creditores ad uſuras ſibi ſolvendas in manifeſtum periculum animarum*

juramento debitores aſtringunt; nos eorum ſaluti volentes juxta debitum officij noſtri proſpicere, & iniquum gravamen à debitoribus removere, & illis præcipuè qui ſe vel auxilium dederint ad ſuccurſum terræ Hieroſolymitanæ præſtandum, univerſitati veſtræ mandamus quatenus creditores ipſos ad juramenta ſuper uſuris ſolvendis præſtita relaxanda, ſublato contradictionis & appellationis obſtaculo, diſtrictionis eccleſiaſticæ ſeveritate cogatis.

CAP. XV.

PARMENSI CONCILIO] Habemus ex hoc loco Concilium Parmenſe à Gregorio VIII. celebratum fuiſſe anno MCLXXXVII. cujus altum apud omnes ſcriptores ſilentium. Sed ego me puto reperiſſe aliquot illius Concilij capitula, quæ ſuo loco dabuntur.

CAP. XVI.

CUIUSD. PARTIS HISP.] Reſpicit ad cladem à Mauris ſive Sarracenis hoc anno illatam Hiſpaniæ, cujus ſuprà meminimus ex Godefrido monacho. Magnam autem fuiſſe barbarorum irruptionem, magnam Chriſtianorum cladem conſtat. Vide Marianam in libro XI. de rebus Hiſpaniæ cap. XVIII.

CAP. XVII.

MULTIPLICITAS FERCULOR.] Jam antea ad Agobardum monuimus tam ſollicitos in hoc fuiſſe veteres, ut nullam occaſionem prætermitterent admonendi Epiſcopos ut à comeſſationibus & ebrietate abſtinerent. Et attulimus illic inſignem locum ex commentario Hieronymi in Michæam Prophetam. Rectè ergo, & juxta morem veterum,

Digitized by Google

Legatus iſte Epiſcopos & Clericos admonet attendere ne corda eorum crapula vel comeſſationibus aggraventur, juxta conſilium Pauli Apoſtoli ad Timotheum ſcribentis. Sed quòd ait vitandam eſſe multiplicitatem ferculorum, reſpicit hauddubiè ad conſuetudinem Francorum, qui (ut Liuthprandus adnotat in libro primo hiſtoriarum ſui temporis c. VI.) cibaria multa convivis miniſtrare conſueverunt. cujus etiam moris antiqui teſtimonium extat apud Vvalſighamum ad annum MCCCXCVI.

CONCILIVM MONSPELIENSE

Habitum anno MCCXIV.

PUTO in literis evocatoriis legendum eſſe *R. ſervus crucis Chriſti &c.* non autem *P. ſervus &c.* Verùm cùm ita ſcriptum ſit in authentico, nihil mutare voluimus. Sed profectò intelligi debet de Roberto de Corceone Tituli ſancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinale, qui tum in Gallias miſſus eſt pro negotio terræ ſanctæ promovendo. *Qui legatus veniens in Franciam,* inquit Petrus monachus Vallium-Cernaij in capite LXX. Hiſtoriæ Albigenſium, *ſollicitudine non pigra injunctum exequens officium, cœpit diſcurrere per Franciam, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Concilia celebrare, prædicatores inſtituere, modiſque omnibus terræ ſanctæ negotium promovere.* Hic igitur cùm videret non deſerendum eſſe negotium fidei, Concilium indixit in Monſpelienſi urbe celebrandum, ad quod invitavit Epiſcopos vicinarum provinciarum. Sed ipſe, ut ego quidem arbitror, hanc ſynodum non celebravit. Superveniens autem

Digitized by Google

Petrus de Benevento, conventum à Roberto deſtinatum habuit apud Montempeſſulanum. Editi fuerunt iſtius Concilij canones à clariſſimo viro Petro Gariello in Serie Epiſcoporum Magalonenſium, ſed mendoſi, ac mutili. Itaque operæ prætium fuit eos heic rurſum edere ex veteri codice MS. monaſterij ſancti Albini Andegavenſis. Quòd autem in tractoria ad Archiepiſcopum Narbonenſem legitur *Occitanenſis* pro *Auxitanenſis*, id ſcriptorum imperitiæ imputandum eſt, qui etiam frequenter ſcribunt *Auxitanenſis* pro *Occitanenſis*, ut ſatis notum eſt iis qui tractant veteres codices vetuſtáſque membranas.

CAP. I.

A LAICIS IN HABITU] Ex hoc loco & pluribus aliis poſteriorum temporum conſtitutionibus facilè colligi poteſt veriſſimam eſſe obſervationem Tertulliani, qui in libro de velandis virginibus ait, ſola fidei regula irreformabili & immutabili manente, cetera converſationis & diſciplinæ admittere novitatem correctionis. quod etiam obſervatum eſt ab Innocentio III. in capite quinquageſimo Concilij Lateranenſis. Nam antiquitus Clericorum veſtitus non erat diverſus à veſtitu ceterorum hominum, ſolis moribus diſtinguebantur; ut patet ex Sulpitio Severo Dialogo II. cap. IV. & ex Celeſtino Papa I. in epiſtola ad Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provincias conſtitutos, in qua hæc inter cetera leguntur; *Diſcernendi à plebe vel ceteris ſumus, doctrina, non veſte, converſatione, non habitu, mentis puritate, non cultu.* Vide Ioannem Monlucium in libro de reformatione Cleri Valentini & Dienſis cap. I.

Digitized by Google

CAP. III.

Quod heic de Clericorum veſtibus dicitur, magna ex parte ſumptum ex Concilio quod anno MCCIX. apud Avenionem celebratum eſt à Milone apoſtolicæ ſedis Legato, quod editum eſt in ſecundo tomo Spicilegij Dacheriani, cujus verò extant apud nos aliqua acta nondum edita. Iſtud porrò Concilij Monſpelienſis ſtatutum laudatum confirmatúmque eſt in Concilio quod in civitate Biterrenſi habuit Gualterus Epiſcopus Tornacenſis & apoſtolicæ ſedis Legatus anno MCCXXXIII. Vide Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. XVI.

CAP. X.

PROCURAT. RED.] Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. XXXIII. *Procurationes quæ viſitationis ratione debentur Epiſcopis, Archidiaconis, vel quibuſlibet aliis, etiam apoſtolicæ ſedis Legatis aut Nuntiis, abſque manifeſta & neceſſaria cauſa nullatenus exigantur, niſi quando præſentialiter officium viſitationis impendunt.* Concilium Salmurienſe habitum anno MCCLIII. *Non ſine radice cupiditatis procedit quòd nonnulli Prælati provinciæ Turonenſis in prioratibus & Eccleſiis procurationem aut aliquid nomine procurationis recipiunt in pecunia numerata, & nihilominus ſubditos ad eos in eiſdem locis procurandos compellunt, ſic ab eis procurationem duplicem exigendo. quod fieri diſtrictiùs prohibemus. Cùm ratione viſitationis debeatur procuratio, inhibemus diſtrictè præcipientes ut nullus procurationem recipiat niſi à locis duntaxat viſitatis.*

CAP. XV.

PECUNIA PRO VEST.] Concilium Turonenſe habitum anno MCCXXXIX. *Auctoritate præſentis Concilij ſtatuimus ne monachis vel aliis religioſis detur aliqua pecuniæ ſumma pro victu ſeu veſtitu & aliis neceſſariis, ſed juxta facultatem monaſterij provideatur competenter eiſdem.* Item Concilium provinciale habitum apud Vallem Guidonis in diœceſi Cenomanenſi anno MCCXLII. *Quia verò radix omnium malorum eſt cupiditas, religioſis perſonis pecunia pro veſtibus non tradatur; ſed ſolùm procurator domus veſtes emat competentes, ut ipſis occaſio habendi proprium ſubtrahatur.* Concilium Albienſe ſub Zœno Legato cap. XVI. *Nulli regulari pro veſtibus ſeu pro pitancia à ſuo majore pecuniæ ſumma detur, (ex hoc enim datur ei materia proprium retinendi) ſed omnes in veſtiario induantur.*

CAP. XVI.

PROPRIETARII] id eſt, illi monachi qui proprium habent, ut dictum eſt in capite præcedenti; in quibus id crimen eſt, cùm paupertatem profiteantur. Nam maximè cupiunt veteres ne monachi aut Canonici regulares quippiam proprium habeant, ſed ut apud illos omnia ſint communia. Innocentius III. in epiſtola ad Abbatem & Conventum Sublacenſem, quæ anno MCCII. ſcripta eſt, adeóque multò ante Concilium Monſpelienſe: *Prohibemus quoque diſtrictè in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione divini judicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat; ſed ſi quis aliquid habet proprij, totum incontinenti reſignet. Si verò poſt hoc proprietatem aliquam fuerit deprehenſus ha-*

bere, regulari monitione prævia de monaſterio expellatur; nec recipiatur ulteriùs, niſi pœniteat ſecundùm monaſticam diſciplinam. Quòd ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra monaſterium in ſterquilinio ſubterretur, ſecundùm quod beatus Gregorius narrat in dialogo ſe feciſſe. Vnde ſi quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere; ſed Abbati, vel Priori, vel Cellario aſſignetur. Et infrà: *Nec æſtimet Abbas quòd ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Extat hæc Innocentij conſtitutio in Tertia Collectione & in Decretalibus Gregorij, Titulo *De ſtatu monachorum*, cap. *Cùm ad monaſterium.* Iſtius porrò conſtitutionis mentio extat in canone IX. Concilij Avenionenſis anni MCCIX. *Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, & ceteris Religioſis Prioribus conventus inſinuat ſynodalis, & ſub atteſtatione divini judicij diſtrictè injungit, ut ſubditis ſuis profeſſis licentiam habendæ proprietatis non tribuant, cùm etiam hoc Romano Pontifici non liceat, ſicut Dominus Innocentius Papa tertius in quadam ſua conſtitutione teſtatur.* Eandem conſtitutionem in Concilio Biterrênſi renovavit Gualterius Epiſcopus Tornacenſis & apoſtolicę ſedis Legatus anno MCCXXXIII. In Concilio habito anno MCCXXXI. apud Caſtrum Gonterij in diœceſi Andegavenſi iſta leguntur: *Inhibemus ne monachi, niſi ſint in adminiſtratione conſtituti, habeant ſub aliquo colore aliquam poſſeſſionem vel aliquam proprietatem, etiam de licentia Abbatum, cùm licentia Abbatis in hoc eis non valeat ſuffragari.* Reſ-

Digitized by Google

picit itaque etiam hic canon ad conſtitutionem Innocentij. Hunc porrò canonem confirmavit Salmurienſe Concilium cujus ſuprà meminimus.

CAP. XXV.

INTERDICTOS] Hanc monachorum audaciam animadverto ubique exagitatam ac damnatam. Sed de illa ſatis ſuprà dictum eſt in Notis ad Concilium Narbonenſe anni MXC. neque ea repeti nunc eſt opus.

CAP. XXVI.

TRES AD MINUS FRATRES] Statutum iſtud ſervari juſſit Petrus Amelij Narbonenſis Archiepiſcopus in ſuo provinciali Concilio celebrato anno MCCXXXV. *Illud præterea duximus exprimendum, ut in Eccleſiis noſtris non pauciores faciant moram quàm tres monachi vel Canonici regulares; ſicut alia vice per Dominum Petrum Beneventanum tunc apoſtolicæ ſedis Legatum fuit in provinciali Concilio conſtitutum, & poſtmodum obſervatum.* Idipſum in Biterrenſi Concilio ſtatutum reperio à Gualtero Tornacenſi Epiſcopo, juxta mandatum Gregorij IX. cujus ea de re habetur epiſtola ad eundem Gualterum Legatum ſcripta. Jam antea cùm Abbas & Conventus monaſterij Rivenſis in diœceſi Venetenſi aſſererent ſibi per literas ab apoſtolica ſede conceſſum eſſe ut in ſingulis ipſorum prioratibus ſinguli monachi commorarentur, ſi pluribus facultates non ſuppeterent, déque ea re Venetenſis Epiſcopus querelam ad Honorium III. detuliſſet, reſpondit Honorius iſtud repugnare Lateranenſi Concilio, adeóque non credere ſe tales literas ab apoſtolica ſede emanaſſe. Addit autem, ut ſi per occupationem, id eſt, ſubreptionem, forſitan

Digitized by Google

emanaverint, nolle ſe ut per hoc derogetur Concilio ſupradicto. Statutum porrò iſtud Concilij Lateranenſis, quod laudat Honorius, extat in Concilio Lateranenſi Alexandri III. & in Decretalibus Gregorij, Titulo *De ſtatu monachorum*, cap. *Monachi*. Honorij verò conſtitutio extat in quinta compilatione Decretalium edita à clariſſimo viro Innocentio Cironio Cancellario Toloſano, & in Decretalibus Gregorij, Titulo *De capellis monachorum*, cap. *Ex parte*. Vide Concilium Albienſe ſub Zœno cap. XVI.

Deeſt ergo in hoc Monſpelienſi Concilio ſtatutum de veſtibus monachorum nigrorum & Canonicorum regularium, ut eas deferant albas, vel nigras; ea videlicet ratione, ut in una domo una ſit forma veſtis, unus color, nec quiſquam monachorum nigrorum veſtem ferat albam, neque Canonicus regularis nigram. Sola iſtius Concilij memoria ſupereſt in eodem cap. XVI. Concilij Albienſis.

CONCILIVM MONSPELIENSE

Habitum anno MCCXXIV.

LIBERTATES ECCLESIAR.] Quid ſit hoc loco libertas Eccleſiæ, & utrum de ſola electionum libertate intelligi debeat hic locus, an verò de aliis etiam rebus Eccleſiarum, non aliunde luculentius diſcere poſſumus quàm ex conditionibus pacis apud Fanum ſancti Ægidij in prima Narbonenſi initæ anno MCCIX. inter Milonem apoſtolicæ ſedis Legatum & Raimundum Comitem Toloſanum, iſtius Raimundi patrem. Nam inter mandata quæ Legatus dedit Raimundo poſt abſolutionem,

id eſt, poſt pacem factam ac ſtabilitam, iſtud in primis legitur: *Item præcipio ut Eccleſias & domos religioſas in libertate plenaria conſerves. Videlicet, quòd in eis alberguarias, procurationes, vel exactiones quaſcunque nullatenus exigas vel percipias. Et defunctis earum Epiſcopis vel earum rectoribus, ipſas nullo modo ſpolies, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ occaſione alicujus conſuetudinis vel aliqua alia te immiſceas, ſed omnia ſine diminutione aliqua eorum ſucceſſoribus reſerventur. Electionis etiam Epiſcopi vel alterius rectoris Eccleſiæ facienda per te vel per quamcunque perſonam nullatenus te admiſceas, nec aliquam violentiam facias, vel impedimentum aliquod præſtes, quò minùs electio liberè & canonicè celebretur.* Iſta omnia ſervaturum ſe pollicitus eſt Raimundus Comes, interpoſita etiam religione jurisjurandi; ut patet ex literis ejus, quæ à nobis editæ ſunt in Additione ad librum octavum de concordia ſacerdotij & imperij cap. XXVI.

Igitur libertas Eccleſiarum varia quidem capita complectitur in his Raimundi literis quas nunc edimus, ſed tamen in primis libertatem electionum epiſcopalium, quæ paſſim Eccleſiis adimebatur per potentiam laicorum. Quod ut meliùs intelligatur, res ſuprà repetenda eſt. Primis Chriſtianiſmi ſeculis, cùm adhuc Eccleſia pauper erat, cùm pro nomine Chriſti glorioſa in certamina ruebatur, penes Clerum & populum fuit electio Epiſcoporum, hominum ex eo, ut ferebant illa tempora, martyrij candidatorum. Tunc ergo, ut ſanctus Gregorius ait in libro primo de cura paſtorali, laudabile fuit epiſcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire. Poſt fundatam deinde ac ſtabilitam apud

Digitized by Google

omnes ubique gentes fidem Chriſtianam, cùm martyria deſiiſſent, cùm Epiſcopi cœpiſſent in honore eſſe, creviſſéntque opes, epiſcopatus, ut Sulpitius Severus ait, pravis ambitionibus appeti cœperunt. Inde fœda interdum certamina, etiam uſque ad ſanguinem & cædes. Hinc factum ut illi qui ad eam dignitatem aſpirabant, cùm neque propriis meritis neque Cleri populíve ſtudiis attollerentur, ad potentiam Principum ſe verterent. Quod in initio durum, poſteriori tamen ætati viſum eſt expedire bono diſciplinæ. Nam Eccleſia volens cupiditati & avaritiæ Clericorum occurrere, qui largitionibus & potentia tentabantur ac facilè corrumpebantur, videns præterea Principum Chriſtianorum pietatem, qui titulis ac virtutibus ſuis addiderant protectionem ac tuitionem Eccleſiarum, poſſe huic negotio ſufficere, in eos tranſtulit jus & auctoritatem nominandi Epiſcopos, ea etiam, ut opinor, de cauſa, quòd multùm interſit Principum ut in civitatibus imperio eorum ſubjectis tales inſtituantur Epiſcopi qui populos verbo & exemplo doceant jura majeſtatis non eſſe violanda, quemadmodum alibi dictum eſt à nobis. Sed ut mala magis vincunt, quod proviſum fuerat ad remedium, paulatim verſum eſt in maximam perniciem. Nam ſuccedente tempore adeo corrupti ſunt hominum mores ut non aliter epiſcopatus ac reliqua ſacerdotia utplurimùm acquirerentur quàm vi nummorum; fuítque per multum ævi vulgatum turpe inter dantes accipientéſque commercium, ſeu vitio temporum, ac facilitate regnantium, ſive per improbitatem eorum qui negotia palatina tractabant. Itaque ingenti hoc malo excitati Epiſcopi, putaverunt poſtulandum eſſe à Regibus ut canonicam Epiſcoporum electionem reſtituerent Eccleſiis; ut

fidem facit liber primus Capitularium cap. LXXXIV. his verbis : *Sanctorum canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo jure liberiùs potiretur, adſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi ſecundùm ſtatuta canonum de propria dioceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant.* Cujus legis meminit & Ivo Carnotenſis in epiſtola centeſima ſecunda. Sed ego animadverto eam non fuiſſe obſervatam, ac nihilo minus Reges dediſſe epiſcopatus in univerſum; ſi paucas quaſdam Eccleſias excipias, quibus ex ſpeciali privilegio conceſſum eſt ut vacantibus Eccleſiis provideretur per electionem. Nam Karolus Craſſus liberum & integrum jus electionis tribuit Eccleſiis Genevenſi & Cabillonenſi, uti jam obſervatum eſt à viris eruditiſſimis. Idem privilegium Aurelianenſi Eccleſiæ tribntum antea fuerat; ut fidem facit Karlomannus Ludovici Balbi filius in Præcepto de privilegiis Eccleſiæ Aurelianenſis, quod heic nunc primùm edimus in appendice actorum veterum. In quo interim Præcepto, ut hoc obiter moneam, duo quædam valde notanda ſunt. Primum, non in omnibus Eccleſiis viguiſſe jus & poteſtatem eligendi Epiſcopos, tametſi Karolus Magnus & Ludovicus Pius electiones Eccleſiis reſtituiſſent lege generali, quandoquidem privilegium illud Eccleſiæ Aurelianenſis vocatur magnum ac ſingulare privilegium in hoc Karlomanni Præcepto. Quod abſurdum ac falſum eſſet, ſi idem fuiſſet jus ceterarum Eccleſiarum. Adnotandum deinde eſt, Gauterum Aurelianenſem Epiſcopum non auſum eſſe petere à Romano Pontifice privilegium pro canonica Epiſ-

ſcoporum electione facienda in Eccleſia Aurelianenſi, abſque licentia Principis, ideóque eam à Karlomanno petiiſſe. Nam iſtud indicat privilegia olim intra hoc regnum non potuiſſe concedi Eccleſiis à ſede Romana, niſi conſenſus Regis accederet. Quo fiebat ut rariùs per ea tempora imploraretur apoſtolicæ ſedis auctoritas. Ceterùm etiam poſt Karlomanni ætatem viguit ea conſuetudo, ut cùm quis privilegium à Romana ſede poſtulare decreverat, licentiam à Principe peteret adeundi Pontificem Romanum. Extat enim apud Aubertum Miræum in Codice donationum piarum pag. 123. Præceptum Henrici Imperatoris cognomento Aucupis, datum anno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſecundo, in gratiam Gerardi Abbatis Bronienſis, in quo iſta leguntur: *Quia verò idem* [*Dei*] *famulus Gerardus præſentiam Domini Papæ in corde ſuò diſpoſuit adire, & ad roborandam libertatem Bronienſis Eccleſiæ ab ipſo privilegium vult expetere, mandamus Patri noſtro Summo Pontifici ut traditionem quam de eodem loco imperiali ſanximus auctoritate, apoſtolica confirmet benedictione, ut obſervatores noſtræ Præceptionis gratiam & miſericordiam vitámque æternam à Deo conſequantur.* Præſcribit modum privilegij. Sic Radulphus quidam cupiens reſtaurare monaſterium Uſercenſe in Lemovicibus, privilegiúmque à Romana ſede poſtulare, non antè auſus eſt ingredi iter Romanum quàm licentiam eundi habuiſſet à Ludovico Tranſmarino, qui tum Francis imperitabat. Colligitur iſtud ex Chartulario ejuſdem monaſterij Uſercenſis, ubi hæc habentur: *Turpioni Epiſcopo ſucceſſit Ebolus: cujus temporibus & Ademari Vicecomitis Seguris, vir quidam ſtrenuus & nobiliſſimus, degens in caſtro dicti Vicecomitis, cujus erat conſiliator, nomine Radul-*

phus, cui erat uxor Alaïdis, dolens tam honorabilis loci deſtructionem; cum conſilio domini ſui Ademari adiens Ebolum dictum Epiſcopum, petiit ab eo litteras ad Regem Ludovicum, ut ſibi licentiam daret ordinem monaſticum ſtatuere in loco Vſercenſi. Cùmque accepiſſet à Rege quod petierat, cum hoc Privilegio Romam ad Papam perrexit, ut hoc cum ipſius auctoritate fieret. Cùmque Roma cum auctoritate Papæ reverteretur, apud Tutelam infirmitate gravatus tandem vita deceſſit, ibique ſepultus eſt. Rectiſſimè enim obſervatum eſt ab Ivone Carnotenſi in epiſtola CX. ea quæ ab Epiſcopis ratione rectè fiunt, per ſe ſatis vigere, ſed tamen carius fieri & quadam luce irradiari, cùm id quod prohibendum vel præcipiendum eſt, decreto apoſtolico roboratur. Quæ Ivonis obſervatio trahi etiam poteſt ad conſtitutiones Principum. Ad Aurelianenſem Eccleſiam quod attinet; Marinus Papa, qui Karlomanni ævo tenuit Romanam ſedem, ei canonicam Epiſcoporum electionem confirmavit; ut docent literæ Hugonis Regis, quibus & Karlomanni Præceptum & Marini Privilegium confirmat, quæ extant in veteri Chartulario Eccleſiæ Aurelianenſis. Sed ut ad id redeamus unde digreſſi ſumus, obtineri prorsùs non potuit ut viri principes abſtinerent ſe ab electionibus Epiſcoporum, tametſi & Regum leges & Conciliorum canones iſta laicos attingere vetuiſſent. Itaque Raimundus Comes Toloſanus jure ab avis ad ſe tranſmiſſo utens, immiſcebat ſe electionibus Epiſcoporum, ut illos eo pacto haberet obnoxios. Quod fieri deinceps vetuit Milo ſedis apoſtolicæ Legatus. Et Raimundus promiſerat. Verùm nec ſic tamen à malo ceſſatum eſt. Tandem Arnaldus Archiepiſcopus Narbonenſis, qui huic Monſpelienſi Concilio præſidebat vice

Honorij

Digitized by Google

Honorij Romani Pontificis, hunc Raimundum, ſuperioris filium, altaribus admotum jurejurando adegit non ampliùs turbaturum electiones Epiſcoporum.

Honori Comitis Mont.] Nam Papa Honorius, ne fruſtra bellum geſſiſſent Simon & Amalricus Monfortij, edixerat ut ſi pax cum Raimundo Comite Toloſano coïret, ea ratione fieret ut *& terra purgetur hæreticis, & Eccleſiis ac viris eccleſiaſticis congruè ſatisfiat de damnis & injuriis irrogatis, & provideatur libertati eccleſiaſticæ in futurum, &* Honori *dilecti filij nobilis viri* Almarici Comitis Toloſani, *qui, ſicut & claræ memoriæ pater ejus, pro ſervitio Dei & apoſtolicæ ſedis expoſuit ſemetipſum, propter quod ſibi non poſſumus aliqua ratione deeſſe in ipſa pace, quantum fieri poterit, deferatur.* Hæc ſumpta ſunt ex epiſtola Papæ Honorij III. ad Ludovicum VIII. Francorum Regem data Laterani anno MCCXXIV. pri. Non. Aprilis, quæ extat apud Odoricum Raynaldum. Itaque Raimundus, quandoquidem alia tum via non patebat qua ſe expediret ex laqueis quibus tenebatur, pollicitus eſt ſe pro damnis & injuriis Eccleſiis ac viris eccleſiaſticis irrogatis, & ut ob reverentiam & honorem Romanæ Eccleſiæ & Papæ Honorij provideri valeret Honori Comitis Montisfortis, pollicitus eſt, inquam, ſe ob eas cauſas daturum Eccleſiæ, non quindecim millia marcharum argenti, ut habet auctor vitæ Ludovici Regis, ſed omnino viginti millia; ea tamen conditione, ut Comes Montisfortis in univerſum cederet juri quod prętendebat in terris ipſius Raimundi & fœderatorum ejus. Intelligebat ſanè Amalricus conventum illum Monſpelienſem, qui tum habendus erat, plurimùm rebus

Digitized by Google

ſuis incommodaturum, relinquendámque eſſe poſſeſſionem tot urbium ac regionum quæ ad ſe pervenerant jure belli & decreto Concilij Lateranenſis, ſi pax fieret inter Eccleſiam & Raimundum. Itaque modis omnibus efficere laboravit ut tractatus iſte vanus foret, auſus obſecrare obteſtaríque Epiſcopos qui ad Concilium Monſpelienſe conventuri erant ne pacem cum Raimundo facerent. Sed irritus fuit hic Amalrici conatus. Nam Epiſcopi pacem cum Raimundo fecerunt. Quanquam nec ſic quidem rediit concordia. Rurſum bellum. Magnus ergo tandem dies diuturnæ iſti graviſſimæque controverſiæ impoſitus eſt anno MCCXXVIII.

DE FAIDITIS] Faidæ vocabulum, ut obſervatum eſt à Sirmondo, ſignificabat olim apertam & capitalem inimicitiam ob cæſum aliquem de propinquis ſuſceptam. Itaque vox *faiditus*, quam valde probabile eſt à faida deductam eſſe, multùm deflexit ab origine ſua. Nam ſignificat propriè rebellem ac proditorem, ob eam cauſam proſcriptum & exulem. cujuſmodi erant illi Toloſates qui adversùs Raimundum Comitem ſteterant pro Monfortiis. Nam illos exulare compulerat Raimundus, bonáque eorum publicaverat; quidam verò aufugerant metu pœnæ. Ludovicus IX. in literis de confirmatione pacis anni MCCXXVIII. *Item omnes indigenæ qui faiditi fuerunt de terra illa pro Eccleſia, pro patre noſtro, & Comitibus Montisfortis & adhærentibus eis, vel propria voluntate receſſerunt ab eadem terra, niſi inveniantur hæretici ab Eccleſia condemnati, integrè reſtituantur in ſtatum priſtinum quoad hereditates & poſſeſſiones.* Sic, qui Raimundi partes fovebant, faiditi fuerunt auctoritate Comitum Montisfortis, bonáque eorum pu-

blicata; ut patet ex actis concordiæ initę inter ſanctum Ludovicum & Prælatos Galliæ Narbonenſis. Nam qui in his actis vocantur faiditi, banniti vocantur in epiſtola quam Innocentius IV. Poutifex Romanus ſcripſit ad Epiſcopum Pariſienſem anno MCCXLV. Extat præterea in archivo regio Pariſienſi epiſtola civium Narbonenſium ad Honorium III. Pontificem Romanum, ex qua patet faiditorum, inimicorum, ac proditorum eandem eſſe ſignificationem. Hinc *faidimentum* pro proditione in eiſdem actis concordiæ de quibus mox dicebamus.

CONCILIVM BITERRENSE

Habitum anno MCCLV.

GUILIELMUS de Broa Narbonenſis Archiepiſcopus, qui præſidebat huic Biterrenſi Concilio, maximè inclaruit ob diuturnam controverſiam quam habuit cum Amalrico Vicecomite Narbonenſi: cujus ea fuit improbitas ac culpa ut Archiepiſcopum oportuerit excommunicationis ſententiam pronuntiare adversùs illum, quæ ab Innocentio Papa IV. poſtea confirmata fuit. Quippe tum in omnibus ferme negotiis neceſſaria videbatur auctoritas Epiſcopi Romani. Extant præterea ejuſdem Innocentij literæ ad Regem Reginámque Francorum, quibus eos orat ut huic noſtro Archiepiſcopo ſubſidio ſint adversùs Vicecomitem. Fuit etiam Guilielmo nonnihil controverſiæ cum Inquiſitoribus hæreticę pravitatis, quòd illi officium ſuum exequi præſumerent illo inconſulto. Sed eam audaciam video repreſſam fuiſſe ab Innocentio, ut par erat. His porrò gloriæ inſignibus Guilielmum

ornavit Innocentius, ut ei liceret, quandiu viveret, crucem ante ſe deferri facere per totam provinciam Narbonenſem. Nam antiquitus iſtud non erat vulgatum inter Archiepiſcopos, & illis ſolis licebat quibus id ſpeciali privilegio conceſſum erat à ſede Romana. Itaque Calliſtus II. magnum quippiam ſe tribuere putavit Archiepiſcopis Viennenſibus, cùm eis conceſſit ut crucem ante ſe per provinciam Viennenſem deferri facerent. Quod jus ad Auſcienſes dein, Burdegalenſes, ac Meſſanenſes Archiepiſcopos tranſiit beneficio Gregorij IX. ad Tarraconenſes verò & Arelatenſes Innocentij IV. & Clementis IV. item beneficio. Longum eſſet ire per ſingulos. Sed ex his quæ dicta ſunt conſtat jus deferendi crucem, non ſolùm ubique, ſed etiam intra propriam provinciam, non fuiſſe antiquitus uſurpatum ab Archiepiſcopis, húncque honorem à Romanorum Pontificum inclinatione in hos vel illos primò profectum eſſe, ac veluti per gradus quoſdam factum eſſe communem. Itaque ea prærogativa tandem apud omnes vulgata, dubitari deinde cœptum eſt an Archiepiſcopus uti poſſit cruce extra ſuam provinciam. quam controverſiam agitat Petrus Andreas Gambarus in libro primo de auctoritate Legati à latere capite ſecundo. Sanè Clemens V. Archiepiſcopo Cantuarienſi conceſſit ut crucem ante ſe deferri faceret etiam extra provinciam Cantuarienſem, cùm in Angliam rediret è Concilio Viennenſi. Sed & illud addendum hoc loco videtur, hunc honorem aliquando habitum fuiſſe etiam illis qui Archiepiſcopi non eſſent. Nam Paſchalis II. Ottoni Epiſcopo Bambergenſi conceſſit ut crucis vexillum ante ſe portari faceret in ſua diœceſi. Itaque Crucis & Pallij animadverto eandem fuiſſe conditionem, eoſdem even-

Digitized by Google

tus, ſed tamen Pallij uſum eſſe multò antiquiorem. Nunc ad inſtitutum noſtrum redeamus. Ejuſdem Innocentij IV. pontificatu, cùm monachi quidam Narbonenſes ad ſe cuncta parochorum munia traherent, déque ea re querelam apud Innocentium depoſuiſſent Abbas ſancti Pauli Narbonenſis & Prior beatæ Mariæ de Burgo Narbonenſi, vulgò *la Mourguier*; reſcripſit Pontifex ad Guilielmum Archiepiſcopum Narbonenſem ut & parochianos commoneret ad officium redire, & illam monachorum temeritatem compeſceret.

STATUTA S. LUDOVICI] Hæc Statuta heic edi voluimus, quia præfatio indicat ea relecta fuiſſe in Concilio Biterrenſi, & præterea multò emendatiora & auctiora ſunt quàm in editionibus quæ hactenus prodierunt. Sanctas autem illas Ludovici leges diù perviguiſſe conſtat, ac nominatim illam quæ prohibet ne Seneſchalli emant aliquas poſſeſſiones in ſua Seneſcallia, quandiu eorum adminiſtratio durabit; adeo ut cùm Gaucelinus de Vairolis Seneſcallus Cadurcenſis nonnullas poſt hæc tempora poſſeſſiones emiſſet in ſua Seneſcallia, neceſſum illi fuerit anno MCCCLXXI. literas à Karolo V. Francorum Rege impetrare, quibus derogaretur huic ſtatuto.

APUD MELLEDUNUM] Iſtud Statutum editum eſt in tomo V. Ducheſnij pag. 421. & in tomo VI. Spicilegij pag. 473.

Digitized by Google

STATUTA GUIDONIS.

STATUTA Guidonis Fulcodij Narbonenſis Archiepiſcopi edere placuit inter Concilia Galliæ Narbonenſis, ut exemplum & auctoritatem doctorum virorum ſequeremur, qui privatas illuſtrium Epiſcoporum conſtitutiones putaverunt edendas eſſe in tomis Conciliorum. Præterea fuit huic viro tam excellens ingenium, tanta rerum divinarum ac humanarum cognitio, tantæ denique virtutes, & ipſę tam excellentes, ac tanta dignitas, ut cunctę illius lucubrationes auro contra æſtimandæ ſint, ſummáque cura colligendæ. Natus ille in prima Narbonenſi, familia Groſſa, parentibus ſanctis & rerum humanarum contemptoribus. Illi cura poſteritatis. Itaque uxorem duxit, ex qua nonnullos liberos ſuſcepit; quos, ut tradit Ptolemæus Lucenſis, in cultu enutrivit divino. Advocatus in utroque jure in Curia ſancti Ludovici, magnam illico ac bonam famam ſibi comparavit. Adſcitus non ita multò pòſt inter intimos Principis, conſiliorum ejus particeps, & arbiter maximarum controverſiarum quæ per ea tempora viguerunt. Mortua verò uxore, cùm animum adjeciſſet ad clericatum, factus eſt primò Archidiaconus inde Epiſcopus Anicienſis in Vellaunis, gratiam & auctoritatem ſemper retinens apud Principem. Unde cùm Narbonenſis Archiepiſcopus, qui tum erat Jacobus, interventionem Alexandri IV. poſtulaſſet apud Ludovicum adversùs Seneſchallum Carcaſſonenſem, Alexander ad amicos Principis ea de re ſcribens, non omiſit Guidonem Epiſcopum Anicienſem. Vacante dein Eccleſia Narbonenſi per mortem Jacobi, Guido illi

ſubſtitutus eſt Canonicorum ſuffragiis anno MCCLIX. VI. Idus Octobris; ut patet ex Decreto electionis ejus, quod habemus ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Poſt aliquot deinde annos Urbanus Papa IV. eum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem creavit, & ad epiſcopatum Sabinenſem tranſtulit. Sed is oblatum honorem rariſſima moderatione recuſavit, dicens operam ſuam eſſe neceſſariam Eccleſiæ Narbonenſi, adeóque petere ſe ſuppliciter ab Urbano ut ſe ſponſæ ſuæ relinqueret. Itaque quoniam is omnino nolebat ab ea divelli, Urbanus, qui putabat publicam Eccleſiæ univerſalis utilitatem anteponendam eſſe privatis commodis Eccleſiæ Narbonenſis, auctoritate utendum ratus, ei præcepit in virtute obedientiæ ut omni excuſatione ceſſante in Italiam veniret, apoſtolicíſque mandatis morem gereret. Ea tempeſtate Anglia civili bello ardebat. Et erant omnino magni motus, & calamitoſiſſimus familiæ regiæ ſtatus. Mittitur illuc Guido noſter cum ampliſſima poteſtate, ut Romani Pontificis vicem gereret inter diſcordantes, ejúſque auctoritate ac ſua induſtria controverſias ſedaret quæ cauſam bello dederant. Interim Urbanus mortuus eſt. Ei tandem ſubſtitutus eſt Guido Legatus, abſens licèt, ac ne quidem cogitans de ea dignitate, adeo ut vix flecti potuerit ad eam ſuſcipiendam. Modeſtiam, abſtinentiam, integritatem, & ceteras ſanctæ animæ excelsíque animi dotes in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Attamen ſilere non poſſum, tam ſanctum ac infractum fuiſſe in ea divitiarum & dignitatis ſede, ut caritatem etiam erga liberos exueret quodam modo.

Digitized by Google

CAP. I.

Mitiùs agit Guido quàm Juſtinianus adversùs corruptores ſanctimonialium. Nam ille in Novella XI. decrevit ut ſi quis rapuerit, vel ſollicitaverit, vel corruperit feminam religioſum habitum habentem, vel religioſam vitam ducentem, bona ipſius & eorum qui hujuſmodi ſceleris communione contaminati ſunt, religioſo loco vendicentur in quo talis mulier habitabat, ipſi autem capitali periculo ſubjiciantur. Synodus in Trullo habita ſtatuit canone IV. ut laicus excommunicetur qui cum muliere ſanctificata Deo mœchatus fuerit. Et in univerſum canon Arelatenſis ſynodi à Gratiano relatus 27. *q.* 1. *cap. Sciendum*, Deo ſacratarum feminarum violatores, ſacrilegos ac filios perditionis juxta Apoſtolum eſſe pronuntiat. Vide lib. v. Capitularium cap. CCXXXII.

CAP. III.

NON MINISTRENT] Prohibet Guido ne quis ſacerdotum præſumat eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare Chriſtianis diœceſeos Narbonenſis, niſi priùs curam animarum receperint à Narbonenſi Archiepiſcopo vel ejus Vicario. Quod ab antiquitate ſumptum, novitatem etiam fortaſſe redarguebat, temeritatem nempe quorundam monachorum, qui in Eccleſiis ſuis Preſbyteros interdum inſtituebant inconſultis Epiſcopis; tamenetſi iſtud vetitum eſſet ab Urbano II. in Concilio Claromontano & in Nemauſenſi, ac poſtea confirmatum à ſequentibus Pontificibus. Tum etiam perſtringit fortaſſis audaciam mendicantium, qui per ea tempora epiſcopali nomini inſultabant, & omnia parochorum officia in ſe trahebant, ut diximus ſuprà in Notis

Digitized by Google

ad Concilium Biterrenſe anni MCCLV. Vide Concilium Vaurenſe anni MCCCLXVIII. cap. LXXVIII.

CAP. V.

Prohibetur hoc capite ne mercata fiant die dominico, nimirum ob reverentiam dominicæ reſurrectionis. quod prohibitum etiam eſt in libro I. Capitular. cap. CXLV. lib. V. cap. CLXXXVIII. & lib. VI. cap. CLXXXVI. Decreta Nicolai II. MS. cap. X. *Vt dominicis diebus mercata non fiant; exceptis annuis feriis, & quæ ad victum pertinent.* Vide Notas noſtras ad librum Agobardi de inſolentia Judæorum, & Guilielmum Durandi in libro ſecundo de modo generalis Concilij celebrandi cap. LXIV. & lib. III. cap. LIII.

CONCILIVM BITERRENSE

Habitum anno MCCLXXIX.

POST mortem Clementis IV. Romani Pontificis, dum bonus Pontifex ac dignus Clementis ſucceſſor quæritur, triennium ferme conſumptum eſt. Interim Maurinus Narbonenſis Archiepiſcopus in fata conceſſit. Canonici Narbonenſes de futuri antiſtitis electione tractantes, communibus ſuffragiis elegerunt Petrum de Montebruno ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarium & Camerarium. Aberat autem ille à provincia, ut qui eſſet Viterbij, ubi Pontifex Clemens mortuus erat. Hunc ergo cùm elegiſſent Canonici Narbonenſes, eáque electio comprovincialibus ſignificata fuiſſet, illi literas ſcripſerunt ad Cardinales Viterbij congregatos, orantes, non ut electionem Petri confirmarent, ſed

Digitized by Google

ut eum quantocyus abire ſinerent. Hujus enim ope, & non alius, exiſtimare ſe finem imponi poſſe moleſtiis & vexationibus quæ Narbonenſi provinciæ inferebantur à Ballivis Regis Franciæ. Puto autem Philippum Regem repugnaſſe initio electioni Petri iſtius, fortaſſis ob illam quam diximus ſpem Epiſcoporum Narbonenſium. Nam reperio Biterrenſem, Toloſanum, Agathenſem, Vceticenſem, & Nemauſenſem Epiſcopos anno MCCLXXIII. (non verò MCCLXXXIII. ut malè habetur apud Catellum & Sammarthanos) epiſtolam ſcripſiſſe ad eundem Philippum, qua eum orabant ne malè de Petro Narbonenſi electo ſentiret, néve quid ſiniſtri de illo ſuſpicaretur. bonum quippe virum eſſe, optimo ingenio præditum, ejúſque opera in maximis Eccleſiæ negotiis uſos eſſe cùm Clementem Papam, tum Cardinales quando Romana ſedes vacabat. Hujus rei fidejuſſores apud regiam majeſtatem futuros Epiſcopum Magalonenſem & Abbatem ſancti Ægidij, quos ad illum ea de cauſa mittebant. Porrò Narbonenſes Epiſcopos ſpe ſua fruſtratos non fuiſſe patet ex actis Concilij Biterrenſis quæ nunc edimus, quandoquidem Petrus in eo tractari procuravit de mittendis ad Regem legatis, qui apud eum conquererentur de iniquitate Ballivorum regiorum. Itaque ipſe Petrus unà cum Epiſcopo Toloſano miſſus eſt ab iſta ſynodo. Ad illum Nicolaus III. in initiis ſui pontificatus elegantem epiſtolam ſcripſit, quam heic tibi damus, lector, in appendice actorum veterum.

BERTR. TOLOS.] Miſſus ille ad Regem Philippum, uti dictum eſt. Ea ergo fortaſſis occaſione uſus, effecit anno MCCLXXIX. ut Philippus cederet in gratiam ejus omni jure quod habere ſe prætendebat in quibuſdam caſtris diœceſeos Toloſanæ. Vide Catellum in Memoriis Hiſtoriæ Occit. p. 907.

Digitized by Google

GALTERUM CARCASS.] Hujus conſtitutiones ſynodales extant in veteri codice noſtro MS. ex quibus conſtat virum fuiſſe bene peritum regularum eccleſiaſticarum, ſtrenuèque operam dediſſe ut pravæ conſuetudines quæ in diœceſim irrepſerant, abolerentur.

CONCILIVM BITERRENSE

Habitum anno MCCLXXX.

CONVOCATUM fuit iſtud Biterrenſe Concilium à Petro de Montebruno Narbonenſi Archiepiſcopo ad diem XXXI. menſis Martij, quæ fuit Dominica *Lætare Hieruſalem.* Ad illud porrò invitatus etiam Bertrandus (ſic enim legendum puto, non autem Bernardus) Helenenſis Epiſcopus, cùm podagræ doloribus arderet, quibus complures annos cruciatus fuerat, excuſatoriam pro ſe miſit epiſtolam ſecundùm antiquam conſuetudinem multis patrum canonibus & decretis approbatam, nec ſolùm epiſtolam, ſed etiam vicarium, qui vice ſua adeſſet in ſynodo, actiſque ſubſcriberet. Is fuit Berengarius de Palma Canonicus Helenenſis. Et quia per eas tempeſtates Capitula quoque cathedralium Eccleſiarum evocari ſolebant ad ſynodos provinciales, Helenenſe Capitulum ad iſtud Biterrenſe Concilium miſit Raimundum Olivarij Canonicum item Helenenſem. Hæc ſumpta ſunt ex literis Epiſcopi & Capituli Helenenſis ad Petrum Archiepiſcopum Narbonenſem, in quibus agitur tãtùm de celebrando Concilio, non autem de celebrato. Habitũ porrò fuiſſe nos docet Galterius Epiſcopus Carcaſſonenſis in ſuis diœceſanis conſtitutionibus, quas habeo manuſcri-

Digitized by Google

ptas in veteri codice cum nonnullis aliis Epiſcoporum Carcaſſonenſium conſtitutionibus. Nam duo iſtius Concilij decreta heic commemorat idem Galterius, his verbis : *Ad reprimendam malitiam perverſorum, eorum videlicet qui litteris Domini Papæ nequiter abutuntur, ſtatutum fuit ſeu ordinatum in provinciali Concilio apud Biterrim Dominica quæ dicitur pridie Kalend. Aprilis, quòd Abbates ſuis inhibeant diſtrictè monachis ne per litteras apoſtolicas citent aliquem quouſque ipſi Abbates eas viderint & examinaverint diligenter.* Et infrà : *Item in dicto fuit Concilio ſtatutum & ordinatum ut judices à ſede apoſtolica delegati non ſubdelegent niſi perſonis moribus & ſcientia approbatis, & in eiſdem diœceſibus in quibus ipſi conſiſtunt delegati.*

CONCILIVM BITERRENSE

Habitum anno MCCXCIX.

DIù magnum inter Archiepiſcopos & Vicecomites Narbonenſes certamen fuit, deberéntne Vicecomites eſſe ſubjecti Archiepiſcopis; ac tamenetſi ſæpe iſti cauſa cecidiſſent, juréque jurando fidem ſuam Pontificibus obligaſſent, etiam præſtito homagio, inſtaurabant interdum cauſas diſcordiæ per abruptam contumaciam, pœnámque excommunicationis in ſe ultro accerſebant & attrahebant. Tandem Amalricus Vicecomes Narbonenſis, ut ſe ſubtraheret juriſdictioni & homagio Archiepiſcopi Narbonenſis, Philippi Pulchri Francorum Regis vaſſallum ſe conſtituit pro omnibus caſtris & poſſeſſionibus quas prædeceſſores ſui tenuerant ab Archiepiſcopis. Nam etiam anno MCCLX.

Digitized by Google

Amalricus Vicecomes, iſtius Amalrici pater, fidelitatis juramentum homagiúmque pro ijſdem rebus præſtiterat Guidoni Fulcodio Archiepiſcopo tum Narbonenſi, ac deinde Ægidio Archiepiſcopo paucis antè annis quàm iſta ſynodus haberetur. Novitium iſtud Amalrici facinus urebat profectò Ægidium, ac tam altè animo ejus inſidebat, ut ſynodum provincialem ea de cauſa cogeret, efficerétque ut ex ea legati mitterentur ad Regem, expoſtulaturi cum eo de injuria Eccleſiæ Narbonenſi illata ab Amalrico. Nec his contentus, etiam ad Bonifacium VIII. Papam detulit iſtam querelam; ut patet ex literis ejuſdem Bonifacij ad Philippum Regem ſcriptis xv. Kal. Auguſti anni ſequentis, quæ ab Odorico Raynaldo editæ ſunt, in quibus iſta leguntur: *Ad hæc premiſſis adjicitur grandis injuria & amara querela, quæ ad noſtrum pervenit auditum, quòd nobilis vir Amalricus Vicecomes Narbonæ, antiquorum progenitorum ſuorum, qui Eccleſiam Narbonenſem & alias eidem ſubjectas quantum & quandiu potuerunt multipliciter impugnarunt, veſtigijs inhærens peſtiferis, juriſdictionem & omnia quæ dicta Narbonenſis Eccleſia tenet vel habet in civitate ac burgo Narbonæ & pertinentiis eorundem, & quæ indubitanter tenebat ac tenere debebat in feudum ab eadem Eccleſia Narbonenſi, quave parentes ſui à centum ferè annis citra continuè Archiepiſcopis qui pro tempore ipſi Eccleſiæ præfuerunt, & pater iſtius Vicecomitis, eodem præſente, ſciente, & intelligente, Narbonenſi Archiepiſcopo qui nunc præeſt, cum ſacramento fidelitatis & homagio, præſente quoque multitudine hominum, Clericorum & laicorum, nobilium & ignobilium, copioſa, ante majus altare in ipſa Eccleſia Narbonenſi, ſe tenere in feudum, ut indubitatis conſtat Regem Franciæ prædeceſſorum*

Digitized by Google

tuorum privilegiis, Vicecomitum Narbonenſium literis eorundem Vicecomitum ſigillis ſignatis, & aliis etiam luce clarioribus documentis, & hæc ipſe idem Vicecomes procuratorio nomine patris ſui, dum vivebat, in tua Curia fuit manifeſtè confeſſus, à paucis citra temporibus maligno ductus ſpiritu, in magnum contemptum, præjudicium, & injuriam non ſolùm præfatæ Narbonenſis Eccleſiæ, verùm etiam aliarum Eccleſiarum totius provinciæ Narbonenſis, à te recognovit in feudum, & in damnationis ſuæ cumulum & evidentius ſæpedictæ Narbonenſis Eccleſiæ nocumentum non ſolùm ea à te, ut prædicitur, recognovit, ſed, ut Gallicano utamur vocabulo, advoavit, immo etiam ea à dicto Archiepiſcopo & Eccleſia Narbonenſi deavoavit expreſſè. Fili cariſſime, talia mentem noſtram amaricant & perturbant, & ut ad apponenda remedia convertamur excitant & inſtigant; nec poſſumus nec debemus tam grandia detrimenta ac exheredationem quandam Narbonenſis Eccleſiæ ſupradictæ ſub diſſimulatione tranſire; nec talia pati debuerat dignitatis regiæ rectitudo & prudentia circumſpecta. Et infrà: *Nos nihilominus, ne tantum diſpendium memoratæ Narbonenſis Eccleſiæ tranſeat impunitum, néve aliis præbeatur exemplum tam nefanda ſimilia attentandi, contra Almaricum ipſum & alios quos negotium iſtud contingit ex officio noſtro & de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis deliberavimus procedere ſummariè de plano ſine ſtrepitu & figura judicij, prout juſtitia exiget & videbimus expedire, ipsúmque Almaricum mandamus ſub certa forma ad noſtram præſentiam evocari.* Adnotat deinde Raynaldus ex Regeſto Benedicti XI. viguiſſe iſtam controverſiam vivo Bonifacio, illúmque Narbonenſi Archiepiſcopo ſub graviſſimis pœnis prohibuiſſe ne ullam con-

cordiam iniret inconſulta ſede apoſtolica. E vivis autem erepto Bonifacio, cùm Benedictus XI. ad pacandas diſcordias incumberet, Amalricum profeſſum eſſe ſe Vicecomitatu Narbonenſi potiri beneficio Eccleſiæ Narbonenſis, Archiepiſcopum verò Regi Philippo fidem ſuam adſtrinxiſſe ſolenni jurejurando. Vide Raynaldum ad annum 1300. §. 29. & 1304. §. 9.

In eadem ſynodo editum eſt Decretum de celebratione diei feſti ſancto Ludovico Regi Francorum, ut fidem facit Johannes Epiſcopus Carcaſſonenſis in ſuis conſtitutionibus ſynodalibus editis anno MCCXCIX. die Jovis ante feſtum beati Andreę Apoſtoli. *Item præcipimus obſervari ſtatuta ſive conſilia de novo edita in Concilio Biterrenſi, & ſpecialiter illud in quo continetur de feſto duplici beati Ludovici die ſtatuto in ſingulis Eccleſiis celebrando.*

CONCILIUM BITERRENSE

Habitum anno MCCCLI.

HUIC Concilio Biterrenſi præfuit Petrus de Judicia Narbonenſis Archiepiſcopus, ſororis Papæ Clementis VI. filius, qui etiam præfuit Concilio Vaurenſi trium provinciarum anno MCCCLXVIII. & Narbonenſi anno MCCCLXXIV. Ut non injuria dici poſſit, quemadmodum celebratiſſimus ille Oſius Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus, præſes Conciliorum. Hunc ego Petrum reperio magnum virum fuiſſe per eas tempeſtates. Itaque cùm ejus hiſtoria valde obſcura ſit apud ſcriptores hiſtoria-

Digitized by Google

rum, operæ pretium me facturum putavi, ſi heic originem ejus & vitæ acta recenſeam. Petrus ergo de Judicia, vulgò *la Jugie*, natus eſt in vico de Judicia prope vicum Roſariorum in diœceſi Lemovicenſi, haud procul à loco in quo Clemens avunculus natus erat. Fuit primùm monachus Benedictinus, inde Prior ſanctæ Liberatæ in diœceſi Agennenſi, tum ab avunculo factus Angeliacenſis Abbas anno MCCCXLII. XV. Kal. Auguſti, & Craſſenſis in Gallia Narbonenſi anno MCCCXLIII. pridie Nonas Februarij. Poſt quæ Aureliam profectus permiſſu avunculi, illic dedit operam juri canonico perdiſcendo uſque ad annum MCCCXLIV. quo Avenionem evocatus à Clemente, Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus factus eſt VI. Nonas Martij. Ex illa deinde cathedra tranſiit ad Narbonenſem anno MCCCXLVI. IV. Idus Januarij, tum ab iſta ad Rothomagenſem anno MCCCLXXV. VI. Kal. Septembris. In quo illud magnoperè notandum eſt, quòd cùm Petrus abeſſet à comitatu Regis Francorum, Karolus V. ex peculiari gratia ei conceſſit ut juramentum fidelitatis per procuratorem præſtaret; ut in prima parte præfationis de jure regaliç Ruzeus adnotat ex Bulla Gregorij XI. quæ edita eſt inter Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. XVI. §. XLI. Anno demum MCCCLXXV. die XX. Decembris Gregorius eum creavit Preſbyterum Cardinalem Tituli ſancti Clementis. Semper tamen dictus eſt Cardinalis Narbonenſis, ob hoc nimirum, quia perdiu fuerat Eccleſiæ Narbonenſis antiſtes. Anno MCCCLXXVI. comitatus eſt Gregorium XI. in Italiam proficiſcentem. In quo comitatu adeo exagitatus eſt à mari, ut in morbum inciderit in loco de Liburna Piſanæ diœceſeos, ubi teſtamentum condidit die XV. Novembris; atque inde tranſlatus

Piſas

Digitized by Google

Piſas in palatium archiepiſcopale, illic codicillos confecit die XVIII. ejuſdem menſis, ac triduo pòſt exceſſit ex hac vita anno ætatis LVII. Corpus ejus in Eccleſia Piſana depoſitum eſt, ac dein ad Narbonenſem tranſlatum, ubi ſepultus eſt in magnifico ſepulchro quod ſibi vivens fecerat ex marmore candido; cui ſepulchro ſuperimpoſita eſt marmorea Petri effigies, & in lateribus effićta gentilitia ejus inſignia multùm diverſa ab iis quæ vulgò circumferuntur.

Hugo electus Epiſcopus Biterrenſis, quem proximis literis Petrus evocat ad Concilium, fuit ejuſdem Petri frater, tum Theſaurarius Eccleſiæ Turonenſis, factus autem Epiſcopus Biterrenſis à Clemente avunculo literis datis Avenioni III. Idus Decembris anno MCCCCXLIX. Adnotat autem Petrus Andoquius in Catalogo Epiſcoporum Biterrenſium, Hugonem, tametſi Biterris conſiſteret, noluiſſe præſentiam ſuam exhibere in ſynodo, quòd prærogativam ſedis affectaret ſuper omnes Epiſcopos provinciæ Narbonenſis, quamvis ordinatione antiquiores. Prætendebat Eccleſiam in diviſione provinciarum ac diœceſeon ſeſe accommodaſſe ad formam imperij Romani, ſedémque Primatis ſeu Metropolitani fixiſſe in ea civitate in qua Proconſul ſedem ſuam habebat. Hunc etiam ordinem ſervatum fuiſſe erga ſuffraganeos Epiſcopos. Porrò ſecundam Romanorum in Galliis coloniam, apud Biterras conſtitutam eſſe, ideóq; ſecundum Epiſcopo Biterrenſi locum debere eſſe inter comprovinciales. Allegabat etiam antiquitatem ſedis ſuæ, quæ ipſis Apoſtolorum temporibus fundata fuerat, ſtatim poſt Narbonenſem. Quòd ſi, ut conſtabat, ſanctus Aphrodiſius fuerat ſecundus Chriſtianus qui in provinciam penetraſſet, æquum eſſe ut Eccleſia ab

Digitized by Google

illo fundata ſit ſecunda, ejúſque Epiſcopo deberi ſecundum locum in Conciliis provincialibus, immediatè poſt Primatem. Sanè in omnibus vetuſtis Notitiis, poſt Narbonem ponitur Toloſa, dein Biterræ, tum reliquæ civitates primæ Narbonenſis. Sed cùm Toloſa tum diſtracta eſſet, poterat eo colore uti Epiſcopus Biterrenſis, quòd primus ſibi locus deberetur poſt diſtractum epiſcopatum Toloſanum. Addit Andoquius, comprovinciales Epiſcopos noluiſſe cedere, & Hugonem abſtinuiſſe ſe à conventu. Vide etiam Petrum Gariellum in Hiſtoria Epiſcoporum Magalonenſium, qui hanc ipſam controverſiam recitat.

Helias Epiſcopus Uceticenſis, qui ſynodo interfuit, vocabatur de ſancto Aredio, natus apud Lemovices, monachus ordinis ſancti Benedicti, & Abbas ſancti Florentij Salmurienſis, factus demum Cardinalis Preſbyter Tituli ſancti Stephani in Cœlio monte ab Innocentio VI. anno MCCCCLVI. X. Kal. Januarij, & Epiſcopus Oſtienſis anno MCCCLXIII. poſt mortem Andoyni Alberti. Mortuus anno MCCCLXVII. die decima Maij, ac ſepultus Avenione in Eccleſia cathedrali. Falluntur enim qui eum apud Franciſcanos Avenionenſes ſepultum tradunt. Qui error ex eo profectus eſt, quòd Heliam iſtum confundant cum Helia de Nabilano Preſbytero Cardinale Tituli ſancti Vitalis. Ceterùm hic noſter Helias anno MCCCLVII. delegatus fuit ab Innocentio VI. cum quibuſdam aliis Cardinalibus, ut cognoſceret de cauſa Richardi Archiepiſcopi Armachani, qui privilegia ordinum mendicantium validè exagitabat.

Johannes Epiſcopus Nemauſenſis, qui Concilio item interfuit, vocabatur de Blandiaco, natus in diœceſi Uceticenſi. Fuit Capellanus Clementis VI.

Digitized by Google

à quo factus eſt Epiſcopus Nemauſenſis poſt Bertrandum tunc defunctum literis datis Avenioni xv. Kalendas Octobris anno MCCCXLVIII. quæ extant in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Unde patet errare eos qui Johannem ad eam cathedram perveniſſe volunt annò tantùm MCCCL. mediόſque inter illum & Bertrandum collocant Paulum & Jacobum de Deucio, qui hinc removendi ſunt. Creatus Preſbyter Cardinalis Tituli ſancti Marci ab Innocentio VI. anno MCCCLXI. xv. Kal. Octobris, dictus ſemper Cardinalis Nemauſenſis.

Cetèrùm hujus Biterrenſis Concilij canones ſunt valde mendoſi ac mutili in codice MS. Eccleſiæ Helenenſis, unde eduntur. Sed præſtat ea ſic depravata ac mutila habere, quàm his carere. Emendari autem facilè poſſunt ope canonum Concilij Avenionenſis habiti annò MCCCXXXVII.

CONCILIVM VAVRENSE
Habitum anno MCCCLXVIII.

VRBANUS V. Pontifex Romanus reſtituendæ veteri diſciplinæ eccleſiaſticæ valde intentus, non alia ſeu meliori ſeu faciliori ratione id fieri poſſe putavit, quàm ſi Conciliorum provincialium celebratio revocaretur in Eccleſiam. Ea de cauſa literas quaquaverſum ſcripſit ad Metropolitanos, ut eos excitaret hortaretúrque ad reſumendum morem celebrandi Concilia ſuarum provinciarum; extántque adhuc plurima Concilia per eas tempeſtates habita in variis regionibus, in quibus de reformatione morum præcipuè actum fuiſſe animadverto. Inter ceteros verò Metropolitanos ad quos ea

Digitized by Google

de re ſcripſit, Narbonenſem non omiſit, virum magnæ tum famæ, & qui nobiliſſimæ provinciæ præſidebat. Fuit huic viro erectum ac ſublime ingenium, tum etiam magna cura reſtituendi priſtinos honores Metropolitanorum. Intravit itaque in animũ ejus illa pulcherrima cogitatio, rem magni exempli plurimæque auctoritatis ac dignitatis ſe eſſe facturum, ſi quemadmodum Gaſbertus prædeceſſor ſuus, quum Arelatenſi cathedræ præſidebat, duo Concilia celebraverat ad quæ convenire procuraverat etiam Metropolitanos & Epiſcopos provinciarum Ebredunenſis & Aquenſis, (quod obſervatum etiam fuerat in nuperrimo Concilio Aptenſi) ita ipſe ſynodum cogeret ex conterminis provinciis Toloſana & Auſcienſi, fierétque Concilium generale trium provinciarum. Et primò tentavit Gaffredum Archiepiſcopum Toloſanum, utpote viciniorem, ac nuper diſtractum à provincia Narbonenſi. Et is quidem facilè conſenſit, ſuetus obſequi deſideriis Archiepiſcopi Narbonenſis, cujus ſuffraganeus non ita pridem fuerat, ex Carcaſſonenſi cathedra tranſlatus ad Toloſanam. Quia verò per illa tempora perſuaſum vulgò erat non licere Epiſcopis diverſarum provinciarum convenire ad celebrandum Concilium abſque permiſſu Romani Pontificis, Petrus Narbonenſis Archiepiſcopus ad Urbanum ea de re ſcripſit, ut conſenſum ejus eliceret. ac facilè impetravit. Eadem facilitate Arnaldus Auſcienſis Archiepiſcopus in partes tractus, Epiſcopos ſuæ provinciæ convenire juſſit ad Concilium iſtud Vaurenſe, eíque vice ſua intereſſe Philippum Abbatem Soricinij. In quo illud interim adnotandum eſt, hunc Abbatem, quòd Vicarius eſſet Archiepiſcopi Auſcienſis, tertium ubique locum obtinuiſſe in Concilio ſupra cunctos Epiſcopos, ne-

mine repugnante. Ceterùm, iſtius Concilij canones magna ex parte ſumpti ſunt ex duobus Conciliis quæ à Gaſberto Arelatenſi Archiepiſcopo habita ſunt apud Avenionem, in prioratu ſancti Ruffi, annis MCCCXXVI. & MCCCXXXVII.

GAFFREDUS THOLOS.] Fuerat ille antea, uti dicebamus, Epiſcopus Carcaſſonenſis, ad Toloſanam cathedram tranſlatus auctoritate Innocentij VI. anno MCCCLXI. VI. Idus Martij, cùm ea ſedes vacaret per mortem Stephani Archiepiſcopi Toloſani. Hunc autem Gaffredum fuiſſe ortum ex nobili familia Vairoliorum apud Cadurcos valde puto. Obiit autem anno MCCCLXXVI. die decima menſis Martij, ut patet ex Necrologio Eccleſiæ Toloſanæ.

ARNALDI AUXITAN.] cognomentò Alberti, qui fuit filius fratris Innocentij VI. Romani Pontificis, antea Epiſcopus Agathenſis & Carcaſſonenſis, demum Auſcienſis Archiepiſcopus creatus anno MCCCLV. die XVI. Januarij, ut fidem faciunt veteres membranæ Eccleſiæ Auſcienſis. Anno MCCCLX. cùm Stephanus Archiepiſcopus Toloſanus, qui S.R.E. Camerarius erat, in fata conceſſiſſet, Arnaldus factus eſt Camerarius. Poſt ſex deinde annos juſſu Urbani V. adornavit breviarium ſeu collectionem omnium privilegiorum Romanæ Eccleſiæ conceſſorum, tam ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, quàm etiam ab aliis, quę Avenione extabant in Palatio Papæ; ut docet præfatio ejuſdem Collectionis in codice Collegij Fuxenſis, quem olim Toloſæ vidimus, quæ ſic habet. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen. Anno à nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die vigeſima ſeptima menſis Iunij, pontifi-*

çatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Vrbani divina providentia Papæ quinti anno quarto, Reverendiſsimus in Chriſto Pater Dominus Arnaldus eadem gratia Auxitanenſis Archiepiſcopus, dicti Domini Papæ Camerarius, vivæ vocis oraculo ſibi facto hoc opus fieri & compilari fecit per certos ipſius Domini Papæ ſcriptores, de diverſis privilegiis, inſtrumentis, & ſcripturis ſanctam Romanam Eccleſiam tangentibus, in Palatio Domini Papæ videlicet Avinione inventis. Continet autem hic codex CCXXIII. folia. Anno ſequenti eadem de cauſa profectus in Italiam juſſu Urbani, quamplurimas civitates jurejurando adegit profiteri eſſe & debere eſſe de dominio mero & mixto imperio Domini Papæ & Eccleſiæ Romanæ, ab earůmque ſindicis & procuratoribus ob eam cauſam ſuſcepit reverentiam & obedientiam debitam & devotam. Extat iſtarum rerum teſtis fidelis vetus codex MS. in bibliotheca illuſtriſſimi viri Johannis Baptiſtæ Colberti, ex quo intelligimus iſta quoque, ut ſuperiorem collectionem, Arnaldo mandata ab Urbano fuiſſe vivæ vocis oraculo. Nam hæc in ipſo ſtatim initio leguntur: *Anno Domini* MCCCLXVII. *die* XXI. *menſis Junij, in Viterbio, in palatio apoſtolico, Iohannes Amatoris &c.* Et paulò pòſt: *Vobis Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino Domino Arnaldo miſeratione divina Archiepiſcopo Auxitanenſi, Domini Papæ Camerario, Commiſſario ad infraſcripta per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Noſtrum Dominum Vrbanum divina providentia Papam quintum vivæ vocis oraculo ſpecialiter deputato, ego Iohannes Amatoris civitatis Verulanenſis ſindicus & procurator communis ac univerſitatis populi & hominum prædictæ civitatis Verulanenſis &c.* Manſit autem in Italia ſa-

tis diù noſter Arnaldus, & anno MCCCLXIX. Romæ aderat quando Iohannes Palæologus Imperator Orientis ejuravit ſchiſma Græcorum; & adhuc anno MCCCLXX. erat in Italia, ut patet ex eodem veteri codice Colbertino. Tandem reverſus in Galliam, anno ſequenti obiit apud Borbonium in diœceſi Avenionenſi die undecima Junij, & apud Carthuſianos Villæ-novæ ſepultus eſt, ut docent membranę quas diximus Eccleſiæ Auſcienſis. Ex his quæ dicta ſunt facilè quivis intelliget non potuiſſe Arnaldum intereſſe Concilio Vaurenſi, ut qui longo terrarum intervallo diſcretus eſſet á Gallia Narbonenſi, adeóque neceſſarium fuiſſe ut vices ſuas alij cuipiam committeret.

I. CARCASSON.] cognomento Fabra, Epiſcopo antea Dertuſenſi in provincia Tarraconenſi, ad Carcaſſonenſem tranſlato anno MCCCLXII. literis Innocentij VI. datis Avenione IV. Idus Ianuarij. Factus autem fuerat Epiſcopus Dertuſenſis anno MCCCLVII. die XXVII. Martij. Vivebat adhuc anno MCCCLXIX. die X. Iunij; ut patet ex ejus literis de conſervatione bonorum Collegij ſancti Martialis quod apud Toloſam fundavit idem Innocentius ſextus, quæ extant in archivo ejuſdem Collegij.

B. CONVENARUM] Vocabatur Bertrandus de Coſnaco, oriundus è diœceſi Lemovicenſi, haud procul Briva oppido, factus Epiſcopus Convenarum anno MCCCLIV. ut docet Arnaldus Ohienartus in Notitia Vaſconiæ. Hunc Papa Urbanus V. in Hiſpaniam miſit ut concordiam revocari procuraret inter Reges Caſtellæ, Arragoniæ, Luſitaniæ, & Navarræ; ac mortuo interim Urbano, Gregorius XI. in eodem munere permanere juſſit; ut docet Hieronymus Surita in libro X. Annalium Aragoniæ cap. XIII. Quo tempore, licèt abſens,

Digitized by Google

creatus eſt Cardinalis à Gregorio anno MCCCLXXI. VI. Idus Iunij ; ac tametſi moris non eſſet (quemadmodum etiam colligitur ex epiſtola Innocentij VI. ad Petrum Regem Aragonum, quæ edita eſt à Raynaldo ad an. 1356. §. 41.) ut pileus rubeus cuiquam niſi pontificia manu daretur, illum tamen Gregorius ad Bertrandum miſit per Arnaldum Andreæ Subdiaconum Burdegalenſem ; ut docent ejuſdem Gregorij literæ ad eum ſcriptæ, quæ in omnium manibus verſantur. Cauſam autem mittendi ad Bertrandum pilei hanc præcipuam aſſignat Gregorius in eiſdem literis, quòd de mandato ſedis apoſtolicæ in remotis partibus pro arduis & publicis negotiis immoraretur, & ut ex pilei illius acceptione ampliùs honoraretur à Principibus ad quos miſſus erat. Has porrò mittendi ad abſentem pilei juſtas tum cauſas fuiſſe viſas docet auctor illorum temporum, qui non ita multò poſt Clementis VI. pontificatum edidit vetus ceremoniale in quo continentur *ceremoniæ & ſollempnitates ſolitæ ſervari in creatione novorum Cardinalium*, quod extat manuſcriptum in Bibliotheca Regia. Ait ergo auctor ille: *Regulariter autem Cardinali novo abſenti capellus rubeus per Dominum Papam non mittitur. Interdum tamen de gratia ſpeciali mitti ei per Dominum Papam conſuevit, quando antea miſſus Legatus vel Nuncius per eum fuerat pro pace inter Reges vel Regem & Principes tractanda & conſummanda, ad finem quòd ipſe Cardinalis per ipſos in majori reverentia habeatur, & ad pacem ex hoc meliùs & faciliùs inducantur.* Quia verò moris quoque non erat ut Titulus cardinalitius daretur abſentibus, Bertrandus Titulo caruit aliquandiu. Sed tandem cùm veniſſet Avenionem, Titulum accepit ſancti Marcelli ; ut colligitur ex teſtamento Gregorij XI. quod editum eſt in tomo

ſexto Spicilegij Dacheriani. Semper tamen vocatus eſt Cardinalis Convenarum, pro more illius ſeculi; ut colligitur ex eodem Gregorij teſtamento, ex Concordia de qua mox dicemus, & ex Iohanne Mariana. Illo porrò tempore quo Nuncium apoſtolicæ ſedis agebat in Hiſpania, ſedavit graves controverſias quæ erant inter Petrum Regem Aragonum & Clerum Cataloniæ, occaſione immunitatum eccleſiaſticarum, quas à Rege violari contendebant Archiepiſcopus Tarraconenſis & ceteri Prælati illius provinciæ. Extat adhuc illa Concordia, inita Barcinone anno MCCCLXXII. inter Cardinalem Convenarum & Eleonoram Regis uxorem, penes quam potiùs quàm penes maritum inerat vis imperij. Tanta autem eſt etiamnum illius Concordiæ auctoritas, ut hodiéque obſervetur in Catalonia, & in volumine Conſtitutionum ſive juris municipalis illius provinciæ ferè tota deſcripta ſit, è Latina lingua in Catalanicam verſa. Verùm quoniam hactenus non prodiit integra, neque ea lingua qua fuit edita, & utilis etiam eſſe poteſt in aliis regionibus, operæ pretium puto me facturum, ſi heic eam edidero in appendice actorum veterum. Ceterùm illud etiam admonendum eſt, graviter errare eos qui Bertrandum hunc de Coſnaco confundunt cum Bertrando de Chanaco Cardinale Clementis ſeptimi. Nam Chanacorum gens valde diverſa fuit à Coſnaca, tametſi utraque fuerit Lemovicenſis. Erratum autem eſt in literis indulgentiæ conceſſæ à Patribus Concilij Vaurenſis anni MCCCLXVIII. quam edidimus poſt ſtatuta illius Concilij, ubi Epiſcopus iſte Convenarum vocatur Bernardus, cùm ſcribi debuiſſet Bertrandus. Sed ſequi voluimus editionem Catelli, qui hanc indulgentiam emiſit in lucem.

Digitized by Google

CAP. LXI.

Quod heic ſtatuitur de Capella quam quilibet Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ donare tenetur, repetitum deinde fuit in capite IX. Concilij quod anno MCCCLXXIV. apud Narbonem habuit Petrus Archiepiſcopus Narbonenſis, & hactenus in univerſa Occitania obſervatur. Eo porrò, ut arbitror, exemplo excitatus Ennecus Valterra Tarraconenſis Epiſcopus, in Concilio Tarraconenſi habito anno MCCCXCI. edixit ut quilibet Epiſcopus provinciæ Tarraconenſis donet Eccleſiæ ſuæ cathedrali unam Capellam de panno ſerico, vel de auro, ſaltem valentem trecentos florenos, vel trecentos florenos deponat. Extat decretum illud Concilij Tarraconenſis. Sed præterea illius mentio extat in Statutis Eccleſiæ Barcinonenſis, quæ apud nos extant in veteri codice manuſcripto, edita in Capitulo generali anno MCCCCXXIII. à Franciſco Clementis Patriarcha Hieroſolymitano Epiſcopóque & Adminiſtratore perpetuo ſedis & Eccleſiæ Barcinonenſis; ut patet ex capite VIII. eorundem Statutorum, quod deſcriptum reperies, lector, in appendice actorum veterum.

CAP. LXVI.

Decretalis conſtitutio Bonifacij VIII. cujus mentionem faciunt hoc loco Patres Concilij Vaurenſis, non extat inter conſtitutiones Bonifacij, ſed deſcripta eſt in Clementina *Dudum*. de ſepulturis.

CAP. LXXXIX.

Ex hoc capite videtur colligi, multos per ea tempora carnibus uti ſolitos diebus jejuniorum ac quadrageſimæ, etiam citra infirmitatem aut aliam gravem cauſam, modò accederet Confeſſariorum con-

ſenſus & auctoritas, ea fortaſſis de cauſa, quòd putarent jejunium non in carnium abſtinentia poſitum eſſe, ſed in ſobrietate & temperantia. Verùm quia difficilis eſt moderatio inter delitias carnium, Eccleſia prudenter decrevit uti Chriſtiani à carnibus omnino abſtinerent diebus jejuniorum & quadrageſimæ, tum etiam multis aliis anni diebus.

CAP. CXXXIII.

PETRO DE SORTENACO] qui dein à Gregorio XI. factus eſt Cardinalis. Fuit autem patria Cadurcenſis; ut fidem facit vetus ſcriptor vitæ ejuſdem Gregorij, itémque Jacobus de Sena in Facto edito in cauſa ſchiſmatis. Falluntur enim vehementer qui putant illum eſſe ortum ex proſapia de Vigono dominorum Cercenaſchi oppidi inter Alpes & Taurinum. Falluntur etiam qui Cardinalem Vivarienſem ob hoc dictum putant, quòd fuerit patria Vivarienſis. Quod intrepidè ſcriptum video à nonnullis. Sed is vocatus eſt Cardinalis Vivarienſis, pro more illius ſeculi, quia Epiſcopus Vivarienſis erat eo tempore quo factus eſt Cardinalis.

PETRO DE VERNHIO.] Tutelenſis iſte fuit, ut docet idem ſcriptor vitæ Gregorij. Canonicum Narbonenſem fuiſſe probat hic locus Concilij Vaurenſis. Dein Archidiaconus Rothomagenſis, ac Gregorij XI. Referendarius, ſacríque Palatij cauſarum Auditor, & Cardinalis ab eodem Gregorio factus eſt. Eo fatis functo, in partes Clementis VII. tranſgreſſus eſt, electioníque Benedicti XIII. interfuit anno MCCCXCIV. Sed hunc tamen in generali ſubſtractione obedientiæ deſeruit anno MCCCXCVIII. ut docet Surita in libro tertio Indicum. Obiit anno MCCCCIII. die ſexta Octobris, quemadmodum ſcribit Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.

Digitized by Google

AMELIO DE LAUTRECO.] Epiſcopo poſtea Convenarum, Cardinale creato à Clemente VII. anno MCCCLXXXV. die XII. menſis Julij.

CONCILIVM NARBONENSE

Habitum anno MCCCLXXIV.

CONCILII iſtius Narbonenſis canones deſcripti ſunt utplùrimùm ex ſuperioribus Conciliis à Petro Archiepiſcopo Narbonenſi celebratis, neque Notis noſtris indigent. Illud tantùm admonere ſufficiat, ex epiſtolis Gregorij XI. heic inſertis colligi illum exiſtimaſſe neceſſariam eſſe Conciliorum provincialium celebrationem ad conſervandam diſciplinam eccleſiaſticam moréſque Chriſtianorum informandos.

CONCILIVM AVENIONENSE.

GASBERTUS de Bellania Arelatenſis Archiepiſcopus, qui Concilio præſidebat, Iohannis XXII. conterraneus fuit, natus in parœcia ſancti Petri de Dunzaco apud Cadurcos. Hunc idem Iohannes Epiſcopum Maſſilienſem creavit. Falluntur enim qui Gaſbertum anno MCCCXIV. cathedram Maſſilienſem tenuiſſe putant. Nam anno MCCCXVIII. menſe Majo Raymundus erat Epiſcopus Maſſilienſis; ut patet ex Sententia Michaëlis Inquiſitoris hæreticæ pravitatis in Arelatenſi, Aquenſi, & Ebredunenſi provinciis ab apoſtolica ſede deputati, data adversùs quoſdam hæreticos apud Maſſiliam eo anno combuſtos, quæ extat in veteri codice MS.

Digitized by Google

illuſtriſſimi viri Iohannis Baptiſtæ Colberti. Per ea tempora Gaſbertus factus eſt etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, ac dein Archiepiſcopus Arelatenſis anno MCCCXXIII. ut Saxius ſcribit. Anno MCCCXXVI. menſe Iunio præfuit Concilio apud Avenionem habito in prioratu ſancti Ruffi. Unde facilè colligimus errare eos qui Gaſbertum Arelatenſem Archiepiſcopum evaſiſſe putant anno MCCCXXVIII. Tum anno MCCCXXXVII. iſti quoque Avenionenſi Concilio præfuit. Anno MCCCXL. tranſlatus eſt ad Eccleſiam Narbonenſem, & biennio pòſt in Toloſana urbe fundavit Collegium Narbonenſe vulgò dictum pro alendis duodecim pauperibus ſcholaſticis, quorum duo eſſent Preſbyteri. Et cùm maximè cuperet uti Preſbyteris illis eorúmque ſucceſſoribus in perpetuum fas eſſet audire confeſſiones collegarum, eíſque adminiſtrare ſacramenta eccleſiaſtica, poſſétque iſtiuſmodi privilegium à Romana Curia petere, quæ in vicino conſiſtebat, maluit tamen ſequi antiquum morem, omiſſáque Romani Pontificis auctoritate, ad Archiepiſcopum Toloſanum, qui tum erat Guilielmus de Lauduno, ſe convertit. Ille verò Gaſberti votis annuendum ratus, eiſdem Preſbyteris poteſtatem æterna lege fecit audiendi confeſſiones eorundem ſcholarium, eíſque adminiſtranda ſacramenta eccleſiaſtica; ut patet ex literis Guilielmi, quas nunc primùm edimus in appendice actorum veterum. Gaſbertus verò mortuus eſt Avenione anno MCCCXLVI. ſucceſſorémque eodem anno habuit Petrum de Iudicia IV. Idus Ianuarij. Sed illud hoc loco adnotandum eſt, canones iſtius Concilij Avenionenſis magna ex parte ſumptos eſſe ex ſuperiore Concilio Avenionenſi, deſcriptos autem fuiſſe etiam magna ex parte in Conciliis à Petro de Iudicia celebratis.

BERTRANDUS EBREDUNENSIS.] cognomento de Deucio, ortus è caſtro de Blandiaco in diœceſi Uceticenſi, factus Archiepiſcopus Ebredunenſis anno MCCCXXIII. ut docent Sammarthani. Eum Benedictus XII. Preſbyterum Cardinalem Tituli ſancti Marci creavit anno MCCCXXXVIII. die XVIII. Decembris. Tandem factus eſt Epiſcopus Sabinenſis & S.R.E. Vicecancellarius, obiítque Avenioni anno MCCCLV. ibidémque ſepultus eſt apud Carthuſianos.

PHILIPPO CAVALLICENSI] Vocabatur Philippus Cabaſſole, Cavellicenſis Epiſcopus, & Cancellarius Iohannæ Reginæ Neapolitanæ. *Raynaldus ad an. 1344. §. 30.* Anno MCCCXLIX. IV. Kal. Maij à Clemente VI. delegatus eſt ut inducias inter Maſſilienſes & alias Provinciæ & Comitatus Forkalquerij urbes adversùs ipſos fœderatas promulgaret. *Idem ad an. 1349. §. 10.* Per eas tempeſtates ſcripſit libros ſuos de vita & miraculis beatæ Mariæ Magdalenæ, dicatos Henrico de Villars Archiepiſcopo Lugdunenſi Galliarum Primati; in quibus multùm exagitat monachos Vezeliacenſes, quòd auderent dicere corpus ejuſdem Magdalenæ exiſtere apud Vezeliacum. Extat hoc Philippi opus in bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis. Apoſtolicæ ſedis Nuncius anno MCCCLIX. Unde colligitur de illo intelligenda eſſe quæ de Epiſcopo Cavallicenſi ſedis apoſtolicæ Legato habet Nicolaus Serarius in libro quinto rerum Moguntiacarum pag. 858. Fuit poſtea Philippus Patriarcha Hieroſolymitanus, & Preſbyter Cardinalis Tituli ſanctorum Marcellini & Petri, ac demum Epiſcopus Sabinenſis, obiítque anno MCCCLXXII. Vide Sammarthanos in catalogo Epiſcoporum Cavallionenſium. Teſtamentum ejus editum eſt à clariſſimo viro Franciſco Ducheſnio in Hiſtoria Cardinalium Gallorum.

FINIS NOTARUM.

APPENDIX ACTORUM VETERUM, QUORUM IN NOTIS FACTA MENTIO EST.

I.

Præceptum Karoli Magni Imperatoris pro monaſterio Craſſenſi.

Ex Regiſtro Curiæ Franciæ MS.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus ejuſdem Dei omnipotentis miſericordia Imperator Auguſtus. Si ſervorum Dei petitionibus aurem noſtræ ſerenitatis accommodamus, & anteceſſorum noſtrorum morem ſequimur, & ob id præſentem vitam faciliùs tranſigere & futuram adipiſci nullo modo dubitamus. Noverit itaque omnium fidelium ſanctę Dei Eccleſiæ noſtrorúmque tam præſentium quàm & futurorum induſtria quoniam Songfredus Abbas monaſterij ſanctæ Mariæ de loco qui dicitur Urbionis, ſito in confinio Narbonenſi & Carcaſſonenſi, ad noſtram acceſſit clementiam, deprecans ut ſuper donationes, emptiones, vel alias acquiſitiones rerum

ad jamdictum locum pertinentium noſtrum firmitatis gratia ſuperaddidiſſemus Præceptum. Præcipientes igitur jubemus ut omnes villæ, id eſt, Buxiniantus, & Palairacus, Civizianus, & Manſiones, & Villare, ſingulariter cum omnibus poſſeſſionibus ad præfatum locum in quibuſlibet Comitatibus, ſicut in eodem loco juſtè & rationabiliter per hoc noſtrum Præceptum permaneant, & Eccleſiæ quæ in villis eorum ſunt, in eadem poteſtate ſimiliter permaneant, & immunitatem etiam noſtram ſimiliter habeant, ſicut in noſtro veteri Præcepto continetur. Et ut hæc ita juſtè conſerventur, manu noſtra ſubter firmavimus, & anulo noſtro inſigniri juſſimus.

Signum Karoli glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.

Audactus Notarius ad vicem Gardini recognovit.

Datum VIII. Kal. Novembris, Indictione decima, anno XXXVII. regni Domni Karoli Imperatoris in Francia, & imperij ejus primo. Actum Elidione villa in Dei nomine feliciter. Amen.

II.

Præceptum Karlomanni Francorum Regis pro Eccleſia Narbonenſi.

Ex authentico, quod extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Karlomannus gratia Dei Rex. Si ſacris ac ſanctis locis divino cultui mancipatis aliquid de rebus regni noſtri ſeu facultatibus conferre ſtudemus

ſtudemus, non ſolùm in hoc regiam exercemus conſuetudinem, ſed maximum regni noſtri munimen auxiliante divina gratia eſſe nullatenus dubitamus. Quapropter noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorúmque tam præſentium quam & futurorum ſollertia quia acceſſit ad clementiam ſerenitatis noſtrę Sigebodus ſanctę matris Narbonenſis ac Redenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & innotuit nobis de paupertate ſui epiſcopatus, & quemadmodum ſua ſedes & penè omnes Eccleſiæ ejuſdem civitatis ruinæ jam proximę exiſtebant, ita ut per ipſum nullatenus poſſent reſtaurari; narrans etiam qualiter jamdudum deprecante Domno Apoſtolico Iohanne apud Trecas civitatem per genitorem noſtrum piiſſimum Regem Lhudovicum quædam receperit ad augmentum ſuæ Eccleſiæ beneficiola à ſe ſuiſque ſucceſſoribus perpetualiter obtinenda. Cujus petitionem neceſſariam & rationabilem eſſe cognoſcentes, placuit celſitudini noſtræ, pro remedio animæ genitoris noſtri & noſtræ, atque pro tanta deprecatione Apoſtolici Iohannis, ſeu & kariſſimi noſtri venerabilis Abbatis Hugonis, quatinus ad eandem Eccleſiam ſancti Iuſti & ſancti Paſtoris, necnon & ſancti Pauli Confeſſoris, ubi ipſe venerabilis vir corpore requieſcit, abbatiam ſancti Laurentij, cum omnibus ſuis cellulis & villis atque terminis, cum ſumma integritate locorum, veluti in Precceptis monachorum ab anteceſſoribus noſtris piiſſimis Regibus factis, perpetualiter concederemus; eò videlicet tenore, ut ſtipendia monachorum ibidem degentium juxta vires Præſulis non deficiant. Concedimus præterea medietatem ſalinarum, telonei, portatici, & raficæ, atque paſcuarij ad eandem præfatam Eccleſiam, tam in Narbonenſi quàm in Redenſi Comitatu, undecunque Comes vel ejus Miſſus

receperit vel recipere debuerit aliquid exactionis. Donamus etiam fiſcos juxta Baſſianum villam qui vocantur Ceſaranus & villa Arſegij. Concedimus etiam ipſi Eccleſiæ, in Redenſi Comitatu, villam quæ dicitur Limoſus, cum ſuis Eccleſiis, & ſanctæ Eulaliæ, atque Flactiano, vel cum omni ſua integritate, ac membris ſibi pertinentibus, atque farinariis. Donamus etiam ibi Villam longam, cum ſancti Felicis Eccleſiam, & cum ſuis omnibus villaribus atque adjacentiis cunctis. Si verò infra iſtas villas homines hoſtolenſes vel Hiſpani fuerint, quicquid jus fiſci inde exigere debet, totum ad opus ſanctæ matris Eccleſiæ Narbonenſis jure perpetuo concedimus obtinendum. Fiſcos verò qui ſunt in Biterrenſi Comitatu, ſancto Paulo Confeſſori à longo tempore collatos, & à poteſtate comitali injuſtè uſurpatos, pleniſſimè reddidimus, atque eidem Eccleſiæ, ſicut dignum eſt, per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum confirmavimus: per quod decernimus atque jubemus ut nullus judiciariæ poteſtatis, nec ullus ex fidelibus noſtris, in Eccleſias aut loca quæ deinceps jure & poteſtate ipſius Eccleſiæ divina pietas voluerit augere, ad cauſas audiendas, vel freda ceu tributa exigenda, aut manſiones vel paradas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſervos diſtringendos, aut ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris futuriſque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſuprà memorata ſunt penitùs exigere præſumat; ſed liceat memorato Præſuli ſuiſque ſucceſſoribus ſub noſtra defenſione quietè reſidere & noſtræ parere juſſioni. Et quicquid jus fiſci exinde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus Eccleſiæ, ut perpetuis temporibus Clericis ibidem Deo ſervientibus proficiat in aug-

Digitized by Google

mentum; quatenus rectores ipſius Eccleſiæ cum omnibus ad ſe pertinentibus, cum Clero & populo ſibi ſubjecto, pro nobis ac totius regni noſtri ſtabilimento Domini miſericordiam alacriter exorare delectet. Et ut hoc Præceptum noſtræ auctoritatis inviolabile æternum obtineat vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & anulo noſtro inſigniri juſſimus.

Signum Karlomanni glorioſiſſimi Regis.

Norbertus Notarius ad vicem Vulfardi Archiepiſcopi recognovit.

Datum pridie Nonas Junij, anno tertio regni Karlomanni glorioſiſſimi Regis, Indictione XIIII. Actum apud Pauliacum vicum in Dei nomine feliciter. Amen.

Hugo venerabilis Abba hoc ambaſſiavit.

III.

Præceptum Regis Karlomanni pro Eccleſia Aurelianenſi.

Ex Chartulario Eccleſiæ Aurelianenſis.

IN nomine Dei æterni & adjutoris noſtri Jeſu Chriſti. Karlomannus gratia Dei Rex. Scripturarum divinarum fluenta ſedulo requirentibus ingenio, necnon promulgata canonum ſollicitè relegentibus, perfacilè patet quòd quicunque Principum utilitatibus eccleſiaſticis conſulunt, non ſolùm rei publicę ſtabilimenta, quæ permaximè ſunt neceſſaria, conſtruunt, verùm etiam æternæ beatitudinis inenarrabile præmium ſibi præparant poſſidendum. Compertum ſiquidem, non ſolùm Epiſcoporum ſollertiæ, ad quorum notitiam quæ inferiùs

ſubnectenda ſunt præ omnibus pertinet, verùm etiam cunctorum fidelium noſtrorum notitiæ eſſe volumus qualiter venerabilis Gauterius ſanctæ Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus noſtram adiens celſitudinem, unà cum conſulto venerabili Hugonis Abbatis totiúſque regni noſtri utriuſque ordinis procerum, ſignificavit Eccleſiam ſibi divinitus commiſſam quondam Privilegia ſive Præcepta in eligendis ſibi Pontificibus tam auctoritate apoſtolica quàmque patrum noſtrorum confirmatione habuiſſe firmata. Quod lamentabili Normannorum perſecutione cum multis aliis ejuſdem Eccleſiæ librorum ac teſtamentorum copiis concrematione deperiſſe incendij non ſolùm veridicorum fidelium noſtrorum teſtatur relatio, verùm etiam ipſius matris Eccleſię baſilica à ſupradictis regni perſecutoribus concremata certiſſimis prætendit indiciis. His igitur venerabilis Epiſcopus Gauterius anxius, conſiderans ſuis diebus memorata inſtanti perſecutione & Eccleſiam concrematam, & permaximè tanti ac ſingularis Privilegij ſive Præcepti damnum, univerſarum utilitatum ipſius Eccleſiæ cupidus reſtaurator, juncto ſuis precibus inclito ac venerabili Hugone Abbate tutore noſtro ac regni noſtri maximo defenſore, cum reliquis noſtris fidelibus, ſapientiſſimè noſtram magnitudinem exoravit ut noſtrę auctoritatis Præceptum ſuper hoc ſuæ denuo confirmaſſemus Eccleſię, atque liberam à noſtra parte licentiam eidem conceſſiſſemus antiquam auctoritatem more canonico à ſede apoſtolica impetrandi. Petiit quoque memoratus venerabilis Epiſcopus ut de villis, Baſilica ſcilicet & Ulmeto, quas piæ memoriæ avus noſter Karolus Imperator ſuæ reſtituit Eccleſiæ, atque de villa Cadonno, quam ſuetam per deprecationem Hugonis ve-

nerabilis Abbatis eidem conceſſiſſemus Eccleſiæ, cum omnibus appendiciis ad eaſdem pertinentibus, necnon etiam de omnibus rebus quas præfatus Præſul tam in luminaribus quàmque etiam in omnium ſuorum Canonicorum uſibus tam ſcilicet matri Eccleſiæ quàm reliquis ſibi pertinentibus monaſteriis hactenus per teſtamentum delegavit, vel deinceps Deo propitio delegaturus canonicè eſt, noſtri Præcepti confirmaſſemus auctoritate; quatinus futuris temporibus in uſus & ſtipendia & utilitate fratrum ſupraſcriptæ Eccleſiæ vel monaſteriorum ibidem pertinentium, ſicut idem Pontifex canonicè teſtamenta diſpoſuit, permanendo conſiſtant. Hujus igitur humillimas petitiones conſultu fidelium noſtrorum curioſiùs pertractantes omnibus eſſe gratiſſimas, primò omnium pro amore Dei & ipſius ſacratiſſimi loci veneratione, qui ſpeciali ac divina benedictione, per manus ſcilicet Domini apparitionem, noſcitur eſſe conſecratus, necnon etiam ſæpedicti venerabilis Abbatis petitionibus ac commonitionibus exhortati, fieri quod præmiſſum eſt libenter decrevimus. Et ut deinceps hoc noſtræ celſitudinis Præceptum per ſuccedentia tempora vigeat, relegatur, ametur, manu excellentiæ noſtræ ſubterfirmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Datum III. Idus Auguſti, anno V. regnante Karlomanno glorioſiſſimo Rege, Indidictione prima. Actum apud Melnacum villam & Vimnar Comitatu, in Dei nomine feliciter. Amen. Amen. Amen.

I V.

Præceptum Karoli Simplicis Francorum Regis pro Eccleſia Narbonenſi.

Ex authentico, quod extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina propitiante clementia Rex Francorum. Si locis ſacris & divino cultui mancipatis emolumentum noſtræ regiæ poteſtatis impendimus, augendo quæ non habent, corroborando quæ poſſident, reſtituendo etiam quæ ablata ſunt, non ſolùm regiam excellentiam imitamur, verùm etiam ipſo Domino propitio & ſanctis ejus intervenientibus æternum nobis poſt temporalem coronam adfuturam liquidò credimus. Quapropter noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorúmque tam præſentium quàm & futurorum induſtria quia acceſſit ad clementiam ſerenitatis noſtrę Vuigo ſanctæ Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, deprecans nobis ut cuidam fideli noſtro Aigoni ſanctæ Narbonenſis ac Redenſis Eccleſiæ Archipræſuli ſcripturas Eccleſiæ ſuæ renovando confirmaſſemus; & innotuit nobis de paupertate ejuſdem epiſcopatus, & quemadmodum ipſa ſedes & penè omnes Eccleſiæ ejuſdem civitatis ruinæ jam proximæ exiſtebant, ita ut per ipſum nullatenus poſſent reſtaurari; deferēs etiam quaſdam auctoritates piiſſimorum Regum, Hludouvici ſcilicet genitoris noſtri, necnon Karlomanni fratris noſtri, in quibus continebatur quòd Siebodus ejuſdem Narbonæ Epiſcopus quædam receperit ad augmentum ſuæ Eccleſiæ beneficiola à ſe ſuíſque ſuc-

ceſſoribus perpetualiter poſſidenda. Cujus petitionem neceſſariam & rationabilem eſſe cognoſcentes, placuit celſitudini noſtræ, pro remedio animarum genitoris & fratris noſtri atque noſtræ, quatinus ad eandem Eccleſiam ſanctorum Juſti & Paſtoris, necnon & ſancti Pauli Confeſſoris, ubi ipſe venerabilis vir corpore requieſcit, abbatiam ſancti Laurentij cum omnibus ſuis cellulis & villis atque terminis, cum ſumma integritate locorum, veluti in Præceptis monachorum ab anteceſſoribus noſtris piiſſimis Regibus factis, perpetualiter concederemus, eo videlicet tenore, ut ſtipendia monachorum ibidem degentium juxta vires Pręſulis non deficiant. Concedimus præterea medietatem ſalinarum, telonei, portatici, & raficæ ſive naufragij, atque paſcuarij, ad eandem præfatam Eccleſiam, tam in Narbonenſi quàm in Redenſi Comitatu, undecunque Comes vel ejus Miſſus receperit vel recipere debuerit aliquid exactionis. Donamus etiam fiſcos juxta Baſſianum villam, qui vocantur Ceſaranus & villa Arſegij. Concedimus etiam ipſi Eccleſię in Redenſi Comitatu villam quę dicitur Limoſus, cum ſuis Eccleſiis, & ſanctæ Eulaliæ, atque Flactiano, cum omni ſua integritate, ac membris ſibi pertinentibus, atque farinariis. Fiſcos verò qui ſunt in Biterrenſi Comitatu, ſancto Paulo Confeſſori à longo tempore conlatos, & à poteſtate comitali injuſtè uſurpatos, pleniſſimè reddidimus, atque eidem Eccleſiæ, ſicut dignum eſt, per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum confirmavimus. Addimus quoque præfatæ Eccleſiæ ſanctorum Iuſti & Paſtoris ex noſtra regali liberalitate, in Comitatu Biſaldunenſi abbatiam ſancti Stephani quæ nuncupatur Balniolas, cum Eccleſiis, cellulis, villis, villaribus, & omnibus adjacentiis ſuis, ac mancipiis utriuſque ſe-

xus ad eundem locum pertinentibus. Et in Comitatu Narbonenſi Montillium fiſcum, cum terris & ſalinis & omnibus adjacentiis ſuis, necnon & Colonicas fiſcum in eodem Comitatu ſitum. Terras quoque omnes & domos ac vineas quas Iudæi in ipſo Comitatu poſſidere videntur, unde decimæ in Eccleſiis Dei exire conſueverant, quocunque modo ipſas acquiſierint poſſeſſiones, pro eleemoſyna noſtra eidem concedimus Eccleſiæ. Similiter & fiſcum Iuviniacum, cum Eccleſia. In Comitatu Nemoſenſe, atque in ſuburbio caſtro Salavenſe, in valle Ocilianenſe, Eccleſiam ſancti Saturnini, cum Villa Torta, & omnibus appendiciis ſuis. Addimus quoque præfatæ Eccleſiæ ſanctorum Juſti & Paſtoris, ex noſtra regali liberalitate, in Comitatu Redenſi, abbatiam Cubarias, cum Eccleſiis, cellulis, villaribus, & omnibus adjacentiis ſuis, ac mancipiis utriuſque ſexus ad eundem locum pertinentibus. Si verò infra iſtas vel alias villas ejuſdem Eccleſiæ homines hoſtolenſes vel Hiſpani fuerint, quicquid jus fiſci inde exigere debet, totum ad opus ſanctæ matris Eccleſiæ Narbonenſis jure perpetuo concedimus obtinendum, atque per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum confirmamus: per quod decernimus atq; jubemus ut nullus judiciariæ poteſtatis, nec ullus ex fidelibus noſtris, in Eccleſias aut loca quas moderno tempore poſſidet, vel quæ deinceps in jure & poteſtate Eccleſiæ ipſius divina pietas voluerit augere, ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſervos diſtringendos, aut ullas redibitiones vel inlicitas occaſiones requirendas, noſtris futuriſque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſuprà memorata ſunt penitùs exigere præſu-

mat; ſed liceat memorato Præſuli ſuíſque ſucceſſoribus ſub noſtra defenſione quietè reſidere & noſtræ parere juſſioni. Et quicquid jus fiſci exinde exigere poterat, totum .... pro æterna remuneratione eidem concedimus Eccleſiæ, ut perpetuis temporibus Clericis ibidem famulantibus proficiat in augmentum: quatinus rectores ipſius Eccleſiæ, cum omnibus ad ſe pertinentibus, cum Clero & populo ſibi ſubjecto, pro nobis & totius regni noſtri ſtabilimento Domini miſericordiam alacriter exorare delectet. Et ut hoc Præceptum noſtræ auctoritatis inviolabile ac æternum obtineat vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione juſſimus ſigillari.

Signum Karoli glorioſiſſimi Regis.

Hagano Notarius ad vicem Rotgeri Archiepiſcopi ſummi Cancellarij recognovit & ſubſcripſit.

Data VII. Idus Iunij, Indictione X. anno XXX. regnante Domno Karolo, redintegrante XXV. largiore verò hereditate indepta XI. Actum in Setico contra Torn in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Epiſtola Fulberti Epiſcopi Carnotenſis pro monachis Majoris-monaſterij Turonenſis.

Ex veteri codice MS.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fulbertus, non quidem meis meritis, ſed gratia præveniente Redemptoris, Carnotenſis Epiſcopus. Notum fieri volumus omnibus confratribus noſtris

Preſbyteris, Diaconibus, ſeu cunctis utriuſque ordinis, Clericorum ſcilicet ac monachorum, tam præſentibus quàm futuris per ventura tempora ſuccedentibus, qualiter monachi ſancti Martini Majorismonaſterij noſtram adierunt præſentiam, humiliter deprecantes ut ob amorem Dei omnipotentis & ſanctæ Mariæ Dei genitricis ſimúlque jamdicti Confeſſoris Martini quandam Eccleſiam, Navoil nomine, ad Altare ſanctæ ac beatiſſimæ virginis Mariæ pertinentem, eis emere emptámque poſſidere in perpetuum concederemus. Quod ita fecimus, Hilgodio Milite, cui de noſtro beneficio pertinere videtur, aſſenſum præbente. Coëmunt ergo eam & minimo pretio in poſterum ſibi vindicant ab Roberto quodam vaſallo & à duobus filiis ejus Arnulfo & Notberto & matre eorum, qui eandem Eccleſiam de Vvallerio filio Gaucelini tenent, ſub cujus juſſu & aſſenſu ſancti Martini monachis venali conditione de reliquo habendam concedunt. Habent itaque .... & tenent & abſque ulla inquietudine alicujus Epiſcopi ſeu alicujus hominis ab hodierna die & deinceps monachi Deo & ſancto Martino inibi famulantes præfatam Eccleſiam & quicquid ad eam pertinere videtur ſecurè teneant atque poſſideant. Conſiſtit autem hæc Eccleſia in pago Vindocinenſi, haud longè ab ipſo caſtro ſepoſita. Nomina verò teſtium qui ad hoc audiendum producti fuerunt, inferiùs annotata continentur. Teodericus Capicerius, Sigo Præcentor, Hildegarius Pupilla, Giroinus, Rainaldus Vicedominus, Girardus Bodellus, Gauſlinus,

VI.

Acta concordiæ initæ inter Guifredum Archiepiſcopum & Berengarium Vicecomitem Narbonenſem anno MLXVI.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Manifeſtum ſit omnibus hominibus præſentibus & futuris quòd magna diſcordia erat inter Guifredum Narbonenſem Archiepiſcopum & Bernardum Berengarium Vicecomitem ejuſdem civitatis. Ad ultimum venerunt in poteſtate & in manu Domni Raimundi Comitis ſancti Ægidij, & Domni Raimundi Comitis Bedaldunenſis, & Durandi Toloſani, & Raimundi Elenenſis, & Berengarij Jerundenſis Epiſcoporum, Sicardi Rainardi de Piriniano, & Bernardi de Minerba, & Ermengaldi de Corciano, & Raimundi Guillelmi de Fabrezano, Alfarici de ſancto Nazario. In primis conqueritur Gifredus Narbonenſis Archiepiſcopus ſuper Bernardum Berengarium Vicecomitem, quòd aufert ei ipſam ſedem ſanctorum Juſti & Paſtoris, & terræ quæ ibidem eſt, & medietatem civitatis Narbonæ ex parte Circij, & turres quæ in eadem parte ſunt, & ipſum Capitolium quod ibidem eſt, & medietatem caſtri de porta regia, & medietatem caſtri de porta aquaria, & introitum & exitum civitatis, & medietatem omnium liddarum quæ veniunt in Narbona civitate ſive per terram ſive per aquam vel in ſuis terminiis, & medietatem cordæ, & piſcationem Atacis, ſcilicet de molendina de Filo uſque in ſtagnum. De cetero con-

queritur Guiffredus Archiepiſcopus quòd aufert ei ipſas bordarias quæ ſunt ultra pontem in parrochia ſancti Pauli, in villa quæ dicitur Cenſerada, quæ eſt alodio ſanctorum Juſti & Paſtoris, ſicut ſonat in Præceptis Regum. Quæ autem bordariæ ſunt à capite pontis uſque ad hortos ex parte Circij inter Eccleſiam ſancti Pauli & flumen Atacis &c. Facta carta hujus concordiæ II. Non. Octobris, anno ab incarnatione Domini MLXVI.

VII.

Litteræ Dalmatij Archiepiſcopi Narbonenſis, quibus Eccleſiam ſanctæ Mariæ Narbonenſis (vulgò *Noſtre-Dame de la Mourguier*) ſubjicit monaſterio Maſſilienſi.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN nomine Domini. Præſentibus ſit notum, & futuris non ſit incognitum, quia ego Dalmacius ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Archiepiſcopus donator ſum Deo & ſanctæ Mariæ ſanctóque Victori cœnobio Maſſilienſi & Abbati Richardo & ſucceſſoribus ſuis & monachis ejuſdem cœnobij præſentibus & futuris. Per hoc pactum ſcripturæ dono eis Eccleſiam noſtræ dioceſis, cum decimis & primiciis & domibus & oblationibus vivorum & mortuorum & terminis & pertinenciis ſuis omnibus, ſimul cum ipſa condamina quam ſolitus erat tenere Pontius Mainardus, & cum ipſis hortis, olearum videlicet & olerum quos ibi dedi in dedicatione ejuſdem Eccleſiæ coram Narbonenſi Clero & populo. Quæ Ec-

cleſia, ſanctæ Mariæ nomine nuncupata, eſt conſtructa in ſuburbio Narbonenſi, & à me & à ſuffraganeis meis catholicis Epiſcopis ſolemniter conſecrata. Auctoritate etenim ſanctorum canonum fultus, qui præcipiunt Epiſcopum poſſe conſtruere monaſterium in dioceſanea parrochia dioceſis ſuæ, atque eam de bonis Eccleſiæ ſuæ ditare, ut monachi ibi poſſint quietè Deo ſervire, hoc facio, atque ideo ut poſſim habere adjutores & cooperatores religioſos viros, cum quibus ego & ſucceſſores mei legitimè poſſimus opus Dei perficere. Hactenus enim hęc prædicta Eccleſia à longo jam tempore eſt injuſtè poſſeſſa à Simoniacis & Nicolaitis Clericis & laicalibus perſonis. Ideóque religioni eam applicare curavi, ſecundùm mutationem dexteræ Excelſi, ut ibi inhabitantes ſtudeant eundem locum meliorare. Quapropter ego prædictus Archiepiſcopus & hoc donum, quod illic modò præbeo, ibi confirmo, & quicquid, Deo donante, ibi augmentando in poſtmodum ego vel alij homines ibi donaverimus. Unde conſtituo ut cenſus annuatim perſolvatur Eccleſiæ ſanctorum Iuſti & Paſtoris, in feſtivitate videlicet eorum, ab habitatoribus ejuſdem loci, id eſt, tres libræ ceræ. Si verò, quod abſit, aliquis ſucceſſorum meorum hoc infringere voluerit, & contra prædictam donationem venire tentaverit, hoc nullo modo agere poſſit; ſed excommunicationi ſubjaceat uſquequo reſipiſcat, & inſuper auctoritas apoſtolicæ ſedis, ſub cujus defenſione Eccleſia Maſſilienſis conſiſtit, eum prohibeat, quam monachis ipſius Eccleſiæ in hoc negotio appellare liceat. Et ut hæc donatio firmum obtineat roborem, manu propria confirmo, & ſubteriùs annotatos firmare præcipio. Facta carta donationis hujus XIIII. Kal. Maij, anno ab incarnatione Domini MLXXXVI. Indictione VIIII. Si-

gnum Vvillelmi Epiſcopi Tolonenſis. Signum Arnaldi Abbatis Caſtrenſis. Signum Vvillelmi Abbatis Salmodienſis. Signum Stephani Clerici. Signum Raimundi Comitis Ruthenenſis & Narbonenſis. Nos teſtes, qui hanc cartam juſſi firmavimus.

VIII.

Litteræ Dalmatij Archiepiſcopi Narbonenſis, quibus Eccleſiam ſanctæ Mariæ Narbonenſis donat monaſterio Maſſilienſi.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN Dei nomine. Ego Dalmatius Narbonenſis Archiepiſcopus inſtinctu divinæ viſitationis cognoſcens fluctuationes & afflictiones Eccleſiarum Dei, & ſpecialiter deſolationem & miſerabilem captivitatem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſuburbanæ, quam per Dei gratiam à nonnullis detrimentis & ſimoniaca hæreſi liberaverim, & cupiens illam in perpetuo ſtatu catholicæ fidei reſtituere, unà cum conſenſu & voluntate Clericorum ſancti Iuſti & Paſtoris, volo & concedo prædictam Eccleſiam beatæ Mariæ ſuburbanæ ordinandam & perpetuò regendam in poteſtate & regimine Domni Ricardi Maſſilienſis Abbatis ejuſque ſucceſſorum & eorum monachorum tam præſentium quàm futurorum regulariter ſecundùm poſſibilitatem loci ibi degentium. Salva reverentia & canonica obedientia Eccleſiæ ſancti Iuſti & Archiepiſcopi & Clericorum ejus, & rectitudine Eccleſiæ ſancti Pauli. Et ſi quid ortum fuerit de antiquis conſuetudinibus inter Eccleſiam ſancti Pauli & Ec-

Digitized by Google

cleſiam beatæ Mariæ, in judicio Archiepiſcopi vel Clericorum ſancti Iuſti determinetur. Et quoniam ex antiquis decretis ſanctorum patrum Pontificum licentiam & auctoritatem habemus de eccleſiaſtico jure noſtræ Eccleſiæ cum conſilio Clericorum conſtituere monaſterium ſub noſtra dioceſi, ubicunque fuerit velle, volumus & conſtituimus cum conſenſu & voluntate Clericorum ſancti Iuſti, auctorizamus Eccleſiam beatæ Mariæ ſuburbanæ, cum omnibus ſibi pertinentibus modò habitis & inantea juſtè adquiſitis, in monaſtico ordine & religione perpetuò conſiſtere: quatinus in eodem loco ſervi Dei ſub regimine & ordinatione Maſſilienſis Abbatis liberè & ſecurè ſerviant Deo, & perpetuò quietam ducant vitam. Et quia Maſſilienſes fratres de ſumma paupertate & miſera captivitate cum Dei adjutorio prædictam ſublevaverunt Eccleſiam, volumus & decernimus in poteſtate & regimine Maſſilienſis Abbatis perpetualiter eſſe. Salva reverentia & obedientia Eccleſiæ ſancti Iuſti & Clericorum ejus, & reverenti rectitudine ſancti Pauli. Mandamus etiam & interdicimus & omni auctoritate firmamus ut nos neque ſucceſſores noſtri neque aliqua perſona injuſtè inquietare vel auferre præſumat prædictam Eccleſiam Maſſilienſibus fratribus regulariter ſecundùm poſſibilitatem loci ibidem viventibus, qui eam de tanta ſublevaverunt paupertate & miſerabili captivitate. Et quia alodium ſcimus ſancti Iuſti eſſe, volumus & reſervamus & decernimus & conſtituimus ut per unumquemque annum per rememorationem & recognitionem donent tres libras ceræ Eccleſiæ ſancti Iuſti, in eorum feſtivitate, monachi Maſſilienſes, qui in prædicta Eccleſia beatæ Mariæ ſuburbanæ conſiſterint. Reſervata etiam, ſicut prædiximus, & ſalva reverentia & canonica obedientia

Digitized by Google

Eccleſiæ ſancti Juſti & Clericorum ejus, quam filia Eccleſia juſtè debet exhibere matri ſuæ Eccleſiæ, & æquitate Eccleſiæ ſancti Pauli. Facta iſta ſcriptura conceſſionis & commendationis XIIII. Kal. Octobr. anno milleſimo LXXXVIII. incarnationis dominicæ, regnante Philippo Rege. Signum Dalmatij Narbonenſis Archiepiſcopi, qui hanc ſcripturam ſcribere fecit & firmavit, & hos teſtes firmare rogavit. Signum Petri Carcaſſonenſis Epiſcopi. Signum Bertrandi Barchinonenſis Epiſcopi. Signum Bertrandi Archidiaconi. Signum Petri Giralli. Signum Petri Salomonis Sacriſtæ. Signum Arberti Gramatici. Signum Eneas. Signum Guidonis. Signum Petri Udalgerij. Signum Bernardi Raimundi, & ceterorum Clericorum.

IX.

Litteræ Dalmatij Archiepiſcopi Narbonenſis, quibus Eccleſiam ſancti Griſanti ſubjicit monaſterio Maſſilienſi.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN Chriſti nomine. Ego Dalmacius gratia Dei Narbonenſis Archiepiſcopus, divinæ miſerationis reſpectu cupiens reintegrare & in eccleſiaſtico & in priſtino ſtatu reſtaurare Eccleſiam Dei mihi commiſſam, & de miſerabili captivitate & deſtructione, qua à pravis hominibus deprimitur, liberam reddere, quia per me ad plenum id agere non poſſum, omnipotentis Dei & religioſorum virorum invoco conſilium & adjutorium. Hac ſiquidem inſpiratus viſitatione & voluntate, recognoſcens Eccleſiam

Eccleſiam ſanctiſſimi martyris Griſanti diuturna captivitate & deſolatione funditus deſtructam, & jam hereditaria & laicali ſucceſſione in tantum nefario modo poſſeſſam ut abſque eccleſiaſtico & divino officio & abſque omnibus prædiis & decimis per multa tempora ſuma miſerabilem defleret captivitatem, cùm etiam faam eſt multorum quondam monaſterium fuiſſe, unà cum conſilio & voluntate noſtræ ſcilicet Narbonenſis Eccleſiæ Clericorum, Vvilelmi videlicet Abbatis ſancti Pauli, & Archidiaconorum, Bernardi videlicet Rainardi, atque Vvilelmi Amelij, necne Raimundi Udalgerij, necnon Petri Gaucelini, atque Petri Geraldi Sacriſtæ, & aliorum, tradimus & concedimus eandem prædictam Eccleſiam ſancti Griſanti, cum decimis & primiciis omnibúſque ſibi pertinentibus, beatæ Dei genitrici Mariæ ſuburbanæ & beato Victori martyri Maſſilienſi monaſterio & in poteſtate & in perpetuo regimine Domni Ricardi Maſſilienſis Abbatis & ſucceſſorum ejus. Quæ ſita in territorio Narbonenſi, non longè à ſuburbio diſtans. Quicquid habet vel habere debet & inantea per Dei miſericordiam legaliter adquiſierit, totum ab integro cum omni ſua melioratione committimus, tradimus, & perpetuo regimine concedimus beatæ Mariæ & beato Victori monaſterio Maſſilienſi, ejuſdémque Domno Ricardo Abbati, ejúſque in perpetuum ſucceſſoribus. Salva tamen reverentia & fidelitate Narbonenſis Eccleſiæ. Tali videlicet conditione & tenore, ut ad honorem omnipotentis Dei reædificare & fideliter conſtruere & reſtaurare ſtudeatis, & per unumquemque annum pro reverentia & recognitione beatorum martyrum Juſti & Paſtoris, eiſdem beatis martyribus Juſto & Paſtori, in eorum feſtivitate, unam libram incenſi reddatis. Quòd ſi quis

contra hanc cartam traditionis] & perpetuæ conceſſionis venerit ad interrumpendum, non hoc valeat vendicare, ſed componat in duplo, & inſuper iram omnipotentis Dei ſub vinculo anathematis incurrat, & inantea firma & ſtabilis permaneat omni tempore. Facta iſta carta conceſſionis & confirmationis XII. Kal. Maij, anno milleſimo nonageſimo dominicæ incarnationis. Dalmacius gratia Dei Narbonenſis Archiepiſcopus, qui hanc cartam fecit, & teſtes firmare rogavit. † Vvilelmus Abbas ſancti Pauli &c.

X.

De laicis res eccleſiaſticas poſſidentibus.

Ex veteri Chartulario Eccleſiæ Cadurcenſis.

HÆc eſt memorabilis deſcriptio qualiter Eccleſia beati Geneſij de Aſnago in dominio matris Eccleſiæ Caturcenſis pervenerit. Scimus quod prædictam Eccleſiam dudum poſſedit pro portione hereditatis ſuę Ugo de Faiedo vocatus, cùm diviſiſſet paternum honorem cum fratribus ſuis. Cui Ugoni confirmaverunt idem fratres ſui fide ſua, dextras ſibi dantes ne in Eccleſia illa vel omni eccleſiaſtico negocio aliquam ſibi moleſtiam inferrent, ſed faceret inde quicquid vellet. Habuit Ugo Eccleſiam. Inde vixit pluribus annis cum uxore & filiis filiabúſque ſuis. Unde orta eſt ſeditio in populo quod oblationes ſuas & eccleſiaſtica negocia ſecularis & laicalis perſona conſumeret, & plerunque etiam ipſo oblationis tempore coram omnibus mulieres quod offerebatur acciperent. Innotuit ve-

rò res nobiliſſimo Pontifici Geraldo; & clamore virorum commotus, Eccleſiam ſub anathemate poſuit quoaduſque Ugo dimitteret Eccleſiam, quam diù injuſtè poſſederat, ſibi & ſacerdotibus Chriſti. Cujus excommunicationem parvipendens Ugo, diutiùs perturbavit eccleſiaſtica jura. Eodem verò tempore Domnus Geraldus inclitus ſacerdos, de ſancto Vincentio dictus, ejuſdem loci incola, ire Ieroſolymam diſpoſuerat. Qui accepto conſilio à quibuſdam nobilibus melius ſibi eſſe, ſi pecuniam, quam deferre volebat, pro liberanda Eccleſia impertiret, adquievit conſultibus, ut ſi non Chriſti dilectione, vel damnationis timore, ſaltem pecuniæ adeptione ab iniquitate ſua Ugo reſipiſceret. Unde habuit colloquium Geraldus cum eodem ſupradicto Ugone, ut daret Eccleſiam beato prothomartyri Stephani & Domno G. Epiſcopo & Canonicis regularibus Caturcenſis Eccleſiæ, accipiens pecuniam oportuno tempore pacto. Quibus decretis, accepit Ugo CL. ſolidos à Geraldo de ſancto Vicentio pro liberatione Eccleſiæ, filiúmque ſuum nomine Geraldum eodem placito in Eccleſia Caturcenſi ſine omni omnino pecunia fieri Canonicum impetravit. Eodem verò modo Guirbertus nepos ejus, qui cartam partem poſſidebat ejuſdem Eccleſiæ, accepit à Geraldo de ſancta Speria nominato LX. ſolidos. Tunc uterque, ſcilicet Ugo præfatus, & Guirbertus nepos ejus, dederunt conceſſerunt beato Stephano & Domno G. Epiſcopo & Canonicis Caturcenſibus quicquid Eccleſia juſtè vel injuſtè aliquo ingenio poſſidebant vel requirebant. Facta eſt largicio iſta & iſtud negocium conſilio & voluntate & auctoritate Girberti de Lavernia & fratrum ſuorum & Artmandi de Campocroſo, per quorum manus donatores iſti Eccleſiam

Digitized by Google

poſſidere videbantur. Accepit quoque idem Guirbertus de Lavernia dominus terræ illius cum fratribus ſuis, quia iſtud fieri conceſſit, CL. ſolidos à Geraldo præfato de ſancto Vincentio. Dedit etiam ipſe Guirbertus & fratres ejus beato Stephano & Caturcenſi Eccleſiæ quicquid in Eccleſia de Aſnago vel ipſi in dominio vel aliqui per eorum manum habebant. Inſuper verò conceſſit cum hiſdem fratribus ſuis ut ſi quis Miles vel alicujus conditionis homo vel femina dare voluerit beato Stephano quacunque occaſione aliquid de his quæ per eorum manum habere videtur, ipſi omni ſecuritate & auctoritate confirmarent fieri.

XI.

Epiſtola civium Narbonenſium ad Honorium III. Papam, de diruendis muris Narbonenſibus ad mandatum Simonis Comitis Montisfortis.

Ex archivo regio Pariſienſi.

SANCTISSIMO Patri ac Domino ſuo Honorio Dei gratia Summo Pontifici, omnes cives Narbonæ, tam civitatis, quàm ſuburbij, cum omni devotione, reverentia, & humilitate, ſalutem, vitam, gloriam, & honorem. Sanctitati veſtræ notum facimus quòd cùm Dominus S. Dei providentia Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, ac Vicecomes Biterr. concedat nobis licentiam ut ad cognitionem nobilis viri G. Seneſcalli Biterrenſis & R. de Poiſiaco clauſuram circa civitatem & burgum Narbonæ facia-

mus, juravimus firmitérque ac bona fide & ſine omni malo ingenio promiſimus quòd quandocunque prædictus Dominus S. nobis præceperit vel mandaverit per litteras ſuas ſeu per nuntium ſuum certum, nos ſine omni mora & ſine omni excuſatione ac difficultate clauſuram diruamus prædictam ad ſuam penitùs voluntatem. Juravimus præterea quòd faiditos de terra ſua, ruptarios, & quoſlibet alios inimicos & proditores Comitis memorati poſt prohibitionem ſuam nullo modo recipiemus ſcienter. Si verò aliquis vel aliqui de prædictis faiditis, proditoribus, & inimicis dicti Comitis noſtram civitatem intrarent, Bajulus ipſius Comitis, vel ille qui mandato ejus eſſet in civitate prædicta, caperet eos, nobis non prohibentibus; immo ad ſubmonitionem ipſius Bajuli, vel illius qui loco ipſius eſſet, eidem ad capiendos dictos faiditos, proditores, vel inimicos auxilium præſtaremus. Ad quæ omnia & ſingula ſupradicta bona fide & ſine omni malo ingenio fideliter adimplenda & firmiter obſervanda nos omnes prædicti cives tam civitatis quàm ſuburbij Narbonæ per propria juramenta quæ nos fecimus ſuper ſancta Dei Evangelia, & per præſentes litteras ſigillis noſtris munitas, quorum duo paria facta ſunt per alphabetum diviſa, nos fideliter obligamus. Datum Narbonæ anno nativitatis Chriſti MCCXVIII. tertio Kal. Marci.

Digitized by Google

XII.

Capitula à Petro Archiepiſcopo Narbonenſi propoſita adversùs Amalricum Vicecomitem Narbonenſem anno MCCXLII.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

ANNO Domini MCCXLII. Dominica tertia menſis Auguſti, in Octabis ſancti Laurentij, Dominus Amarricus per violentiam occupavit omnes res Domini Archiepiſcopi quas habebat & tenebat infra Narbonam & pertinentiis ſuis, quæ Amalricus reddere noluit, ſcilicet Palatium novum cum ſuis pertinenciis, & juriſdictionem, hoſpitia militum quæ ſunt & fuerunt tenentia ſe cum muris civitatis, de turre Maureſca uſque ad portam regiam & alibi quæ ſunt in civitate, quæ tenentur ab Archiepiſcopo, quæ turris tenet ſe cum caſtro Amalrici jamdicti, & juriſdictionem ſuburbij de Bellovidere, cum furno, & juriſdictionem portalis hoſpitalis ſancti Johannis uſque ad portale de Brol ..... portale portæ Epiſcopalis. Item evulſit ſtacas ſive metas poſitas ſuper diviſione medietatis civitatis, item juſtitias ſanguinis & adulterij, item juriſdictionem præconum, in quibus nomen Domini Archiepiſcopi ſolitum .... præponi, item omnes tabulas in foro civitatis Narbonæ; item medietatem leddæ majoris, & medietatem ponderis ferri & menſuræ cordæ, & medietatem menſuræ vermeilh, & medietatem leddæ panis, & medietatem .... furnorum, & medietatem tincturæ pannorum Granet, & medietatem monetæ,

& manſum & honorem ſive juriſdictionem quam habebat Jordanus de ſancto Felice intus Narbonam & extra, & manſum Petri Boteti, qui quondam . . . . & omnes claves portalium burgi, & medietatem clavium portæ regiæ, & omnes claves portalium de Bellovidere, & de porta biſbali, & de Lauraco. Item furnum de burgo, cum molendino. Item feudum Caſtri de . . . . , etiam ipſum Caſtrum. Item feudum de Cumbis, quod tenent filij quondam Johannis Garſias à Domino Archiepiſcopo. Item Vſatica de baſtida Gaſqueti, quam tenet Johannes Biſtanni. Item conqueritur Dominus Archiepiſcopus eò quòd fecit præconizari Dominus Amalricus ſub pœna corporum, ne quis de Bellovidere auſus eſſet venire pro aliqua querimonia facienda ad Curiam Domini Archiepiſcopi ſupradicti. Item eò quòd fecit præconizari per totam civitatem & burgum ſub pœna corporum & averi, ne aliquis auſus eſſet querimoniam facere Curiæ Domini Archiepiſcopi occaſione ſanguinis & adulterij. Item habuit de juſticiis quæ pertinent Domino Archiepiſcopo de Arnaudo de ſancto Fulco & filiæ Guillelmi Mag[illegible] ccc. ſolidos Melgorienſes. Item cccc. ſolidos de Arnaldo Guilaberti. Item ccc. ſolidos de Petro Blanquerio, de adulterio. Item D. ſolidos Melgorienſes de Eſtraderio. Item habuit de prima amparatione de juſticiis, facto computo cum . . . . Petro Subvicario tum Domini A. ccc. ſolidos Melgorienſes minùs XIII. denariis Melgorienſibus. Item habuit manſum Juſti de Bellovidere & omnes res ſuas, pro foriſfacto quod fecit. Quæ omnia prædicta ſunt & ſemper fuerunt & de jure ſpectant ad juriſdictionem Domini Archiepiſcopi. Item habuit dictus Amalricus de rebus mobilibus Domini Archiepiſcopi

Digitized by Google

c l. ſaumatas de calce, quas habuerunt homines de Villanova de mandato Domini Amalrici. Item lxxxx. filas, quas habuerunt idem homines de Villanova de mandato ejuſdem. Item viiii. bigas groſſas, quas habuerunt homines Petri de Villanova de mandato ipſius A. Item ccclxxviii. inter filas & bigas, quas habuit Dominus A. Item habuit xxv. boves. Item habuit dictus A. duos pollinos equinos, quemlibet de tribus annis, & unam equam. Item xxv. inter porcos & truegas. Item x. porcellos. Item viii. oves, & viii. agnos, & iii. vaccas. Item l. inter pullos, gallinas, & capones. Item iiii. flaſſatas. Item iiii. vomeres. Item xxv. anſeres. Item quinque millia teules. Item iii. capolatas de petra, quas habuerunt homines de Villanova. Item unam balliſtam de fuſto, cum uno croco, & carcaiſſo, & cairellis. Item D. cairellos. Item unam ſellam equi. Item duo tentoria. Item duas molas de petra, quæ bene valent xlviii. ſolidos Melgorienſes. Item petit Dominus Archiepiſcopus omnes redditus qui exiverunt omnium leddarum & Robinæ, & xviii. modios vini. Et omnes res ſuperiùs nominatas atque ſcriptas habebat, tenebat, & poſſidebat Dominus Archiepiſcopus quandò Comes Tholoſanus intravit Narbonam. Item compulit ad redemptionem omnia Caſtra ipſius Archiepiſcopi. Et bladum & res alias multas hominum ſuorum, quæ aſportaverant Narbonam, & omnes decimas totius terræ ipſius Amalricus & Militum ſuorum ſimiliter abſtulit eidem Domino Archiepiſcopo. Nec reſtituit furcas de Ventenaco ſecundùm quod Dominus Rex dederat in mandatis. Item poſtquam dictus Amalricus venit de Francia, abſtulit dicto Domino Archiepiſcopo & per violentiam abſtraxit de horreis ſuis ccl. ſeſtaria hordei & xxv. ſeſtaria frumenti. Item

Digitized by Google

anno & die quo ſuprà dictus Amalricus amparavit curiam dicti Domini Archiepiſcopi, & flexum, & potum beſtiarum, & animalia, & omnes res quæ erant in curia prædicta & dominium totum quod Dominus Archiepiſcopus habet in civitate Narbon. & ſuburbio de Bellovidere. Item LII. libras VI. ſolidos, VIII. denarios Melgorienſes de ledda majori pro ſolutione VIII. menſium, ſcilicet pro Julio, Auguſto, Septembri, & Octobri, Novembri, Decembri, Januario, & Februario. Item XXII. denarios Melgorienſes de ledda furnorum infra tempus antedictum. Item II. ſolidos Melgorienſes de ledda panis infra tempus antedictum. Item x. libras minùs v. ſolidos Melgor. habuit dictus A. de loguerio tabularum civitatis.

XIII.

Bulla Innocentij IV. ad Guillelmum Archiepiſcopum Narbonenſem, qua ei concedit ut quandiu vixerit, crucem ante ſe faciat deferri per provinciam Narbonenſem.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ut frequenti reſumat memoria fidelis quilibet Paſſionem Domini Jeſu Chriſti, crux portatur, exponitur, & habetur, in qua verè mors legitur creatoris, ſcilicet victoria, noſtra ſalus. Hanc namque in ſignum dignitatis majoris, ad honorem & laudem filij Dei vivi, Romanus Pontifex concedit quibuſdam Præla-

tis majori præminentibus dignitate per certa terrarum ſpatia præferendam, ut in ipſa fidelium turba concurrentium glorietur, in diſperſione verò dentur & fugiant infideles. Volentes itaque perſonam tuam, tanquam nobile membrum Eccleſiæ, quanta poſſumus honorificentia prævenire ac potioribus dotare inſigniis, ut quò gradu præmines altiori, majoribus honoribus attollaris, ſicque fias Dei cultoribus amabilis & decorus, erubeſcant & à facie tua fugiant infideles, quibus tua provincia, ſicut aſſeritur, non eſt munda, tuis precibus inclinati, quòd ad exaltationem & gloriam nominis Chriſtiani tuíque honoris & dignitatis augmentum, ante te per tuam provinciam deportari facias, quandiu vixeris, liberam tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ cōceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni VI. Idus Februarij, pontificatus noſtri anno tertio.

XIV.

INNOCENTII IV. ROMANI PONTIFICIS epiſtola ad Guilielmum Epiſcopum Pariſienſem, ut Regem ac Reginam moneat & inducat ad ſervanda privilegia Eccleſiarum provinciæ Narbonenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Epiſcopo Pariſienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabi-

Digitized by Google

les fratres noſtri Archiepiſcopus Narbonenſis ejúſque ſuffraganei ac alij Eccleſiarum Prælati provinciæ Narbonenſis conqueſtione monſtrarunt quòd cùm eorum feudatarios banniri ſeu ipſos vel eorum uxores de hæretica pravitate damnari contingit, officiales cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Regis ac B. Reginæ Franciæ illuſtrium hujuſmodi hæreticorum ſeu damnatorum bona ad eorum Eccleſias pertinentia, necnon ea quæ penes eoſdem bannitos ſeu damnatos ſunt depoſita, pro ſua accipiunt voluntate in earundem Eccleſiarum maximum detrimentum. Quia verò talia non poſſunt ſalva conſcientia detineri, nos, qui eorum deſideramus ſalutem, celſitudinem regiam duximus .... rogandam ut bona ipſa Eccleſiis ad quas pertinent, ac etiam depoſitoribus depoſita, pro divina & apoſtolicæ ſedis & noſtra reverentia, univerſa reſtitui facientes, prædictis officialibus ſuis inhibeant ut de cetero contra eaſdem Eccleſias ſimilia non attentent, preces noſtras in hac parte taliter impleturi quòd eædem Eccleſiæ ſuis juribus non fraudentur, & nos manſuetudinem eorum dignis in Domino laudibus commendemus, ſibíque accreſcat proinde meritorum cumulus apud Deum. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus prædictos Regem & Reginam ad id moneas attentiùs & inducas. Datum Lugduni XIII. Kal. Julij, pontificatus noſtri anno tertiò.

X V.

Acta concordiȩ initæ inter Prælatos provinciæ Narbonenſis & Guidonem Fulcodij Clericum ſive Conſiliarium Ludovici IX. Francorum Regis, de bonis hæreticorum & faiditorum.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

Cùm multorum immobilia bona Dominus Rex occupaverit in provincia Narbonenſi, vel ejus Bailivi pro ipſo, ea videlicet ratione quia poſſeſſores eorum faiditi inventi fuerant vel hæretica pravitate reſperſi, quæ ſiquidem bona Dominus Rex vel tenet ad manum ſuam vel in alios tranſtulit feudi titulo ſuo nomine poſſidenda, proponebāt Eccleſiarum rectores in eadem provincia conſtituti quòd Dominus Rex in hac parte ipſis Eccleſiis præjudicium faciebat in multis, quia plura ex bonis prædictis de dominio erant Eccleſiarum, ita quòd ipſorum poſſeſſores, à quibus propter faidimentum vel hæreſim fuerant avocata, eadem tenebant ab Eccleſiis antedictis, & ideo, ſi ea commiſerunt, non Domino Regi ſed potiùs ipſis Eccleſiis fuerant applicanda. Et idem dicebant de bonis mobilibus hæreticorum & faiditorum qui in terris & locis Eccleſiarum habebant domicilium, quæ ſimiliter videbantur ipſis Eccleſiis reſignanda. Pro parte verò Domini Regis è contrario dicebatur quòd hæc omnia ad ipſum jure regaliæ & majoris dominij pertinebant, & inſuper Comites Montisfortis retroactis temporibus ſine contradictione & lite hujuſmodi bona oc-

cupaverant & tenuerant jure ſuo; quin etiam confiſcationes hujuſmodi ſedis apoſtolicæ fuerant auctoritate firmatæ. Ad tollendam igitur hujus materiam querimoniæ fuit inter Prælatos & rectores Eccleſiarum Narbonenſis provinciæ infraſcriptos ex parte una, & Guidonem Fulcodij Clericum Domini Regis ex altera, ſalva ejuſdem Domini Regis voluntate tractatum quòd ſi ex nunc bona alicujùs perſonæ ob faidimentum vel hæreticam pravitatem confiſcari contigerit in domaniis vel feudis vel retrofeudis Eccleſiarũ dictarum, bona omnia mobilia ſint Domini Regis in ſolidum, immobilia verò quæ ab Eccleſia tenebuntur in feudum vel emphytheoſim ſeu cenſivam, vel de ipſorum juriſdictione erunt, ad Dominum Regem & ipſas Eccleſias æquis pertineant portionibus; ita tamen quòd rector Eccleſiæ à quo poſſeſſiò confiſcata tenebitur dicto modo, poſſit infra duos menſes poſt confiſcationem partem Domino Regi competentem ſibi & ſuæ Eccleſiæ retinere refuſo juſto pretio Domino Regi vel Seneſcallo ipſius. Cum quo ſiquidem Seneſcallo ſi de pretio convenire non poterit, ſtetur ſuper æſtimatione ejuſdem juramento trium perſonarum communiter electarum quæ in territorio in quo erit prædicta poſſeſſio legaliores poterint inveniri. Si verò infra duos menſes rector Eccleſiæ hoc facere noluerit vel nequiverit, extunc infra annum & diem Dominus Rex vel Seneſcallus ipſius dictam poſſeſſionem de manu ſua eicere & in perſonam idoneam teneatur ſine difficultate transferre, quæ pro eadem faciat Eccleſiæ quod poſſeſſor priſtinus faciebat ſeu facere tenebatur. Dicimus autem perſonam idoneam, quę ſimilis ſit conditionis priſtino poſſeſſori; adeo ut ſi illę erat ruſticus vel burgenſis, poſſeſſionem hujuſmodi Domino Regi vel Seneſcallo ſuo transferri non li-
Digitized by Google

ceat in locum religioſum vel eccleſiaſticam militarémve perſonam. Quòd ſi infra annum & diem hujuſmodi poſſeſſio de manu Domini Regis ejecta non fuerit ſecundùm formam ſuperiùs aſſignatam, liceat ex tunc Eccleſiæ ſub qua erit, eam ſua auctoritate apprehendere & ſine cujuſque contradictione tenere, & fructus ſuos facere & lucrari, donec fuerit in aliam perſonam tranſlata ſicut ſuperiùs eſt expreſſum. Excipimus autem à prædictis, quòd ſi caſtrum aliquod, villa, vel burgus Eccleſiæ, ſicut interdum contigit, contra Dominum Regem & Eccleſiam rebellaverit, nulla fiat Domino Regi confiſcatio ex hac cauſa; ſed ſubacta contumacia rebellantis, jus ſecum integrum ad Eccleſiam revertetur, ne delictum ſubditorum in damnum redundet Eccleſiæ innocentis. De bonis verò mobilibus à Domino Rege vel ſuis hac de cauſa hactenus occupatis Dominus Rex nihil reddere teneatur. De immobilibus verò ante hanc diem commiſſis, quæ Dominus Rex ad manum ſuam habet & tenet, ſevetur forma ſuprascripta de bonis in poſterum committendis. De iis verò quæ in alios tranſtulit actum eſt quòd Dominus Rex velit & mandet quòd ab Eccleſia teneantur quæ priùs tenebantur ab ipſa; & ſi ab iis in quos ea tranſtulit homagium vel fidelitatem pro ipſis recepit, ab eis eoſdem abſolvat. Ab hac autem compoſitione excipiuntur Eccleſiæ quæ cum Domino Rege vel patre ejus ſpecialem ſuper iis pacem habent. Excepit etiam dictus Guido Fulcodij nominatim quicquid de Baronia quondam Vicecomitis Biterrenſis, de iis ſcilicet quæ ad manum ſuam Vicecomites tenebant, Dominus Rex modò tenet: pro quibus, ſi ea conſtaret eſſe de feudo Eccleſiæ, Dominus Rex in vicem fidelitatis, quam eum non decet alicui facere, recompenſationem Eccleſiæ faciat com-

petentem, & bona hujuſmodi penes Dominum Regem remaneant in perpetuum pleno jure. Retinuit etiam Guido Fulcodij quòd ſi poſſent in poſterum litteræ ſedis apoſtolicæ reperiri, vel Legatorum ejuſdem, vel Prælatorum provinciæ Narbonenſis, per quas conſtaret in bonis hujuſmodi Dominum Regem pinguius & plenius jus habere, ſalvum ei & ſucceſſoribus remaneat, compoſitione hujuſmodi non obſtante. Verſa vice proteſtati fuerunt Prælati prædicti quòd per hanc compoſitionem nec ſe nec caſtra ſua vel villas vel loca alia Eccleſiarum ſuarum Domino Regi ſubiciunt aut ſupponunt, nec aliquod ei jus novum ex hac compoſitione dare intendunt.

XVI.

Innocentij Papæ IV. epiſtola ad ſanctum Ludovicum Regem Francorum in gratiam Archiepiſcopi Narbonenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Regi Franciæ illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noſter Archiepiſcopus Narbonenſis conqueſtione monſtravit quòd nobilis vir Amalricus Vicecomes Narbonenſis, fidelitatis & homagij vinculo, quo tenetur eidem Archiepiſcopo & ejus Eccleſiæ, vilipenſo, ipſum majoribus juſticiis terræ ſuæ, in quarum poſſeſſione prædeceſſores ejus & ipſe fuerunt longo tempore, pro ſua ſpolians voluntate, homines ejus capere & incarcerare ac diverſimodè in jura ejus obrepere non abſ-

que juris injuria non veretur, aliàs ipſum & Eccleſiam ſuam multipliciter moleſtando. Quia verò ad dignitatem pertinet regiam Eccleſias & perſonas eccleſiaſticas defenſare, celſitudinem tuam rogamus & hortamur attentè quatinus conſiderato clementer devotionis conſtantiam quam idem Archiepiſcopus & prædeceſſores ejus, qui fuerunt pro tempore, ad te tuóſque progenitores habuiſſe noſcuntur non abſque multis oneribus expenſarum, manutenens eundem Archiepiſcopum & ejus Eccleſiam ac defendens, non permittas ipſum & ejus Eccleſiam à prædicto A. ſeu quolibet alio indebitè moleſtari, moleſtatores eorum, ſi qui fuerint, poteſtate tibi cœlitus tradita compeſcendo, quin etiam compellendo præfatum A. quòd eidem Archiepiſcopo de illatis injuriis ſatisfactionem exhibeat competentem, & ab ipſius moleſtatione ſuper præmiſſis & aliis de cetero penitùs conquieſcat. Datum Lugduni III. Kal. Iunij, pontificatus noſtri annó quarto.

XVII.

Bulla Innocentij IV. qua declarat Inquiſitores hæreticæ pravitatis nihil agere debere abſque Archiepiſcopo Narbonenſi. alioqui perperam & fruſtra agere id quod agunt.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Abbati ſancti Jacobi Biterrenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noſter Archiepiſcopus Narbonenſis

bonenſis petitione monſtravit quòd cùm fratri Petro Duranti ordinis Prædicatorum ejúſque collegis tunc Inquiſitoribus pravitatis hæreticæ à ſede apoſtolica in Narbonenſi provincia deputatis expreſsè injunctum fuerit ab eadem ſede ut tam in abſolvendo, vel reconciliando, quàm etiam condemnando illos quos de pravitate prædicta reos eſſe conſtaret, procederent de ipſius Archiepiſcopi conniventia & aſſenſu, iidem Inquiſitores circumventi à Petro de Cugunhano Milite Narbonenſis dioceſis, mandati formam perperam excedentes, ipſum, quem per inquiſitionem invenerant vitio prædicto reſperſum, eodem irrequiſito Archiepiſcopo de facto abſolvere in ſcandalum Cleri & populi & derogationem orthodoxæ fidei præſumpſerunt. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi eſt ita, prædictorum Inquiſitorum proceſſum, quatenus de facto proceſſit, legitimè auctoritate noſtra revocans, in eodem negotio juxta formam datam eiſdem Inquiſitoribus procedere non omittas, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Lugduni III. Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XVIII.

Innocentij IV. epiſtola ad Epiſcopum Carcaſſonenſem, qua revocat privilegium Vicecomitiſſæ Narbonenſi conceſſum adversùs interdictum eccleſiaſticum.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Epiſcopo Carcaſſonenſi ſa-

lutem & apoſtolicam benedictionem. Eſt nobis ſollicitè præcavendum ne prætextu noſtræ gratiæ contempnatur murus eccleſiaſticæ diſciplinæ. Cùm igitur, ſicut venerabilis frater noſter Archiepiſcopus Narbonenſis expoſuit coram nobis, Capellam ſitam in palatio nobilis viri A. Vicecomitis Narbonenſis exigente juſtitia eccleſiaſtico ſuppoſuerit interdicto, nóſque dicamur nobili mulieri Philippæ uxori Vicecomitis ejuſdem licentiam indulſiſſe audiendi divina in ipſa Capella & locis aliis interdictis, quia id, ſicut idem Archiepiſcopus aſſerit, abſque quodam ſcandalo & contemptu ſuíque injuria fieri non valeret, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus in Capella prædicta & locis aliis interdictis non permittas divina officia celebrari, aliqua ſedis apoſtolicæ indulgentia cuivis ſub quacunque forma ve . . . . conceſſa, etiamſi de ipſa mentionem haberi oporteat in præſentibus, non obſtante, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Lugduni III. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno octavo.

XIX.

Epiſtola Innocentij IV. ad Blancham Francorum Reginam in gratiam Archiepiſcopi Narbonenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimæ in Chriſto filiæ Reginæ Franciæ illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm,

Digitized by Google

ſicut venerabilis frater noſter Narbonenſis Archiepiſcopus in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus, cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciæ Rex illuſtris, tanquam verus Eccleſiæ zelator, honoris & fidei conſervator, volens contra contemptores clavium ſalubre remedium adhibere in partibus Narbonenſibus, deliberatione duxerit provida ſtatuendum, & per Ballivos ſuos firmari fecerit juramento, ut bona illorum qui per annum in excommunicatione contumaciter perduraverint, ſaiſiantur per Ballivos eoſdem, & teneantur tamdiu quouſque præfati excommunicati plenariè ſatisfecerint ſuper iis pro quibus excommunicatio in eos lata extiterit & fuerint abſoluti, ſerenitatem tuam rogamus & hortamur attentè quatinus bona nobilis viri A. Vicecomitis Narbonenſis, qui in excommunicatione lata in eum per eundem Archiepiſcopum per annum & ampliùs perſtitit animo contumaci, ſaiſiri facias juxta Statutum hujuſmodi & teneri; preces noſtras taliter admiſſura, quòd geſtorum honeſtium tui nati comproberis diligens executrix, & à nobis non immeritò commenderis. Datum Lugduni VIII. Idus Decembris, pontificatus noſtri annò octavò.

Innocentius IV. commemorans legem ſancti Ludovici adversùm excommunicatos, reſpicit ad Præceptum ejus datum anno MCCXXVIII. *quod à nobis editum eſt inter Additiones ad tomum primum de concordia ſacerdotij & imperij.*

XX.

Electio arbitrorum pro componendis diſſidiis quæ erant inter Archiepiſcopum & Vicecomitem Narbonenſem.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN nomine Domini. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, regnante Rege Lodoyco, VIIII. Kal. Auguſti. Manifeſtum ſit præſentibus & futuris quòd cùm Dominus Guillelmus Dei gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Dominum Amalricum Dei gratia Vicecomitem Narbonenſem ſententia excommunicationis innodaſſet pro pluribus & diverſis offenſis quas ſibi intulerat, ut dicebat, ſuper quibus capitula diverſa reddiderat Raimundo Bedocio & Raimundo Petro & Guillermo Rainaudi & Ymberto de Stabulo, prout continetur in quadam ſedula papiri, & dictus Dominus Amalricus abſolutionis beneficium à dicto Domino Archiepiſcopo peteret impertiri, & dictus Dominus Atchiepiſcopus diceret quòd prædicta facere non debebat, niſi illa ſibi reſtitueret de quibus fuerat ſpoliatus, & primò ſatisfaceret in his in quibus injuriatus fuerat eidem; cùm ſuper prædictis inter partes exorta fuiſſet diſcordia de omnibus ſupradictis & ſingulis capitulis in dicta ſedula ſcriptis, & de iis quæ fuerunt facta à tempore citra quo Domina Regina Franciæ ſcripſit Domino Seneſcallo Bellicadri & Nemauſi & Domino Epiſcopo Tholoſano, prædictus Dominus Archiepiſcopus ex una parte & dictus Dominus Amalricus ex altera

Digitized by Google

compromiſerunt unanimiter in Raimundum Bedocij & in Raimundum Petri & in Guillelmum Rainaudi & in Imbertum de Stabulo, tanquam arbitros ſeu arbitratores ſeu amicabiles compoſitores à partibus communiter electos, ſub pœna mille librarum . . . . à parte parti ſtipulata & promiſſa: qua etiam pœna commiſſa & præſtita, dictum dictorum arbitrorum ſeu arbitratorũ in ſua remaneat firmitate. Et fuit ſpecialiter actum quòd dicti arbitri ſeu arbitratores omnia ſupradicta capitula, & ea quæ poſtea fuerunt noviter facta, poſſint terminare jure, amore, vel amicabili compoſitione, vel propria voluntate, ſervato juris ordine vel penitùs prætermiſſo. Fuit etiam ſpecialiter actum inter partes quòd omnia & ſingula quæ dicti quatuor arbitri concorditer dixerint vel pronuntiaverint, dictæ partes teneantur obſervare. Si autem diſcordes eſſent, quòd Dominus Raimundus Dei gratia Epiſcopus Tholoſanus & Guillelmus de Piano Miles Seneſcallus Carcaſſonæ & Biterris ſint loco quinti. Et quidquid ipſi duo cum prædictis quatuor vel duobus prædictorum dixerint ſeu ſtatuerint, vel quocunque alio modo ordinaverint, partes teneantur ſervare ſub pœna prædicta. Promiſerunt etiam prædictæ partes venire ad diem & ad dies, ad locum vel loca, eis per dictos arbitros aſſignata. Et debent prædictæ partes reddere pignora & dare fidejuſſores pro dicta pœna ad voluntatem & cõmonitionem dictorum arbitrorum. Fuit etiam actum quòd prædicti arbitri de prædictis quæſtionibus poſſint ſimul vel ſeparatim una die vel pluribus terminare. Et omnia ſupradicta promiſerunt ambæ partes attendere & complere ſub pœna prædicta. Pro Domino Guillelmo Narbonenſi Archiepiſcopo & in animam ejus juravit Dominus Petrus Archidiaconus major Narbonenſis. Et pro Do-

Digitized by Google

mino Amalrico & in animam ejus juravit Guillelmus de Bajano Iuriſperitus. Ipſis præſentibus & mandantibus. Et renuntiaverunt omni juri & feriis omnibus. Fuit etiam ſpecialiter actum inter partes quòd per aliqua prædictorum non fiat aliquod præjudicium alicui partium, quoad proprietatem. Horum omnium ſunt teſtes Bernardus de Villanova Miles, Stephanus Ihoanini Sacriſta Eccleſiæ S. Juſti, Petrus Chriſtophori judex Curiæ Biterris Domini Regis, Raimundus Reſplandis Archidiaconus Leſathenſis, Raimundus de Liciaco Preſbyter, Michael Notarius Domini Epiſcopi Tholoſani, Ermengaudus de Podio, Petrus Archidiaconus major Narbonenſis prædictus, Guillelmus de Bojano ſupradictus, & Petrus Grandis publicus Biterris Notarius, qui rogatus à prædictis hæc ſcripſit, & ſignum ſuum appoſuit.

Anno à nativitate Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, Nonas Auguſti, comparuerunt Dominus Guillelmus Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus & Dominus Amalricus Dei gratia Vicecomes Narbonæ coram Domino Raimundo Epiſcopo Dei gratia Tholoſano, & coram Domino Guillelmo de Piano Milite Seneſcallo Carcaſſonæ & Biterris, & coram Raimundo Bedocio, & Raimundo Petro, & Guillelmo Rainaudo, & Ymberto de Stabulo, arbitris ſeu arbitratoribus; & poſt varios tractatus, prædicti arbitri de conſenſu partium unanimiter ita ordinaverunt ſicut inferiùs ſequitur. Aſſignaverunt enim diem partibus ad comparendum & ad procedendum ſuper præmiſſis in Octabis S. Michaelis, & locum apud Narbonam. Et cùm in compromiſſo à partibus in eos facto non fuerit appoſita dies, nunc de novo, de expreſſo conſenſu partium, ita adjecerunt & ſtatuerunt, quòd ſi in aſſi-

Digitized by Google

gnata die non intereſſent aliquo caſu contingente, vel aliquis ipſorum, quòd poſſint diem illam prorogare uſque ad quindecim dies & ad plus uſque ad feſtum omnium ſanctorum proximè venturum. Alioquin ſi arbitri non intereſſent, vel aliquis ipſorum, vel hoc negotium non eſſet terminatum; ex tunc prædicti arbitri concorditer partes ab hoc compromiſſo abſolvunt, ita quòd ex tunc hoc compromiſſum in eos à partibus factum nullas habeat vires. Et præceperunt quòd interim nullæ novitates ab aliqua partium fiant. Et ſi fierent, vel quæ factæ ſunt à tempore compromiſſi citra, revocentur ad cognitionem & arbitrium dictorum Raimundi Bedocij, Raimundi Petri, Guillelmi Rainaudi, & Ymberti de Stabulo. Quibus quatuor dictus Dominus Epiſcopus & Dominus Seneſcallus commiſerunt vices ſuas de partium voluntate ſuper revocandis novitatibus factis & faciendis. Hujus rei ſunt teſtes Petrus Archidiaconus major Narbonenſis, Bernardus Guitardi, Bernardus de ſancto Stephano, Petrus Boërij, Guiraudus de Narbona, Guillelmus de Bojano, Bernardus Tranſvila, Magiſter Jacobus Abbas ſancti Affrodiſij, & Petrus Grandis publicus Biterris Notarius, qui rogatus à prædictis hæc ſcripſit, & ſignum ſuum appoſuit.

XXI.

Gravamina Eccleſiæ Narbonenſi illata ab Amalrico Vicecomite Narbonenſi.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

GUILLELMUS Dei gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus dilecto ſibi in Chriſto per eandem Abbati Caunenſi ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Cùm Nobilis vir Amalricus Vicecomes Narbonenſis multas & graves injurias nobis & Eccleſiæ Narbonenſi, Abbati & Capitulo ſancti Pauli, & aliis Abbatis & Eccleſiis noſtræ diocesis, irrogaverit frequenter, & ſuper illis monitus diligenter & canonicè non curaverit emendare, & propter hoc ipſum, conſiliarios, & fautores ipſius excommunicationis ſententia innodaverimus juſtitia exigente, nec à malis deſiſtens, ſed accumulans pejora prioribus, nos & Eccleſias prædictas aggravare de novo non metuens, juriſdictionem noſtram & Eccleſiarum prædictarum uſurpans, & quantum eſt in ipſo, enervare intendens, poſt præfatam ſententiam latam in ipſum quoſdam homines juriſdictionis noſtræ & Eccleſiarum prædictarum occaſione juſtitię ſanguinis & adulterij cepit per ſe vel ſuos injuſtè, & in curia ſua detinuit, & quoſdam juſtificavit, quoſdam compulit ad dandam ſibi pecuniæ quantitatem, videlicet Raimundum Landricum, à quo occaſione ſanguinis habuit ſexaginta ſolidos, item quendam alium qui captus fuit pro furto in domo Guillielmi Bernardi de Stabulo, quem fecit fuſtigari, item Martinum textorem, quem fecit præconizari, extorquens poſtmodum ab eo quinquaginta ſolidos Melgorienſes, & quoſdã

alios in eundem modum. Item Corbariam macellatorem, à quo occaſione adulterij extorſit triginta & quinque ſolidos Melgorienſes. Item Poncium Fabri, à quo occaſione prædicta extorſit quinquaginta ſolidos Melgorienſes. Item Bertrandum Monderij, à quo occaſione dicta extorſit viginti & ſex ſolidos Melgorienſes, & quoſdam alios in eundem modum. Item quaſdam minores juſtitias ad nos & prædictas Eccleſias pertinentes invadit, & impedit, ac quantum in eo eſt ſibi appropriare intendit, & à quibuſdam hominibus pecuniam extorſit, videlicet à Bernardo Gaucelini paradore viginti ſolidos, à Pradellis de ſancto Antonino centum ſolidos, & à quibuſdam aliis in eundem modum. Item inhibuit ne in feudis & terris quæ tenentur à nobis extra muros civitatis & burgi Narbonenſis & Capitulo ſancti Juſti, & Abbate & Capitulo ſancti Pauli, ullus ædificet, & ædificatores, qui ibi erant, fecit expelli. Item libertatem noſtram, hominum noſtrorum & Eccleſiarum prædictarum noſtrarum invadens, homines quos nos habebamus apud Cuthciacum, & homines quos prædictæ Eccleſiæ habebant extra Narbonam, talliavit, & certam ab eis ſummam pecuniæ extorſit. Item inhibet hominibus caſtrorum noſtrorum & prædictarum Eccleſiarum ne animalia eorum utantur paſcuis & aquis caſtrorum ſuorum, cùm ſemper iis uſi fuerint ab antiquo. Item contradicit reddere P. Guinar hominem noſtrum de Caneto, qui citatus propter furtum aufugit de Caneto apud Geneſtars. Item bannivit & amparavit, in operatoriis ſcilicet pontis, res quaſdam quæ ſunt de juriſdictione noſtra. Item juriſdictionem noſtram invadens appropriavit ſibi pœnam illorum qui committunt in leudam, & extorſit à multis pecuniariam pœnam, quæ debet eſſe communis; videlicet à P. Bonifacij de Montepeſ-

ſulano centum ſolidos, item à Raimundo Rubeo viginti ſolidos, & ab aliis in eundem modum. Item cùm nundinæ Narbonenſes ſint communes inter nos & ipſum, facit & apponit bannimenta per ſe in nundinis antedictis, irrequiſitis Bailivis noſtris; & aliqua quæ per unam Curiam banniuntur, alteri non licet diſbannire. Item cùm piſcationes quæ fiunt à paxeria pontis inferiùs uſque ad paxeriam molendinorum de Filo, ſint noſtræ, ipſe prohibuit vel prohiberi fecit ne ibi noſtro nomine piſcaretur. Item fecit & facit piſcari bruginam in ſtagno in præjudicium noſtrum, cùm exeat in plagiam noſtrã, & recepit & recipit inde cenſum in diminutionẽ noſtræ juriſdictionis. Item fecit ſibi recognoſci apud Narbonam feuda qnædam quæ à nobis tenentur immediatè, videlicet Capitolium, & quædam uſatica quæ fuerunt olim Dominæ Nigræ, quæ modò liberi R. Iohannis & fratris ejus P. Stephani tenent, & quædam alia in eundem modum, in noſtrum præjudicium & gravamen. Item prohibuit & prohibet Notariis qui ſunt in Narbona & extra, facientibus inſtrumenta nuptialia, teſtamentorum, & alia, ne ipſa redigant in publicam formam ſine ſubſcriptione nominis ſui, quam de novo apponi præcepit, cùm longiſſimo tempore ſit obſervatum quòd fiebant cum ſubſcriptione nominis Archiepiſcopi, & non ipſius. Item cùm nos majus dominium habeamus in Narbona, idem Amalricus diminuere intendens juriſdictionem noſtram, de novo in ſuis litteris & ſuo ſigillo ac inſtrumentis publicis quæ per Notarios publicos fiunt intra Narbonam & extra, vocari ſe facit Dominum Narbonenſem, in noſtrum præjudicium & gravamen. Item idem Amalricus in diminutionem juriſdictionis noſtræ fecit bis teneri campum de Sarracenis venalibus & aliis quibuſdam re-

bus. de quo campo habuit quinque milia ſolidorum & ampliùs. Qui campus debet eſſe communis. Item juriſdictionem eccleſiaſticam quantum in ipſo eſt enervans, prohibuit per Eccleſias civitatis & burgi Narbonenſis & alias multas Eccleſias noſtrę diœceſis, eò quòd exigentibus culpis ſuis excommunicabatur, hominibus & mulieribus diebus ſolemnibus & aliis ne offerrent, clavibus ſanctæ Eccleſiæ faciens quodammodo contraclavem. Et in hoc damnificavit dictas Eccleſias in magna pecunię quantitate. Item in contemptum noſtrum & Eccleſiæ, qui plantare debemus & evellere juxta evangelicam veritatem, Bernardum de Ripariá Capella ſui palatij & ejus redditibus ſpoliavit, eò quòd interdictum in ipſa Capella à nobis legitimè poſitum obſervabat. Item idem Amalricus in ipſa Capella, ſpreto noſtro interdicto, fecit aliquandiu in ſalutis ſuæ præjudicium divina officia prophanari. Item idem Amalricus in præjudicium noſtrum & totius terræ, contra canonicas ſanctiones & ſententiam Domini Papæ, in ponte de Berra impoſuit pedagium novum. Item fecit tranſitum modò de novo navis ſuæ ſuper feudum noſtrum de Boſqueto, in magnum damnum feudatariorum & præjudicium noſtrum. Item tempore quo quondam Comes Tholoſanus guerram fecit ultimò Eccleſiæ & Regi Franciæ, idem Amalricus ab hominibus Capituli Narbonenſis & Abbatis & Capituli ſancti Pauli & aliarum Eccleſiarum noſtræ diœceſis magnam extorſit pecuniæ quantitatem. Item injuriatur nobis & Capitulo noſtro occupando quendam manſum ipſius Capituli qui eſt in Villa-nova, & inhibendo ne idem Capitulum claudat quendam campum quem habet ad portam regiam. Item idem Amalricus in derogationem libertatis eccleſiaſticæ extorquet & accipit ab hominibus quos habet Capitulum ſancti Ju-

ſti apud Cuthciacum, albergam decem Militibus, & à quodam Bajulo & à quibuſdam hominibus dicti Capituli extorſit quandam pecuniæ quantitatem. Idem etiam fecit ab hominibus Abbatis & Capituli ſancti Pauli & aliarum Eccleſiarum diœceſis noſtræ. Item in burgatis noſtris, & in burgatis Abbatis & Capituli ſancti Pauli, nititur capere homines, & res eorum bannire, & forisfacta quę fuerint in viis publi- & de nocte in juriſdictione ipſorum, nititur ſibi uſurpare in magnam Eccleſiæ læſionem. Cùm igitur hæc omnia & multò plura fecerit & faciat in noſtrum & prædictarum Eccleſiarum præjudicium & gravamen, & ea non poſſimus ulteriùs conniventibus oculis prę-terire, cùm error cui non reſiſtitur approbetur, prę-ſentium vobis auctoritate diſtrictè præcipiendo mandamus quatinus ad præfatum nobilem perſonaliter accedentes, teſtibus idoneis adhibitis, noſtras litteras continentes prædicta gravamina reddatis eidem, requirentes eum & monentes ex parte noſtra nihilominus viva voce ſuper ſingulis ſpecialiter vel ſaltem in genere quòd prædicta non differat emendare, & quòd ſimilia vel pejora de cetero facere non præſumat. Alioquin, cùm non ſit deferendum homini contra Deum, juſtitia mediante vigorem eccleſiaſticum exercere curabimus in eundem. Datum Narbonæ XIIII. Kal. Martij anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo.

Eodem anno quo ſuprà, XIII. Kal. Martij, nos frater P. Abbas Caunenſis auctoritate dicti mandati apud Corcianum perſonaliter accedentes, invenientes ibidem dictum nobilem Amalricum, eundem ex parte dicti Domini Archiepiſcopi requiſivimus & monuimus diligenter ſuper omnibus prædictis gravaminibus emendandis, tradentes eidem aliam cartam per alphabetum cum iſta & continentem omnia

gravamina ſupradicta. Actum fuit hoc præſentibus Centullo Priore de Laurano, Bernardo Capellano Eccleſiæ de Caunis, Bernardo Preſbytero de Corciano. Et ad majorem prædictorum omnium firmitatem, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum.

XXIII.

Bulla Innocentij IV. qua confirmat ſententiam excommunicationis à Guillelmo Narbonenſi Archiepiſcopo latam adversùs Amalricum Vicecomitem.

Ex eodem archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati ſancti Iacobi, Archidiacono Biterrenſi, & Priori de Caſſiano Biterrenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venerabilis frater noſter Narbonenſis Archiepiſcopus nobis humiliter ſupplicavit ut excommunicationis ſententiam, quam idem in Amalricum Vicecomitem Narbon. pro eo quòd ſpreto fidelitatis & homagij juramento, quo ſibi tenetur, portas palatij ſui, eo exiſtente Narbonæ, fecit à quibuſdam armatis in ipſius contemptum & injuriam cuſtodiri ad ſcutiferos & aliam ſuam familiam capiendos, & quòd civibus Narbonenſibus inhibuit ne ipſi de feudis quæ tenent ab Eccleſia Narbonenſi reſpondeant, nec ab eo ſe ipſa tenere, ſicut prædeceſſores ſui recognoverunt, aliquatenus recognoſcant, & quòd quondam Petrum de Beſauduno, in quem ſpiritualem & temporalem idem Archiepiſcopus juriſ-

dictionem habebat, propria temeritate ſuſpendi, & quoſdam alios, in quos juriſdictionem obtinet ſimilem, capi fecit & adhuc detinet carceri mancipatos in ipſius præjudicium & gravamen, & pro nonnullis aliis exceſſibus ab ipſo commiſſis, cùm præmiſſa omnia ſint adeo notoria quòd non poſſunt aliqua tergiverſatione celari, auctoritate propria exigente juſtitia promulgavit, robur faceremus debitum firmitatis habere. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſententiam ipſam, ſicut rationabiliter eſt prolata, faciatis auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter obſervari. Quòd ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Lugduni VI. Idus Novembris, pontificatus noſtri anno ſexto.

XXIII.

Litteræ Guillelmi Archiepiſcopi Narbonenſis adversùs Amalricum Vicecomitem.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

GUILLELMUS Dei gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus dilectis in Chriſto B. Mercerij & P. de Caneto Clericis Eccleſiæ ſancti Juſti Narbonenſis ſalutem in Domino. Olim circa nobilem virum Amalricum Vicecomitem Narbonenſem quæ corrigentis & medentis ſunt proſequi cupientes, ſperavimus quòd per excommunicationum ſententias, quas in ipſum exigentibus culpis

ſtiis promulgavimus, ipſius infirmitatis tenebroſitas curaretur, quando ab hujuſmodi ſententiis fuit per nos communioni fidelium reſtitutus. Sed ecce, præteritarum culparum non immemor, culpas culpis accumulans, multa contra nos & in gravamen noſtrum & Eccleſiæ Narbonenſis poſt abſolutionem hujuſmodi committere noviter attentavit. Fecit ſiquidem in nundinis Narbonenſibus removeri vexillum noſtrum, quod ibi poſueramus ad ſignandum quòd juriſdictio nundinarum & leuda communis eſt nobis & ſibi, cùm ipſe ibidem vexillum aliud poſuiſſet. Item compellit vel facit compelli homines noſtræ juriſdictionis litigare in curia ſua, occaſione cujuſdam renuntiationis quam Notarij ſui noviter ponunt in inſtrumentis, in quibus contrahentes renuntiant foro ſuo, cùm talis renuntiatio in noſtrum præjudicium fieri non valeat ullo jure. Item compulit & compelli fecit Clericos tonſoratos expreſsè renuntiare beneficio clericali, illos videlicet quibus commiſit officium Notariæ. Item inhibuit & inhibet, ſeu inhiberi fecit & facit, quòd Clerici in ſuo poteſtativo non emant alodia, empta occupari faciens donec ipſi Clerici ſe redemerint aliqua pecunię quantitate. quod ab olim cuilibet licuit & licet ſecundùm uſum & conſuetudinem hujus terræ, etiam Judæis. Item inhibuit & inhibet, ſeu inhiberi fecit & facit Notario noſtro, quem ad conficienda inſtrumenta teſtamentorum & nuptiarum & aliorum contractuum noſtræ juriſdictionis creavimus, ne in ipſis inſtrumentis publicum Notarium ſe ſubſcribat. quod per tales Notarios, qui pro tempore fuerunt, hactenus obſervatum extitit & ſervatum. Item fecit domum conſtrui noviter, & ſuum ſignum ibi depingi, ubi leuda communis nobis & ſibi hactenus recipi conſuevit. quod non eſt dubium in noſtrum

præjudicium redundare. Item abſtulit vel auferri fecit Priori Eccleſiæ beatæ Mariæ de burgo Narbonenſi , ad querimoniam quam ſibi exponebant de ipſo Priore quidam Judæi , quandam quantitatem vindemiæ , licèt idem Prior offerret ſe paratum in noſtra curia ſtare juri. Item extraxit vel extrahi fecit de quadam domo noſtræ juriſdictionis quinque equos Boteri mercatoris de ſancto Antonino , qui cum ipſis Narbonæ in noſtra juriſdictione fuerat hoſpitatus. Item occupavit & detinet occupatam in noſtrum præjudicium baſtidam quandam Johannis Biſtani , quæ dicitur de Gaſqueto , cum honoribus ſuis , & quædam alia bona ipſius Johannis Biſtani, quæ ſunt de feudo & juriſdictione noſtra & Eccleſiæ Narbonenſis , & illa non vult reſtituere gadiatoribus ipſius Johannis Biſtani. propter quod etiam teſtamenti ipſius executio impeditur. Item bandivit ſeu bandiri fecit quaſdam barcas oneratas blado exiſtentes in Atace in juriſdictione noſtra & Eccleſiæ Narbonenſis. Item prohibet vel prohiberi facit ne beſtiarium caſtri noſtri de Sejano intret terminalia caſtri de Lacu , ſicut hactenus liberè conſuevit. Propter quod etiam vulnerari fecit quoſdam noſtros homines de Sejano. Item non complet nec complere vult quod Dominus Epiſcopus Biterrenſis & Guido Fulcodius ſibi nuper per ſententiam præceperunt ſuper Capitolio promulgatam ; nec reſtituit nec vult reſtituere pecuniæ quantitates in quibus per dictos Epiſcopum & Guidonem Fulcodium fuit nobis & Capitulo Narbonenſi ſententialiter condemnatus. Item inhibet vel inhiberi facit noſtris Notariis ad conficienda inſtrumenta teſtamentorum & nuptiarum per Narboneſium conſtitutis ne ſe in eis ſubſcribant ſicut retroactis temporibus ſecundùm uſum antiquum & conſuetudinem ſubſcripſerunt. Quoniam

niam igitur tot & tanta gravamina, in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ præjudicium attentata, ſalva conſcientia non poſſumus, ſicut nec debemus, conniventibus oculis pertranſire, vobis in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus quatinus ad curiam ſeu palatium memorati Vicecomitis perſonaliter accedentes, eundem, ſi præſens eſt, & ejus officiales, qui ad prædicta gravamina inferenda conſilium vel auxilium præſtiterunt, ex parte noſtra diligentiùs moneatis & efficaciter requiratis ut prædicta omnia taliter revocent & emendent quòd contra ipſos aliter procedere non cogamur. Alioquin, ſi præfatus nobilis non ſit præſens, prædictos officiales tam nomine ſuo quàm nomine ejuſdem Vicecomitis ad revocanda & emendanda prædicta omnia nihilominus moneatis. Datum Narbonæ II. Nonas Decembris, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo.

Nos autem B. Mercerij & P. de Caneto ſupradicti, præceptis Domini Archiepiſcopi obtemperare volentes, ad curiam præfati Vicecomitis perſonaliter acceſſimus; ibique Guitardum Ermengaudi Judicem & B. Blanchardi Subvicarium prædictæ curiæ invenientes, officiales ejuſdem, qui ad prædicta gravamina inferenda conſilium vel auxilium præſtiterunt, tam nomine ſuo quàm nomine ipſius Vicecomitis, cùm non eſſet præſens, monuimus ad revocanda & emendanda omnia gravamina ſupradicta. Et cùm alias litteras ab iſtis per alphabetum diviſas, prædicta gravamina continentes, eidem Judici traderemus, & eas recipere recuſaret, in tabulario qui coram eo erat projecimus eaſdem. Quo facto, reſpondit ipſe Judex quòd non oportebat nos hujuſmodi monitiones facere; quoniam ſuper prima monitione locutum fuerat Domino Amalrico, qui ſuper ea

Digitized by Google

bonum dederat reſponſum. Actum eſt hoc Narbonæ, in curia prædicta, II. Nonas Decembris, anno Domini MCCLI. in præſentia & teſtimonio P. Raimundi Bedocij Vicarij curiæ Domini Archiepiſcopi, B. de Capitolio Preſbyteri, Johannis de Cruce Diaconi, B. de Bagis Juriſperiti, Stephani Bernardi. Et ad majorem horum omnium firmitatem ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda.

XXIV.

Acta Concordiæ initæ inter Guillelmum de Broa Archiepiſcopum Narbonenſem & Amalricum Vicecomitem operâ Raimundi Epiſcopi Biterrenſis & Guidonis Fulcodij anno MCCLI.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, regnante Rege Lodoyco, XI. Kal. Julij. Notum ſit univerſis quòd cùm Dominus R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius veniſſent Narbonam, ſuper quæſtionibus & rancuris quæ inter venerabilem Patrem Dominum G. Dei gratia Narbonenſem Archiepiſcopum & virum nobilem Dominum A. Nabonenſem Vicecomitem vertebantur, juxta formam ſibi traditam & conceſſam & laudatam à partibus proceſſuri, comparuerunt coram eis dictus Dominus Vicecomes & Bernardus Guitardi procurator, ut dicebat, Domini Archiepiſcopi memorati. Dictus verò Dominus Vicecomes procuratorem ſuum conſtituit Bernardum

Traſvila Juriſperitum in omnibus & ad omnia explicanda coram dictis Domino Epiſcopo & Guidone quæ idem Dominus Vicecomes facere deberet vel poſſet præſentialiter coram eis, quæ per eundem procuratorem fierent, vel cum eo, rata ſe habiturũ promittens. Hujus rei ſunt teſtes Fredolus de ſancto Johanne Archidiaconus Agathenſis, Guido Caputporci, Guillermus Bartholomęi, Ermengaudus de Podio, Guillermus Duranti Canonicus Magalonenſis, Guiraudus Catalani, Guillermus de Boiano, & ego Stephanus de ſancta Maria publicus Biterris Notarius, qui mandatus hæc ſcripſi. Et in eadem die prædictus Dominus Narbonenſis Archiepiſcopus procuratorem ſuum conſtituit Magiſtrum Bernardum Guitardi Canonicum ſancti Affrodiſij Biterrenſis in omnibus & ad omnia explicanda coram dictis Domino Epiſcopo & Guidone quæ idem Dominus Archiepiſcopus facere deberet vel poſſet præſentialiter coram eis, quæ per eundem procuratorem fierent, vel cum eo, rata ſe habiturum promittens. Et interfuerunt teſtes Guillermus Petri de Narbona, Raimundus Petri, Petrus Raimundi Bedocij, Bernardus Amoroſij, & ego Stephanus de ſancta Maria publicus Biterris Notarius, qui mandatus hæc ſcripſi.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, Rege Lodoyco regnante, VII. Kal. Julij. Notum ſit univerſis quòd cùm Pater venerabilis Dominus G. Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus in virum nobilem Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonenſem ex cauſis variis excommunicationis tuliſſet ſententiam ſeu ſententias, quas idem nobilis ſe appellatione legitima præveniſſe dicebat; tandem in præſentia virorum nobilium Dominorum Guidonis & Hervei de Caproria

fratrum & Militum, ac Domini Philippi Theſaurarij Eccleſiæ beati Hilarij Pictavienſis, in Dominum R. Dei gratia Tholoſanum Epiſcopum amicabiliter convenerunt. Sanè dicto negotio per eundem Dominum Tholoſanum Epiſcopum minimè terminato, placuit Domino Archiepiſcopo & Domino Vicecomiti ſupradictis in locum ejuſdem Domini Tholoſani Epiſcopi Dominum R. Dei gratia Biterrenſem Epiſcopum ſubrogari, data eidem Domino Biterrenſi poteſtate in forma ſubſcripta negotium terminandi. Cujus ſiquidem formæ tenor hic eſt, continens conventionem utramque. CUM olim ſuper quæſtionibus & rancuris quæ vertebantur inter Venerabilem Patrem G. Archiepiſcopum Narbonenſem ex una parte & nobilem virum Amalricum Dei gratia Vicecomitem Narbonenſem ex alia, dictus Dominus Amalricus ex variis cauſis ab ipſo Domino Archiepiſcopo vinculo excommunicationis fuiſſet innodatus, quædam ordinatio ſuper præmiſſis fuerit facta inter prædictos mediantibus viris nobilibus Dominis Guidone & Her. de Caproria Militibus fratribus & Domino Philippo Eccleſiæ beati Hilarij Pictavienſis Theſaurario, prout in quodam tranſcripto ſigillo venerabilis Patris Archiepiſcopi memorati munito pleniùs continetur, cujus tenor talis eſt. CUM Pater venerabilis Dominus G. Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus virum nobilem Dominum A. Vicecomitem Narbonenſem excommunicationis ſententia ex cauſis variis innodaſſet, quam tamen idem nobilis appellatione legitima ſe præveniſſe dicebat, nec de abſolutionis beneficio obtinendo poſſet dictus nobilis cum eodem Domino Archiepiſcopo convenire, tandem mediantibus viris nobilibus Dominis Guidone & Her. de Caproria Militibus fratribus & Domino Philippo Eccle-

ſiæ beati Hilarij Pictavienſis Theſaurario fuit ita finaliter ordinatum, quod Dominus Tholoſanus Epiſcopus perſonaliter Narbonam veniat aſſumptis Conſiliariis ſeu Aſſeſſoribus uno vel pluribus, prout ei placuerit; & inſpectis cauſis ex quibus excommunicatus eſt dictus Nobilis, vel commiſſis ab eodem vel ejus Vicario poſt excommunicationem prædictam, omnia quæ idem Epiſcopus ipſa rei evidentia manifeſta cognoverit, vel quæ ſibi dictus Dominus Archiepiſcopus de plano & ſine figura judicij faciat manifeſta, auditis in eadem forma defenſionibus Domini A. dictus Dominus Epiſcopus per Dominum A. prędictum & ejus Vicarium faciat protinus emendari. Quo facto, & ſuper iis quæ dubia remanebunt recepta à dicto nobili per Dominum Archiepiſcopum de ſtando juri idonea cautione, dictus Dominus Archiepiſcopus ſecundùm formam Eccleſiæ eundem nobilem & ejus Vicarium à ſuis ſententiis abſolvere teneatur; & cognitionem eorum quæ dubia remanebunt, committat in totum Domino Epiſcopo Tholoſano, nec commiſſionem revocet ſupradictam. Hanc autem formam dicti Dominus Archiepiſcopus & Dominus A. concorditer acceptarunt, eam ſervare in omnibus dicto Tholoſano Epiſcopo promittentes. In cujus rei teſtimonio præſentem paginam ſigillorum ſuorum munimine roborarunt, & ſigillis dictorum mediatorum roborari fecerunt. Datũ Tholoſæ anno Domini MCCXLIX. II. Non. Decembris.] Hoc EST tranſcriptum ordinationis prædictæ, quam nos G. Dei gratia ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus penes nos habemus ſigillis dictorum A. Vicecomitis, Guidonis & Her. de Caproria Militum fratrum, & Philippi Pictavienſis Theſaurarij ſigillatam. In cujus rei teſtimonio præ-

ſens tranſcriptum ſigilli noſtri munimine duximus roborandum.] TANDEM cùm per dictum Dominũ Epiſcopum Tholoſanum ſuper præmiſſis nihil fuiſſet finaliter expeditum, anno à nativitate Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, regnante Lodoyco Rege Francorum, IIII. Idus Januarij, apud Biterrim, ad inſtantiam Domini G. de Piano Seneſcalli Carcaſſonenſis & Biterris pro Domino Rege Francorum & multorum virorum proborum, voluerũt & conceſſerunt dictus Dominus Archiepiſcopus & Dominus A. Vicecomes Narbonenſis quòd procederetur ſuper præmiſſis ſecundùm formam prędictam, ſubrogato tamen Domino Epiſcopo Biterrenſi in locum Domini Epiſcopi Tholoſani per Dominum venerabilem Patrem Archiepiſcopum Narbonenſem de aſſenſu expreſſo & voluntate dicti Domini A. Vicecomitis Narbonenſis. His etiam additis, quòd idem Dei gratia Epiſcopus Biterrenſis perſonaliter Narbonam veniat, aſſumptis Conſiliariis ſeu Aſſeſſoribus uno vel pluribus, prout ei placuerit; & ſuper offenſis, occupationibus, violentiis, & novitatibus tam realibus quàm perſonalibus factis à Domino A. vel ſuis Archiepiſcopo memorato vel ſuis cum quatuor probis viris civibus Narbonenſibus, ſcilicet Ymberto de Stabulo, Guillermo Rainaudo, Raimundo Petro, Raimundo Bedocio, omni remota fraude & calumnia celeriter inquirat. Et quod illi quatuor concorditer dixerint eſſe manifeſtam offenſam factam Archiepiſcopo memorato, vel in hoc quod concorditer dixerint eſſe emendandum Domino Archiepiſcopo à dicto Domino A. & ſuis, vel revocandum ab ipſo Vicecomite vel ſuis, totum illud habeatur pro manifeſto. Et Dominus Epiſcopus Biterrenſis debet habere pro firmo & ma-

niſeſto dictum illorum, quantum ad reſtitutiones & revocationes novitatum ipſi Archiepiſcopo & ſuis faciendas. Et inſuper Dominus Epiſcopus debet pręcipere Domino A. juxta dictum illorum quatuor quòd reſſaſiat Dominum Archiepiſcopum, & revocet novitates in ejuſdem Domini Archiepiſcopi præjudicium attentatas. Si verò dicti quatuor in ſuis dictis diſcordarent, vel dubia dicerent, vel ſuper quæſtionibus inter partes ortis ad interrogationem vel inquiſitionem dicti Epiſcopi Biterrenſis per eos liquere non poſſet, dictus Archiepiſcopus poteſt & debet probare & manifeſtas facere violentias, ſpoliationes, & novitates in ſui præjudicium factas, infra ſex dies utiles poſtquam dictus Dominus Epiſcopus Biterrenſis Narbonam venerit cauſa inquiſitionis prædictæ faciendæ; die verò ſui introitus intra ſex dies prædictas non computata. Ea verò quæ infra prædictos ſex dies per ipſum Dominum Archiepiſcopum probabuntur, habeantur pro manifeſtis, quantum ad formam reſtitutionis faciendæ & novitatum revocandarum. Quibus reſtitutionibus & revocationibus ſuper præmiſſis factis, in continenti dictus Dominus Archiepiſcopus debet dictum Dominum A. & ſuos abſolvere juxta dictum Domini Epiſcopi Biterrenſis à ſententia ſeu ſententiis excommunicationum, à qua vel quibus per ipſum Dominum Archiepiſcopum ligatus fuerat vel annexus; præſtita tamen priùs à dicto nobili A. Vicecomite ſatisfactione idonea ſecundùm formam Eccleſiæ Archiepiſcopo memorato ſuper aliis dubiis & non manifeſtis offenſis ſeu novitatibus; ſuper quibus dictus Archiepiſcopus habeat tempus ad probandum uſque ad menſem poſt feſtum Paſchæ Domini proximè venientis coram Epiſcopo Biterrenſi ſæpedicto. Qui Dominus Epiſcopus Biterrenſis ex delegatione à di-

cto Archiepiſcopo ei facta debet inquirere, cognoſcere, & diffinire, & facere emendari. Et ſi fortè aliqua remanſerint quæ non fuerint infra præfixum terminum per dictum Dominum Epiſcopum Biterrenſem terminata, illa omnia mandata facta Domino Seneſcallo prædicto ex parte Domini Papæ & ex parte Dominæ Reginæ ſint in illo ſtatu in quo ſunt modò, quantum ad ea quæ per dictum Dominum Epiſcopum Biterrenſem non fuerint expedita. Fuit etiam actum inter partes & promiſſum eidem Domino Epiſcopo Biterrenſi à prędictis partibus ſub pœna ducentarum marcharum argenti ipſi Domino Epiſcopo Biterrenſi præſtanda, quòd neutra partium infra pręfixum tempus menſis Paſchæ Domini prædicti aliquam novitatem vel aliquas novitates faceret alteri parti. Et ſi fieri contigerit, & pars faciens novitatem vel novitates illud non emendaverit ad commonitionem & cognitionem ipſius Epiſcopi Biterrenſis, debet ſolvere ſine omni quæſtione dictam pœnam Epiſcopo Biterrenſi memorato. Pro qua pœna ſolvenda obligaverunt ſe dicto Domino Biterrenſi Epiſcopo pro parte dicti Domini Archiepiſcopi Narbonenſis Petrus Bedocius Vicarius de Capiſtagno, Raimundus Berengarius de Narbona, Petrus Caſtan, & quiſque tenetur in ſolidum ſine partis excuſatione. Et pro parte Domini A. obligaverunt ſe ad dictam pœnam præſtandam Domino Biterr. Epiſcopo, Bernardus Tranſvila, Bernardus de ſancto Stephano, & tenetur uterque in ſolidum ſine excuſatione partis. Acta fuerunt hæc apud Biterrim, in camera epiſcopali, in præſentia & teſtimonio ſupradicti Domini Guillermi de Piano Seneſcalli, Domini Jacobi Abbatis ſancti Affrodiſij Biterris, Domini Deodati de Bociacis, Johannis de Boiano, Ermengaudi de Podio, Stephani Johanini Sacriſtæ Narbonenſis, Ma-

Digitized by Google

giſtri Guillermi de Caucio, Guillermi de Boiano, & Petri Simonis publici Biterris Notarij, qui rogatus & mandatus à dictoDomino Archiepiſcopo & A. Vicecomite prędicto & aliis ſupradictis hęc omnia ſcripſit.] DEMUM cùm nec ſit negocium ſupradictum per dictum Dominum Biterrenſem Epiſcopum, qui diù & multùm in eodem juxta formam ſibi traditam laboravit, decidi potuerit ſeu etiam conſummari, placuit partibus in præſentia Sereniſſimæ Dominæ Blancæ Dei gratia Francorum Reginæ Pariſius conſtitutis Guidonem Fulcodium adici dicto Domino Epiſcopo Biterrenſi, & ambos procedere ad conſummationem negotij memorati juxta formam in præſentia ejuſdem Dominæ Reginæ condictam, cujus tenor hic eſt.] NOTUM ſit omnibus quòd cùm nos G. Narbonenſis Archiepiſcopus in virum nobilẽ Amalricum Vicecomitem Narbonenſem diverſis ex cauſis excommunicationum ſententias tuliſſemus, quas idem Vicecomes legitima appellatione ſe præveniſſe dicebat, quod nos minimè fatebamur, tandem poſt multos de ejus abſolutione tractatus in præſentia Sereniſſimæ Dominæ Blanchæ Dei gratia Reginæ Franciæ cum eo convenimus in hunc modum. Videlicet quòd ſuper cauſis excommunicationum & aliis ab eodem vel ſuis poſt ſententias prædictas commiſſis, & ſuper abſolutionis beneficio conferendo eidem, ſicut hæc omnia in forma tradita Domino Epiſcopo Biterrenſi pleniùs continentur, procedant ex nunc Dominus Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius ſecundùm formam in qua idem Epiſcopus ſolus procedere poterat & proceſſerat ex poteſtate ſibi nuper à nobis conceſſa, conſentiente in eum Vicecomite ſupradicto. Hæc tamen concedimus, ratis manentibus iis quæ per eundem Epiſco-

pum, ſeu coram eo, ſine Guidone Fulcodio acta ſunt, ſi dicti Epiſcopus & Guido ea de jure valere cognoverint. Alioquin per eos ſecundùm formam eandem ex integro procedatur. Sed etſi de jure valuerint, aliquid tamen ipſis Epiſcopo & Guidoni Fulcodio in eis ſupplendum videbitur vel etiam emendandum, de hoc plenam habeant poteſtatem. Dantes eiſdem nihilominus poteſtatem quòd diem & dies in prædicta forma contentos poſſint ex cauſis rationabilibus prorogare. Nos igitur Amalricus Vicecomes Narbonenſis hanc formam laudamus & acceptamus. Nos etiam Archiepiſcopus & Vicecomes prædicti ipſam Dominam Reginam rogavimus quòd hæc ſub ſuo teſtificetur ſigillo, & præſentem paginam ſigillis propriis roboramus. Acta ſunt hæc Pariſius anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, feria v. poſt *Eſto mihi.*]

CUM igitur prædictus Dominus Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius veniſſent Narbonam, parati procedere juxta traditam ſibi formam, placuit partibus, ſcilicet Domino Archiepiſcopo & Domino Vicecomiti ſupradictis, latiorem eis concedere poteſtatem, prima in ſui firmitate manente, ut diù protractum negotium celeriùs poſſet expediri. Voluerunt ſiquidem partes prædictæ, quòd dicti Dominus Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius, cauſis inſpectis ex quibus dictus Dominus Archiepiſcopus in Dominum Vicecomitem memoratum & ſuos tulit excommunicationum ſententias, nec non & novitatibus ſeu offenſis quas in præjudicium dicti Domini Archiepiſcopi vel ſuorum, ſive ſint laici, ſive Clerici, Capituli etiam Narbonenſis, & Abbatis ac Capituli ſancti Pauli Narbonenſis, vel aliarum Eccleſiarum civitatis & dioceſis Narbonenſis,

Dominus Vicecomes prædictus dicitur commiſiſſe, poſſint ſuper iis emendandis vel etiam revocandis ſimul vel ſeparatim, uno die vel pluribus, utraque parte præſente, vel tantùm altera, die feriato vel non feriato, quicquid voluerint ordinare, ſtatuere, ſeu mandare; ita tamen quòd ex iis quæ ordinaverint, ſtatuerint, ſeu mandaverint, neutri parti fiat aliquod præjudicium in jure proprietatis ſeu judicio petitorio coram quocunque judice eccleſiaſtico vel civili. Quæ autem à prædictis Domino Biterrenſi Epiſcopo & Guidone Fulcodio ſuper præmiſſis de jure vel motu propriæ voluntatis ordinata, ſtatuta fuerint, ſeu mandata, Dominus Vicecomes prædictus eiſdem Domino Epiſcopo & Guidoni Fulcodio & Domino Archiepiſcopo ſtipulantibus implere & obſervare promiſit. Et vice verſa Dominus Archiepiſcopus memoratus promiſit eiſdem Domino Epiſcopo & Guidoni Fulcodio & ipſi Domino Vicecomiti ſtipulantibus, quòd ſtabit ordinationi, ſtatutis, & mandatis eorundem Domini Epiſcopi & Guidonis, & ſtare faciet ſubditos ſuos, clericos, laicos, & Eccleſias, quibus vel contra quos offenſas vel novitates præjudiciales idem Dominus Vicecomes & ſui feciſſe dicuntur vel etiam commiſiſſe, & quòd ſecundùm ordinationem eorundem Domini Epiſcopi & Guidonis procedet ad abſolutionem ejuſdem Domini Vicecomitis & ſuorum, & ad relaxationem interdicti, cui civitatem & burgum Narbonenſe ſuppoſuit. Hæc autem omnia utraque pars promiſit ſub pœna mille marcharum argenti ab ipſis Domino Epiſcopo & Guidone Fulcodio ſtipulata, & à partibus eis promiſſa, ſi ordinationem, ſtatuta, ſeu mandata ipſorum in partem vel in ſolidum non ſervarent. Hoc acto, quòd dictam pœnam poſſint prædicti Dominus Epiſcopus & Guido Fulcodius à par-

te inobediente exigere, & ſibi retinere, vel, ſi magis eis placuerit, jus eam exigendi alteri parti dare. Qua commiſſa ſemel vel ſæpius & exacta, nihilominus quæ per dictos Dominum Epiſcopum & Guidonem ordinata, ſtatuta fuerint, ſeu mandata, perpetuam habeant firmitatem. Promiſerunt etiam partes adinvicem, quòd poſt ordinationem, ſtatuta, ſeu mandata ipſorum Domini Epiſcopi & Guidonis, contra ea vel aliquod eorum de jure vel de facto non venient, nec ad boni viri recurrent arbitrium, nec ex cauſa quacunque reſtitutionis beneficium implorabunt, & quòd huic inſtrumento, & omnibus quæ in eo ſuperiùs vel inferiùs continentur, fidem habebunt perpetuò, etiamſi inſtrumenta vel litteræ non exhibeantur quarum facta eſt mentio in præmiſſis. Sciendum etiam quòd pars utraque prædictis Domino Epiſcopo & Guidoni promiſit ſe quemlibet de ſuis ſubditis compulſuram ad requiſitionem eorumdem Domini Epiſcopi & Guidonis ad jurandum & deponendum coram eis veritatem quam ſcient ſuper iis in quibus fuerint per eos requiſiti, & inſtrumenta de iis omnibus conficienda propriis roborare ſigillis. Et renuntiaverunt partes omni exceptioni, actioni, & defenſioni, auxilio ordinario & extraordinario, juri ſcripto & non ſcripto, promulgato & promulgando, quo vel quibus contra prædicta vel aliquid de prædictis ſe poſſent defendere ſeu juvare. Omnia autem & ſingula ſupradicta per Dominum Archiepiſcopum memoratum promiſſa impleri ab eo & firmiter obſervari juravit in ejuſdem Domini Archiepiſcopi animam, & ejus nomine ac mandato, Raimundus Bedocij Vicarius ejus. Et pro Domino Amalrico Vicecomite ſupradicto in ejus animam, & ſuo nomine ac mandato, Petrus Boverij Vicarius ejus juravit omnia & ſingula ab

ipſo Domino Vicecomite ſuprà promiſſa impleri & firmiter obſervari. Pro iis autem omnibus complendis, tenendis, & inviolabiliter obſervandis, & nominatim pro pœna prædicta ſolvenda dictis Domino Epiſcopo Biterrenſi & Guidoni Fulcodio conſtituerunt ſe fidejuſſores, debitores, & ſolutores, quiſque in ſolidum, ſub obligatione omnium bonorum ſuorum, pro dicto Domino Archiepiſcopo, ſupradicto Domino Vicecomiti & eiſdem Domino Epiſcopo & Guidoni, Raimundus Berengarij de Riparia, Guiraudus Boneti, Guillermus Bernardi de Stabulo, Guillermus Amoroſij, Berengarius Blanquerij, Berengarius Mainardi, Aimericus Blanquerij, Guillermus Bels-om, Petrus Arnaldi de Naiſſa, & Amoroſius, renuntiantes expreſsè & ex certa ſcientia epiſtolæ Divi Adriani, & novæ Conſtitutioni de duobus reis debendi, & legi quæ dicit reum principalem priùs debere conveniri quàm interceſſorem, & generaliter omni rationi & juri qua vel quo ſe poſſent defendere ſeu juvare. Et ita attendere & complere tactis corporaliter ſanctis Evangeliis juraverunt. Ex parte autem Domini Vicecomitis ſupradicti, pro omnibus & ſingulis ab eo promiſſis complendis, tenendis, & inviolabiliter obſervandis, & nominatim pro pœna prædicta ſolvenda dictis Domino Epiſcopo Biterrenſi & Guidoni Fulcodio, conſtituerunt ſe fidejuſſores, debitores, & ſolutores, quiſque in ſolidum, ſub obligatione omnium bonorum ſuorum, pro ipſo Domino Vicecomite, prædicto Domino Archiepiſcopo & eiſdem Domino Epiſcopo & Guidoni, Sicardus Fabri, Guillermus Rainaudi, Guillermus Raimundi de Montepeſſulano, Imbertus de Stabulo, Raimundus de Lacu, Guiraudus de Narbona, Petrus Raimundi de Junqueriis, Hugo de Planis, Bernardus de Bagiis, &

Google

Guillermus Alaroſij, renunciantes expreſsè & ex certa ſcientia epiſtolæ Divi Adriani, & novæ Conſtitutioni de duobus reis debendi, & legi quæ dicit reum principalem priùs debere conveniri quàm intercesſorem, & generaliter omni rationi & juri qua vel quo ſe poſſent defendere ſeu juvare. Et ita attendere & complere tactis corporaliter ſanctis Evangeliis juraverunt. Ad majorem verò prædictorum omnium firmitatem Capitulum Eccleſiæ Narbonenſis omnia ſupradicta per Dominum Archiepiſcopum memoratum promiſſa laudavit & confirmavit expreſsè & communi ipſius Capituli promiſit roborare ſigillo. Inſuper etiam Dominus B. Abbas & Capitulum Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonenſis omnia per Dominum Archiepiſcopum memoratum promiſſa ſuper querimoniis ipſum Abbatem & ſuum Capitulum contingentibus rata perpetuò promiſerunt habere, & ſigillis propriis roborare. Acta ſunt hæc apud Narbonam, in clauſtro S. Juſti, præſentibus teſtibus infraſcriptis, videlicet Fredolo de ſancto Johanne Archidiacono Agathenſi, Petro Roſtagni Priore Eccleſiæ B. Mariæ de Burgo Narbonenſi, Guillermo de Durbanno, Magiſtro Bernardo Guitardi Canonico Eccleſiæ ſancti Affrodiſij Biterris, Petro Nazarij Rectore Eccleſiæ de Treuciano, Guillermo Baronis Rectore Eccleſiæ ſancti Sebaſtiani, Petro de Pradinis Rectore de Toiſſiano, Petro Poncij Rectore Eccleſiæ de Lunacio, Guiraudo Catalani Rectore Eccleſiæ ſancti Martini de Podio, Guidone de Capite porci Juriſperito, Raimundo Capellerij Juriſperiio, Guillermo de Beregio Juriſperito, Ermengaudo de Podio Juriſperito, Aimerico Pallerij Juriſperito, Guillermo de Boiano Juriſperito, Raimundo Gaufredi Canonico Agathenſi, Guillermo Duranti Canonico Magalonenſi, Guil-

Digitized by Google

ſermo Fabri, Bertrando Rozergacij de Lautrico, Guillermo de Salis, Petro Grandi, Petro de Fraxino, Pontio de Fraxino, Raimundo de Bagiis, Berengario Boneti, Raimundo Boneti, Berengario de Olargio, Laurentio de Saragocia, & me Stephano de ſancta Maria publico Biterris Notario, qui mandato dictorum Domini Epiſcopi Biterrenſis & Guidonis Fulcodij, prædictorum etiam Domini Archiepiſcopi & Domini Amalrici Vicecomitis Narbonenſis ac fidejuſſorum ab utraque parte datorum, hæc ſcripſi. Nos R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius ad plenius teſtimonium omnium prædictorum præſentem publicam ſcripturam ſigillorum noſtrorum appenſione munimus.

Noverint univerſi quòd nos G. Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus & A. eadem Vicecomes Narbonenſis, ſcientes quòd nos concorditer ſuppoſuimus mandatis & omnimodæ voluntati venerabilis Patris R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopi & Guidonis Fulcodij Clerici, ſuper quibuſdam rancuris, juxta formã in inſtrumento contentam confecto ſuper hoc per manum Stephani de ſancta Maria publici Biterris Notarij, damus eis plenam & liberam poteſtatem omnem ambiguitatem ſeu obſcuritatem interpretandi & declarandi, ſi qua poſt recitationem mandatorum ipſorum in eis apparuerit vel emerſerit, & eorundem interpretationi & declarationi verbo eorum vel communibus litteris intimandæ ſtare promittimus, & eam perpetuò & inviolabiliter obſervare. In cujus rei teſtimonium præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine roboramus. Datum Narbonæ II. Non. Iulij, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinqua-

Digitized by Google

geſimo primo, regnante Rege Lodoyco, Nonis Iulij. Notum ſit univerſis quòd nos R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius, inſpectis cauſis ex quibus Pater venerabilis Dominus G. Dei gratia Narbonenſis Archiepiſcopus & ejus Officialis excommunicationis ſententias tulerant in virum nobilem Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonenſem & quoſdam alios officiales & fautores ipſius, auditis etiam novitatibus quas idem nobilis & ſui in ipſius Domini Archiepiſcopi præjudicium & ſuorum, Capituli etiam Narbonenſis, Abbatis & Eccleſiæ ſancti Pauli, & aliarum Eccleſiarum civitatis & dioceſis Narbonenſis, feciſſe pluries ab eodem Domino Archiepiſcopo dicebatur, intellectis etiam defenſionibus Vicecomitis ſupradicti, & ſuper utriuſque partis aſſertionibus probationibus de plano receptis, ad deciſionem negotij & ſedationem diſcordiæ quæ multo tempore jam duraverat invocato ſanctæ Trinitatis auxilio quantùm poſſumus properamus juxta datam nobis plenitudinem poteſtatis de partis utriuſque conſenſu. Et ſi qua in tanta multitudine quæſtionum vel ignoranter vel ex certa ſcientia relinquimus indeciſa, poteſtatem pronuntiandi de ipſis quidquid nobis placuerit, vel ſi forſitan maluerimus, ad examen ordinarium remittendi, plenam & integram reſervamus. In primis igitur volumus & mandamus quòd Dominus A. Vicecomes Narbonenſis Dominum G. Narbonenſem Archiepiſcopum in poſſeſſionem reducat præconizationum communium, hoc eſt, ad utriuſque utilitatem ſeu auctoritatem ſpectantium, ita videlicet quòd fiant ſub nomine utriuſque; ſic tamen quòd nomen Domini Archiepiſcopi nomini Vicecomitis præmittatur, nec de facto prohibeat dictus Dominus Vicecomes præconizationes communes ſic fieri. Salva quæſtione

quæſtione juris eidem Vicecomiti, ſi coram judice competenti ſuper hoc voluerit conqueri ſeu etiam experiri. Item volumus & mandamus quòd idem nobilis reducat eundem Dominum Archiepiſcopum in poſſeſſionem pacificam & quietam ſuæ juriſdictionis, ita videlicet quòd eum vel ejus curiam per ſe vel per alium, clam vel palam, de facto non impediat nec perturbet quò minùs idem Archiepiſcopus in locis & hominibus juriſdictiónis archiepiſcopalis in civitate & burgo & burgatis Narbonenſibus, intus & extra, eandem juriſdictionem exerceat liberè in ſanguine & adulterio in ſua juriſdictione commiſſis ſeu etiam committendis, & aliis tam civilibus quàm criminalibus quæſtionibus tam civium quàm extraneorum & omnium generaliter perſonarum quæ ratione religionis ſeu ordinis, domicilij, ſeu contractus, vel maleficij ſecundùm jura & conſuetudines civitatis iſtius, curiæ ejuſdem Domini Archiepiſcopi inveniantur obnoxij. Salva tamen Domino Vicecomiti ſupradicto executione pœnarum corporalium quas curia ejuſdem Domini Archiepiſcopi laicó vel laicis ſuæ juriſdictioni ſubjectis pronuntiaverit vel ſecundùm hujus loci conſuetudinem pronuntiari fecerit infligendas. Salvo etiam eidem Domino Vicecomiti pleno & integro jure ſuo proprietatis, ſi quod habet in aliquò prædictorum. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes reducat dictum Dominum Archiepiſcopum in poſſeſſionem leudarum pro parte dictum Dominum Archiepiſcopum contingente, nec eundem Dominum Archiepiſcopum impediat vel perturbet quò minùs percipiat partem ſuam & in juriſdictione ſua puniat committentes in leuda. Et hæc dicimus ſalvo jure dicti Domini Vicecomitis in petitorio, ſi illud ipſe vel ſui duxerint proſequendum.

i

Digitized by Google

Item volumus & emandamus quòd idem Dominus Vicecomes, ſalvo jure ſuo in proprietate ſeu petitorio, ſi quod habet, diſbandiat & deſamparet quicquid bandiverat in operatoriis pontis, in quibus idem Dominus Archiepiſcopus habet uſatica; nec piſcari prohibeat piſcantes vel piſcaturos nomine ejuſdem Domini Archiepiſcopi à paxeria pontis inferiùs uſque ad paxeriam molendinorum de Filo; ſalvo ſibi in petitorio, ut ſuprà dictum eſt, jure ſuo. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes reducat dictum Dominum Archiepiſcopum, & pacificè eſſe permittat, in poſſeſſionem bandimentorum quæ fient in nundinis Narbonenſibus, ita videlicet quòd eundem Dominum Archiepiſcopum vel ejus curiam non impediat quò minùs eis utatur ſicut & ipſe utitur Vicecomes; & quod per unam Curiam banditum fuerit, altera non diſbandiat. Et hæc dicimus ſalvo jure ejuſdem Domini Vicecomitis in petitorio, ſi quod habet. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes publicè revocet prohibitionem quam fecit civibus Narbonenſibus feudatariis dicti Domini Archiepiſcopi ne ei recognoſcerent feuda ſua. Et ſi quid hac occaſione abſtulit vel amparavit Izarno de Liurano de feudo quod idem Izarnus recognoverat eidem Domino Archiepiſcopo, id totum dictus Dominus Vicecomes reſtituat & relaxet. Salvo tamen in petitorio jure ſuo. Item volumus & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes homines Domini Archiepiſcopi de Capiteſtagni in actionibus perſonalibus coram ſe vel curia ſua reſpondere non cogat. Et ſi hac occaſione à triennio citra res eorum bandivit vel cepit, eas relaxet vel reddat. Item volumus & mandamus quòd ſi idem Dominus Vicecomes, occaſione crucis aſſumptæ, homines quos idem Do-

Digitized by Google

minus Archiepiſcopus habet apud Cutſiacum talliavit, reſtituat eis quod ab eiſdem extorſit. Salvo eidem Domino Vicecomiti jure ſuo in petitorio, ſi quod habet. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes non impediat vel perturbet eundem Dominum Archiepiſcopum in poſſeſſione & perceptione taſcharum territorij de Figairolis, de Comba Damada & de Stagno pude, in quibus taſchis Petrus Raimundi de Riparia partem accipit; ſed permittat idem Dominus Vicecomes dictum Dominum Archiepiſcopum eas percipere liberè & quietè, & bandimentum ſeu prohibitionem, ſi quam fecit de eiſdem Domino Archiepiſcopo non reddendis, idem Dominus Vicecomes revocet & relaxet; & quod inde in præterito anno habuit reddat, ſcilicet quinque ſextarios frumenti. Salvo jure dicti Domini Vicecomitis in petitorio, ſi quòd habet. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes prohibitionem revocet quam fecit Conſulibus ne redderent dicto Domino Archiepiſcopo partem illam quæ eundem Dominum Archiepiſcopum de banno bladi contingit. Salvo ſibi jure in petitorio, ſi quod habet. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes revocet & relaxet prohibitiones quas fecit de non ædificando in campo Margallonis, & in horto Bernardi Laurentij, qui campus & hortus ſunt in dominatione Domini Archiepiſcopi memorati, nec impediat idem Dominus Vicecomes verbo vel facto ibidem ædificare volentes. Salvo tamen dicto Domino Vicecomiti jure ſuo in petitorio, ſi quod habet. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes paſſagium quod fecit ad navem per boſquetum qui tenetur à Domino Archiepiſcopo ceſſare faciat, cùm ſit novitas vergens in præjudicium Domini Archiepiſcopi memorati. Item

Digitized by Google

volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes uti permittat pacificè & quietè homines dicti Domini Archiepiſcopi aquis & paſcuis quibus uti conſueverunt ante tempus diſſenſionis inter Dominos Archiepiſcopum & Vicecomitem ſuſcitatæ. Item volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes res quas ipſe vel ejus curia extraxit vel extrahi fecit de domo vel de domibus in juriſdictione archiepiſcopali ſitis ſine licentia Domini Archiepiſcopi vel ejus curiæ antequàm nos prædictus Biterrenſis Epiſcopus præſens ſuſcepiſſemus negotium, reſtituat illis quibus res fuerunt ablatæ, ſi extant, alioquin æſtimationem earum. Item cùm idem Dominus Vicecomes Capitolij civitatis Narbonenſis à Bertrando de Capitolio recognitionem receperit, & illud emerit ab eodem, quæ dictus Dominus Archiepiſcopus facta dicit in præjudicium juris ſui; volumus & mandamus quòd idem Dominus Vicecomes recognitionem prædictam irritet & abſolvat, & à dicta emptione recedens, rem retro tradat venditori prædicto, & curet & incontinenti faciat quòd dictus venditor à venditione recedens, venditam non recipiat, & à pretio Vicecomitem eundem & quoſcunque fidejuſſores ſeu debitores pro pretio datos abſolvat, & dictus emptor & venditor ab omni jure & obligatione in dictis recognitione & venditione quæſitis alterutrum vel contractis mutuò ſe abſolvant, & fiant de his publica inſtrumenta, quorum unum authenticum habere poſſit, ſi voluerit, Dominus Archiepiſcopus memoratus, & inſtrumenta recognitionis & emptionis & omnia hac occaſione inter eos confecta nobis delenda reſtituant, vel ſi maluerimus cancellanda, & cui nobis placuerit cancellata reddenda. Quòd ſi qua tenoris ejuſdem vel ſententiæ producerentur in poſterum

in jure vel extra jus, caſſa & irrita penitùs habeantur. Et ſin omnia in eodem ſtatu, quantum ad Capitolium ſupradictum, quoad poſſeſſionem & proprietatem partis utriuſque vel alterutrius, in quo erant ante factas recognitionem & venditionem prædictas; ita etiam quòd dicto Bertrando de Capitolio, ex eo quòd dictam recognitionem vel venditionem fecit, nullum fiat penitùs præjudicium, nec ipſum Capitolium ab eo poſſit Dominus Archiepiſcopus tanquam commiſſum exigere, vel eam occaſione prædicta, ſcilicet quia illud inconſulto Archiepiſcopo recognovit & vendidit, in jure vel extra jus moleſtare. Et de hoc faciat eidem Bertrando Dominus Archiepiſcopus publicum inſtrumentum. Item cùm nobis conſtet Arnaldum Guilaberti Notariam teſtamentorum & nuptiarum & quorundam contractuum aliorum pro Domino Archiepiſcopo aliquo tempore tenuiſſe, dum viveret, & etiam quando captus fuit per Dominum Amalricum vel nomine & auctoritate ejuſdem, & eundem Dominum A. & ejus Vicarium tam dicto Arnaldo Guilaberto quàm aliis prohibuiſſe Notariis ne teſtamentorum vel nuptiarum vel alia quælibet cum ſubſcriptione nominis Archiepiſcopi inſtrumenta conſcriberent, & eundem Arnaldum Clericum de foro dicti Archiepiſcopi tam ratione clericatus quàm domicilij exiſtentem ab eodem Domino Amalrico Vicecomite vel ejus curia per ſententiam officio tabellionatus fuiſſe privatum, ad quod eum morte præventum non poſſumus reſtituere, nec in ipſo Dominum Archiepiſcopum memoratum, volumus & mandamus quòd Dominus Vicecomes prædictus per ſe vel per alium non impediat nec prohibeat nec perturbet quò minùs Dominus Archiepiſcopus alium in locum dicti Arnaldi Guilaberti pro ſua voluntate

ſubſtituat, qui ejuſdem Domini Archiepiſcopi teneat Notariam ad teſtamenta ſcribenda & conficienda tam nuptialia inſtrumenta quàm alia quæ ſeu qualia idem Arnaldus Guilaberti ſub nomine Narbonenſis Archiepiſcopi publicè conſcribebat, hoc eſt, in quibus ſeu qualibus ſe in ſubſcriptione Notarium Narbonenſis Archiepiſcopi publicè appellabat. Nec prohibeat Vicecomes illum quem Archiepiſcopus ſubſtituet, ut præmiſimus, dicta teſtamenta & inſtrumenta conficere, & in eis ſe Archiepiſcopi Notarium appellare. Sed nec prohibeat Vicecomes teſtamenta perſonarum juriſdictionis archiepiſcopalis in curia Archiepiſcopi publicari, ſive nuncupativa fuerint, ſive clauſa. Verùm publicationem aliorum quæ in curia Vicecomitis publicari contigerit, per quemcumque ſcribi Notarium minimè prohibemus, cùm id de jure liceat, nec conſuetudo contraria ſit probata. Hæc autem omnia dicimus & mandamus ſine præjudicio partis utriuſque in judiciis petitoriis: quibus in competenti judicio poſſint, cùm eis placuerit, præmiſſis non obſtantibus, invicem experiri. Item volumus & mandamus quòd dictus Vicecomes reddat Domino Archiepiſcopo memorato ea quæ ipſe habuit vel ejus curia à triennio citra à perſonis ad juriſdictionem archiepiſcopalem ſpectantibus & forum ſuum allegantibus ſeu proteſtantibus, occaſione ſanguinis vel adulterij vel aliorum, quibus eundem Archiepiſcopum ſpoliaverat, & ad quæ eum reſtituimus ſeu reſtitui juſſimus, prout ſuperiùs continetur. De quantitate autem prædictorum credatur Vicariis utrinſque, videlicet Petro Boverio & Raimundo Bedocio, ſi poterunt convenire. Alioquin, ſtetur dicti Petri Boverij ſacramento. Item de poſſeſſione quam dicit Dominus Archiepiſcopus turbari Ber-

trando de Corciano per dictum Dominum Vicecomitem in termino de Petriaco, cum nobis non conſtet quòd ſit in dicto terminio, vel de feudo Archiepiſcopi, terra cujus poſſeſſio turbari dicitur, volumus & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes in competenti judicio ſive foro de jure reſpondeat dicto Bertrando. Item dicimus de blado quod fecit dictus Vicecomes ſecari in campo quondam Johannis Catalani, de quo nobis non conſtat quòd ſit in terminio Petriaci vel de juriſdictione Domini Archiepiſcopi memorati. De pedagio etiam Berræ, & de uſaticis Dominæ Nigræ eidem Vicecomiti recognitis, prout dicitur, & de Clericis ad dandas tallias de ſuis facultatibus non urgendis, & de piſcatione bruginæ, & de campo quem fecit teneri de Sarracenis Dominus Amalricus, quia ad nos juxta traditam nobis formam non pertinet, nihil penitùs diffinimus, ea omnia competenti ſeu ordinario judicio reſervantes. De eo verò quòd idem Vicecomes in ſigillo ſuo & litteris Dominum Narbonæ ſe nominat, & Notarios Narbonæ à Vicecomitali curia inſtitutos præcipit Notarios ejus ſcilicet Vicecomitis in ſuis ſubſcriptionibus ſe vocare, quia in iis nulli videmus fieri præjudicium, nihil duximus inhibendum. Salvo tamen jure Domini Archiepiſcopi in petitorio, ſi jus habet aliquod prohibendi. Item volumus & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes reducat in poſſeſſionem pacificam & quietam Capellæ Palatij ſui Bernardum de Riparia Rectorem ejuſdem Capellæ, & fructus omnes quos percepit vel fecit percipi Vicecomes prædictus, eidem Rectori reſtituat. De quorum quantitate credatur Petro Boverio Vicario Vicecomitis ſupradicti. Item volumus quòd Eccleſiam ſancti Petri de Claro, domum etiam, Capellam, & res alias ad

Digitized by Google

dictam Eccleſiam pertinentes, idem Vicecomes disbandiat & Domino Archiepiſcopo diſponendas relinquat. Si tamen jus patronatus in ea ſe habere contendit, audiat eum Dominus Archiepiſcopus, vel audiri faciat, tam ſuper poſſeſſorio, quàm ſuper petitorio, ſine judiciorum ſtrepitu, & de plano. Item volumus & mandamus quòd aſinos portantes vindemiam ablatos hominibus de Petriaco per Bajulum Villæſiccæ reſtitui faciat Vicecomes eiſdem; & ſi non inveniuntur, eis reddi faciat æſtimationem eorum. Item volumus & mandamus reddi ab eodem vicecomite Capellano de Bizano æſtimationem ſaumatæ lignorum quam per vim ante Natale habuit ab eodem, ſi tamen eam recuperare voluerit Capellanus, cùm nobis conſtiterit quòd à ſaumatis lignorum dandis curiæ Vicecomitis in Natali beſtiæ Clericorum & Militum conſueverint eſſe immunes. De talliis autem quas idem Vicecomes ab hominibus Eccleſiarum Narbonenſis diœceſis injuſtè dicitur exegiſſe, quia nobis de jure aliorum prætterquam Domini Archiepiſcopi conſtare non potuit, volumus quòd jus faciat conquerentibus Vicecomes prædictus in foro ſeu judicio competenti, ſi de arbitris eligendis invicem non potuerint convenire, & de ſtando juri in competenti judicio ſatiſdet Domino Archiepiſcopo memorato. Item volumus & mandamus quòd dictus Vicecomes, ſalvo jure proprietatis, ſi quod habet, reſtituat Capitulo Narbonenſi manſum quem tenebat Capitulum Narbonenſe in villa nova Narbonæ, quem idem nobilis occupavit, & quòd permittat idem Capitulum claudere quendam campum quem habet ad portam regiam Narbonæ, & prohibitionem de hoc factam revocet & relaxet. Salvo tamen jure ſuo, ut dictum eſt, ſi quod habet. De alberga verò decem Militum,

quam accipit idem Nobilis in hominibus dicti Capituli apud Cutſiacum, & de tallia quam eis habuit occaſione Crucis aſſumptæ, volumus & mandamus quòd ſi Capitulum in hoc ſibi fieri credit injuriam, det dictus nobilis eidem Capitulo ſuper hoc judicem non ſuſpectum, qui de plano cauſam audiat, & debito fine decidat. De iis verò quæ idem Vicecomes habuit à quodam Bajulo tunc Capituli apud Motianum & à quodam homine apud Geneſtars, quæ ſiquidem injuſtè eum habuiſſe cognoſcimus, faciat idem Vicecomes Capituli voluntatem. Item voluimus & mandamus quòd idem Vicecomes non impediat nec perturbet Abbatem ſancti Pauli vel ejus curiam quò minùs in burgis & burgatis quæ habet dictus Abbas infra Narbonam & extra juriſdictionem exerceat pacificè & quietè in pecuniariis & civilibus quæſtionibus, furtis, & injuriis, & aliis maleficiis quibus pœna mutilationis membrorum vel ultimi ſupplicij vel exilij non debetur, hoc eſt, de quibus ſeu pro quibus pecuniariam pœnam exigere curiæ conſueverunt. De iis enim criminibus gravioribus, quæ de jure & conſuetudine exilium vel membri mutilationem ſeu ultimum requirunt ſupplicium, & adulterio, quia nobis ad plenum ex actis liquere non potuit utra pars, videlicet Abbatis vel Vicecomitis, juſtiùs aut veriùs poſſideret, nihil poſſumus diffinire, jus ſuum utrique parti ſuper poſſeſſorio & petitorio reſervantes in foro ſeu judicio competenti, vel coram nobis, ſi infra feſtum ſancti Michaëlis diem ſuper hoc duxerimus aſſignandum. Idem per omnia dicimus de Capitulo ſancti Pauli in burgis & burgatis quæ habet idem Capitulum infra Narbonam & extra. Volumus autem & mandamus quòd dictus Dominus Vicecomes ſcannum in quo judex Capituli pro tribunali ſedebat, in locum unde per

Digitized by Google

ſuos ſublatum extitit reportari faciat & reponi, & eos non impediat nec perturbet quò minùs de rebus & quæſtionibus ſupradictis curiam ſuam pacificè teneant & quietè. Salvo ſimiliter jure tam dicti Vicecomitis quàm Capituli ſancti Pauli in forma prædicta. Quæ autem dictus Vicecomes vel ejus curia habuit à perſonis ad juriſdictionem Abbatis vel Capituli pertinentibus, forum ſuum allegantibus ſeu etiam proteſtantibus, occaſione eorum quæ eiſdem Abbati & Capitulo pacificè dimittenda quoad poſſeſſionem decrevimus, eis à Vicecomite prædicto reſtitui volumus & mandamus. De quorum quantitate ſi aliàs conſtare non poterit, ſtetur Petri Boverij juramento. Item volumus & mandamus quòd ædificantes vel ædificare volentes extra muros civitatis & burgi Narbonenſis in feudis & terris Abbatis vel Capituli ſancti Pauli nec impediat nec prohibeat Vicecomes prædictus; & ſi quam de hoc fecit prohibitionem, eam revocet & relaxet. Quia verò Pater venerabilis Dominus Archiepiſcopus memoratus à Vicecomite ſupradicto in multis reputat ſe offenſum, quem aſſerit, præter ſpoliationes & novitates prædictas, familiæ ſuę poſuiſſe inſidias & homines Archiepiſcopi juriſdictioni ſubditos & per ſuam curiam non damnatos corporaliter puniviſſe, duos etiam ſacerdotes affectos contumeliis uſque ad oſtium carceris adduxiſſe, Arnaldum etiam Guilaberti Clericum conjugatum uſque ad mortem carcerali cuſtodia maceraſſe, perſonæ etiam ſcilicet ipſius Archiepiſcopi dixiſſe convicia, & multa alia commiſiſſe in ipſius Archiepiſcopi & Eccleſiæ Narbonenſis contumeliam & opprobrium & totius ordinis clericalis, propter quod eundem Vicecomitem abſolvi non debere dicebat abſque ſatisfactione condigna; Nos, de ejuſdem Domini Archiepiſcopi expreſſo

conſenſu, de ſatisfactione ſuper iis & pro iis facienda nihil ordinantes ad præſens, ordinandi, mandandi, & ſtatuendi ſuper ea quod nobis placuerit poteſtatem plenam & liberam reſervamus; dicto Vicecomiti ſub præſtito nobis juramento & pœna promiſſa mandantes, & quanto diſtrictiùs poſſumus injungentes, quòd eo modo de iis omnibus ſatisfaciat & à ſuis faciat ſatisfieri quem ſibi verbo dicemus vel noſtris communibus litteris intimabimus. Eidem etiam Domino Archiepiſcopo ſub eadem diſtrictione injungimus & mandamus quòd ea ſatisfactione quæ à nobis injungetur contentus, aliam à dicto Vicecomite vel ſuis occaſione ſententiarum à ſe vel Officiali ſuo latarum ſatisfactionem non exigat ſeu requirat. Omnibus ergo ſalvis quæ ſuperiùs dicta ſunt, volumus & mandamus quòd idem Dominus Archiepiſcopus latas in Capellam Palatij Vicecomitis ſupradicti, civitatis etiam & burgi Narbonenſis, & locorum in quibus dictus Vicecomes eſſet, interdicti ſententias in continenti relaxet, & eundem Vicecomitem, Officiales, & familiam, & omnes occaſione dictarum ſpoliationum vel novitatum ab eo vel Officiali ſuo excommunicationis vinculo innodatos, recepto ab omnibus juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ atque ſuis, ab omnibus tam ſuis quàm Officialis ſui ſententiis abſque difficultate & ſubterfugio dilationis abſolvat, impletis iis quæ in continenti mandabimus expediri, nihil eis aliud injuncturus niſi quòd ſatisfactionem faciant quam eis duxerimus injungendam, & mandata noſtra prædicta & adhuc promulganda fideliter impleant & obſervent. Ab hac tamen generalitate illos excipimus qui in invaſione caſtri de Petriaco per cives Narbonenſes facta dominis vel hominibus dicti caſtri damna vel damnorum occaſionem malitioſè dederunt; quos lata con-

Digitized by Google

tra eos propter hoc excommunicationis ſententia manere volumus innodatos, donec de damnis ſatisfecerint memoratis juxta illius vel illorum arbitrium cui vel quibus hoc Sereniſſima Domina Francorum Regina commiſit vel adhuc duxerit committendum. Quia verò Vicecomes prædictus & aliqui de ſuis ex cauſis ſuperiùs memoratis in ſententiam canonis inciderunt, præfigimus eis terminum peremptorium, infra quem ſuam abſolutionem bona fide procurent, inſtans feſtum Nativitatis beatæ Virginis; infra quem ſi abſolutionis gratiam non obtinuerint, ex tunc, niſi forſitan antea hoc fecerimus, ſatisfactionem eis pro præmiſſis exceſſibus injungemus quam honori divino & ipſius Domini Archiepiſcopi & Eccleſiæ Narbonenſis & Cleri convenire credemus. Dicto verò Domino Archiepiſcopo quanto diſtrictiùs poſſumus ſalva reverentia ſua injungimus & mandamus quòd nec verbo nec facto per ſe vel per alium, clam vel palam, ſe prædicto Vicecomiti vel ſuis opponat vel difficultatem ſeu impedimentum ingerat in apoſtolicæ ſedis gratia obtinenda ſuper abſolutione eorum alicui vel aliquibus bonis viris in iſtis partibus committenda, & quòd pro leviori expeditione negotij ſcribat Summo Pontifici, & etiam procuratori quem habet in curia, in ea forma quam nos dictabimus & dictatam ei mittemus. Retenta igitur nobis integra poteſtate alia, cùm nobis videbitur, proferendi mandata, interpretandi etiam & declarandi, ſi quid eſt vel fuerit dubium in prolatis, volumus & mandamus, & utrique parti quanta poſſumus diſtrictione præcipimus, quòd omnia & ſingula ſupradicta inviolabiliter teneant & obſervent. Salvo jure ſuo partibus, ſi quod habent, in proprietate & judiciis petitoriis in univerſis & ſingulis per nos ſuperiùs ordinatis. Et ſciendum quòd dictus

Digitized by Google

Dominus Archiepiſcopus latam interdicti ſententiam in civitatem & burgum Narbon. mandantibus dictis Domino Bitetrenſi Epiſcopo & Guidone Fulcodio publicè relaxavit. Acta ſunt hæc in clauſtro ſancti Juſti Narbonenſis hac die ad audienda dictorum Domini Epiſcopi & Guidonis mandata partibus aſſignata. Et interfuerunt Dominus Narbonenſis Archiepiſcopus, & Bernardus Traſvila procurator Domini Vicecomitis ſupradicti. Teſtes autem interfuerunt Dominus P. Dei gratia Epiſcopus Agathenſis, G. Abbas de Quadraginta, Petrus Roſtagni Prior Eccleſiæ B. Mariæ de Burgo Narbonenſi, Fredolus Archidiaconus Agathenſis, Guillermus Duranti Canonicus Magalonenſis, Raimundus Gaufredi Canonicus Agathenſis, Michaël de Villamagna Clericus, Pontius Andreas Clericus, Bernardus Mainardi, Petrus Raimundi, Radulphus Raimundus de Aniorto, Guillermus Faber, Guillermus Raimundi, Petrus Raimundi de Montepeſſulano, Hugo de Plano, Berengarius de Riparia, Guillermus de Salis, Petrus Dieuſajuda, Raimundus Capellerius Juriſperitus, Ermengaudus de Podio Juriſperitus, Guillermus de Boiano, Bernardus de Olargio, Sicardus de Montebruno, Guiraudus de Peiraguere, Guiraudus de Montebruno, Guillermus Ainardi, Bernardus Amoroſius, Bertrandus de Lautrico, Iohannes de Lieu, Petrus de ſancto Jorio, Aimericus Bertrandi. Et ego Stephanus de ſancta Maria publicus Biterris Notarius, qui mandato dictorum Domini Epiſcopi Biterrenſis & Guidonis Fulcodij hæc ſcripſi, & huic inſtrumento ſignum meum appoſui.

NOVERINT univerſi quòd poſt recitationem mandatorum venerabilis Patris Domini R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopi & Guidonis Fulcodij ſuper diſſenſionibus & rancuris inter Dominum G.

Dei gratia Narbonenſem Archiepiſcopum & Dominum Amalricum Narbonenſem Vicecomitem ſuſcitatis, & poſt relaxatam per eundem Dominum Archiepiſcopum interdicti ſententiam civitatis & burgi Narbonenſis, idem Dominus Archiepiſcopus poteſtatem ſuam conceſſit Domino I. Abbati ſancti Affrodiſij Biterris, ſecundùm ordinationem eorundem Domini Epiſcopi & Guidonis, dictum Dominum Vicecomitem, fautores & officiales ejuſdem, juxta formam Eccleſiæ abſolvendi, & latas in Capellam Palatij Domini Vicecomitis ſupra dicti & loca in quibus idem Dominus Vicecomes eſſet interdicti ſententias relaxandi, atque mandata ipſi Domino Vicecomiti pro ipſo Domino Archiepiſcopo & ſuo nomine injungendi, ac reſtitutiones & ſatisdationes ab eodem Domino Vicecomite recipiendi, & generaliter illa omnia faciendi quæ idem Dominus Archiepiſcopus facere deberet & poſſet, ſi perſonaliter præſens eſſet. Actum fuit hoc ante Palatium ejuſdem Domini Archiepiſcopi anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, Non. Iulij, in præſentia & teſtimonio Domini R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopi, Domini P. eadem gratia Agathenſis Epiſcopi, Domini B. Abbatis ſancti Pauli, Guidonis Fulcodij, Fredoli Archidiaconi Agathenſis, Stephani Johannis Sacriſtæ Narbonenſis, & mei Stephani de ſancta Maria publici Biterris Notarij, qui mandato ſupradicti Domini Archiepiſcopi hæc ſcripſi. POST hæc autem ipſa eadem die, ſupradicto Domino Abbate ſancti Affrodiſij Biterris in præſentia dicti Domini Vicecomitis conſtituto, idem Dominus Vicecomes Capellam ſui Palacij reſtituit perſonaliter Bernardo de Riparia Rectori ejuſdem, & idem Dominus Abbas ſancti Affrodiſij abſolvit dictum Dominum Amalricum Vicecomitem Narbo-

nenſem ab omnibus excommunicationum ſententiis contra ipſum à Domino Narbonenſi Archiepiſcopo vel Officiali ſuo prolatis, recepto ab eo juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ & ipſius Domini Archiepiſcopi, & fidejuſſoribus nihilominus de parendo juri in foro judicio competenti ab ipſo Domino Abbate receptis ſuper iis pro quibus eundem Dominum Vicecomitem ſatisdare dicti Dominus Biterrenſis & Guido Fulcodius pręceperunt. Et fuerunt fidejuſſores pro ipſo Raimundus de Durbanno & Bernardus de ſancto Stephano Milites. Injunxit inſuper dictus Dominus Abbas eidem Domino Vicecomiti, quòd mandata per ſupradictos Dominum Biterrenſem Epiſcopum & Guidonem Fulcodium promulgata vel adhuc etiam promulganda fideliter adimpleret & inviolabiliter obſervaret. Sciendum etiam quòd idem Dominus Vicecomes dictum Dominum Abbatem ſancti Affrodiſij nomine dicti Domini Archiepiſcopi recipientem reſtituit verbo, & in ſignum reſtitutionis, quodam flabello eidem Domino Abbati ab ipſo Domino Vicecomite tradito, de omnibus ſeu ad omnia ad quæ vel de quibus dictum Dominum Archiepiſcopum reſtitui juſſerant Dominus Biterrenſis Epiſcopus & Guido Fulcodius ſupradicti. Inſuper dictus Dominus Abbas interdicti ſententias per dictum Dominum Archiepiſcopum latas in Capellam Palatij dicti Domini Vicecomitis Nabonenſis & loca in quibus eundem Dominum Vicecomitē eſſe contingeret relaxavit. Acta ſunt hæc Narbonæ in Palatio Domini Vicecomitis ſupradicti, in præſentia dictorum Domini Epiſcopi Biterrenſis & Guidonis Fulcodij, & teſtium aliorum, ſcilicet Fredoli de ſancto Johanne Archidiaconi Agathenſis, Stephani Johannini Sacriſtæ Narbonenſis, Stephani de Conchis Canonici Narbonenſis, Raimundi Ca-

pellerij Juriſperiti, Ermengaudi de Podio Juriſperiti, Guillermi de Boiano, Bernardi Traſvila, Guillermi Bartholomæi, Petri Boverij, Raimundi de Lacu, Stephani Magiſtri de Tholoſa, Bertrandi de Capitolio, Bernardi Blancardi, Raimundi de Furno, & mei Stephani de ſancta Maria publici Biterris Notarij, qui mandatus hæc ſcripſi.

Notum ſit omnibus quòd cùm nos R. Dei gratia Epiſcopus Biterrenſis & Guido Fulcodius veniſſemus Narbonam, tractaturi de pace inter Patrem venerabilem Dominum G. Dei gratia Narbonenſem Archiepiſcopum & Eccleſiam ſancti Pauli ex parte una, & virum nobilem Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonenſem ex altera, propoſuit idem Dominus Archiepiſcopus coram nobis quòd dictus Dominus Vicecomes contra mandata nuper à nobis prolata veniens, prohibet ejuſdem Domini Archiepiſcopi Notarium ſe in inſtrumentis quæ ſcribit publicum appellare, nihilominus interdicens recipi ut authentica inſtrumenta ab eo conſcripta, in quibus publicum Domini Archiepiſcopi Notarium ſe appellat. Inhibet etiam ne idem Notarius inſtrumenta diffinitionum, confeſſionum, vel alia teſtamentis vel nuptiis incidentia vel pendentia ex eiſdem recipiat, ſive ſcribat. Adjecit etiam idem Dominus Archiepiſcopus quòd ipſe Dominus Vicecomes nec ipſi Domino Archiepiſcopo nec Clericis ſuis ſeu Eccleſiis reſtitutiones fecit ex integro ipſi Domino Vicecomiti à nobis injunctas; poſtulans ſuper iis intentionem noſtram pleniùs declarari, & eo diſtrictu quo poſſumus, videlicet tam juramenti quàm pœnæ promiſſæ, dictum Dominum Vicecomitem ad eas implendas compelli. Nos igitur intellectum noſtrum declarare volentes, dicimus intentionis noſtræ fuiſſe, prout patet ex noſtri tenore mandati,

mandati, quòd dictus Dominus Vicecomes prohibere non debet quin Notarius ejuſdem Domini Archiepiſcopi in inſtrumentis quæ ſcribet, Notarium Domini Archiepiſcopi ſe appellet. Quod ſufficere credimus ad fidem inſtrumentorum pleniſſimam, etiamſi publicum ſe non nominet. Sicut nec ipſi Imperialis aulæ Notarij publicos ſe appellant, ſed Palatij ſacri Notarios. Et in aliis regionibus, alij Regum, alij Comitum, vel procerum aliorum Notarios ſe ſubſcribunt. Nec tamen dicto Domino Archiepiſcopo jus adimimus, ſi de jure obtinere potuerit quòd ſuus Notarius publicum in ſuis ſubſcriptionibus ſe appellet. Ad hoc tamen mandatum, quod dedimus, pronuntiamus & dicimus non extendi, cùm nec etiam petitum fuerit coram nobis. Sanè declaramus dictum Notarium ab ipſo Domino Vicecomite prohibendum non eſſe teſtamenta conficere. Quo nomine, juxta largam ſignificationem vocabuli, omnes intelligimus ultimas voluntates; ad quarum robur ſi teſtator voluerit liberos ſuos, vel alios qui eidem ſuccedere poterunt, juramento vel pacto aſtringere de ipſa ultima voluntate ſervanda, poterit idem Notarius hoc in ſerie ſcribere ultimæ voluntatis. Si verò recognitio debitorum aliquorum inciderit, vel ipſi teſtatori ab alio, vel ab ipſo alij facienda extra ſeriem teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis, de hujuſmodi intentionis noſtræ non fuit aliquid præcipere ſeu mandare. Verùm nuptialia inſtrumenta, de quibus in mandato noſtro fecimus mentionem, ea intelligimus quæ de ſponſalibus vel matrimoniis cum dote vel ſine dote conficiuntur. Si tamen, ſicut ſæpius evenit, poſt inſtrumentum nuptiale, in quo maritus confeſſus erit ſe dotem integram recepiſſe, fiat poſtea inſtrumentum, in quo ille qui dotem conſtituit, ad dotem ſolvendam ſe obli-

gat confeſſione à marito facta non obſtante ; hoc inſtrumentum, cùm verè & propriè ſit dotale, nec cauſa dotis in aliquo ſit mutata, intelligimus nomine nuptialis. Porrò ſi ille qui dotem conſtituit, penitùs remanet liberatus, & dat expromiſſores ſeu debitores, qui ſe pro dote obligant, & ſoli pro ea tenentur; inſtrumentum de hoc confectum nec nuptiale dicimus, nec dotale. Si verò alter nubentium patri vel matri vel propinquis facit de bonis eorum remiſſionem vel finem, iſtud ſimiliter non intelligimus nomine nuptialis. Salvo igitur jure partis utriuſque in petitorio, mandata noſtra, pro ut dictum eſt, declaramus. Ceterùm ut ſecundùm noſtri tenorem mandati reſtitutio compleatur injuncta, dicto Domino Vicecomiti eo diſtrictu quo poſſumus præcipimus & mandamus quòd infra feſtum proximum ſanctorum omnium ſatisfiat Domino Archiepiſcopo & Capitulo Narbonenſi & Rectori Capellæ Palatij & Abbati & Capitulo ſancti Pauli Narbonenſis & aliis perſonis in omnibus reſtitutionibus de quibus adhuc non ſatisfecit, quas fieri nuper mandavimus ab eodem, prout in inſtrumento inde confecto pleniùs continentur. Acta fuerunt hæc publicè apud Narbonam in domo quondam Johannis Biſtanni anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, Rege Lodoyco regnante, XII. Kal. Octobris, in præſentia ſupradictorum Domini G. Dei gratia Archiepiſcopi Narbonenſis, & Domini Amalrici Vicecomitis Narbonenſis; præſentibus etiam teſtibus infraſcriptis, videlicet Domino L. Dei gratia Epiſcopo Agathenſi, Fredolo Archidiacono Agathenſi, Deodato de Bociacis, Poncio de ſancto Juſto & Petro de ſancto Juſto Canonicis Biterrenſibus, Raimundo Gaufredo & Magiſtro Bernardo Belino Canonicis Agathenſibus, Guillermo

Digitized by Google

Duranto Canonico Magalonenſi, Magiſtro Petro de Furno Rectore Eccleſiæ de Poieto, Petro de ſancto Juſto ſcutifero, Bertrando de Lautrico, Raimundo Bernardo, Raimundo de Villaroia, Amelio de Caſulis, Ermengaudo de Podio, Bernardo Traſvila, Petro Ravanno, Bernardo de ſancto Stephano, Hugone de Planis, Guillermo Petro de Narbona, Petro Boverio, Petro Raimundo Bedocio, & me Stephano de ſancta Maria publico Biterris Notario, qui mandato prædictorum Domini Epiſcopi Biterrenſis & Guidonis Fulcodij hæc ſcripſi.

BLANCHA Dei gratia Franciæ Regina univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Notum facimus quòd nos litteras venerabilis Patris G. Archiepiſcopi Narbonenſis & dilecti noſtri A. Vicecomitis Narbonenſis vidimus in hæc verba: NOTUM ſit omnibus quòd cùm nos G. Archiepiſcopus Narbonenſis in virum nobilem Amalricum Vicecomitem Narbonenſem diverſis ex cauſis excommunicationum ſententias &c. Feria v. poſt *Eſto mihi.*] *Extant ſuprà pag.* 125. *Sequitur in literis Reginæ.* Quia verò hæc in noſtra præſentia conceſſa & acta fuerunt, nos ad petitionem prædictorum Archiepiſcopi & Amalrici in hujus rei teſtimonium præſentibus litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſiis anno Domini MCC. quinquageſimo, menſe Marcio.

Digitized by Google

XXV.

Acta ſatisfactionis Amalrici Vicecomitis Narbonenſis, qui Arnaldum Guilaberti Clericum uxoratum in carcerem conjectum, illic compulit expirare.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN Chriſti nomine. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, III. Idus Decembris, Lodoyco Rege regnante. Noverint univerſi hoc præſens publicum inſtrumentum inſpecturi quod nobilis vir Dominus Amalricus Vicecomes Narbonenſis juravit ſacroſanctis Evangeliis corporaliter tactis ſtare mandato & mandatis & omnimodæ voluntati venerabilis Patris in Chriſto Domini R. Dei gratia Biterrenſis Epiſcopi, ſuper eo quod dicebatur detinuiſſe Arnaudum Guilaberti Clericum uxoratum, publicum ſcriptorem Narbonæ, tamdiu carcerali cuſtodia mancipatum, quouſque ultimus ejus ſpiritus exhalavit, ſubiciens ſe dictus Dominus Vicecomes juriſdictioni dicti Domini R. Biterrenſis Epiſcopi & poteſtati ſuæ, ut poſſet eum excommunicare & facere excommunicatum ubique denuntiari, niſi ſuper iis omnimodæ voluntati & mandatis ipſius obediret, vel in aliquo repugnaret. Petens etiam & requirens dictus Dominus Vicecomes à præfato Domino Biterrenſi Epiſcopo ſibi ſuper dictis abſolutionis gratiam impendi juxta formam mandati ſeu commiſſionis apoſtolicæ ipſi Domino Epiſcopo ſpecialiter deſtinatæ. Unde dictus Dominus Epiſcopus abſolutionem impendit

eidem Domino Vicecomiti juxta formam Eccleſiæ; reſervata tamen ſibi, ſub præſtito juramento, pœna & pœnitentia ipſi Domino Vicecomiti imponenda ſuper dictis ad diem ſibi per eundem Dominum Epiſcopum aſſignandam. Acta ſunt hæc in Eccleſia de Treuſſano prope Caputſtagnum in præſentia & teſtimonio venerabilis Patris in Christo Dei gratia G. Narbonenſis Archiepiſcopi, & Domini Jacobi Dei gratia Abbatis ſancti Affrodiſij de Biterris, Domini B. de Dorna Archidiaconi Biterrenſis in Caprarienſi, P. Veſiani Canonici ſancti Affrodiſij Biterrenſis, P. Nazarij Capellani, Guillelmi Petri Clerici, R. de Lacu Militis, R. de Furno civis Biterrenſis. Sit autem certum quòd poſt hæc, anno nativitatis Chriſti MCCL. quarto, v. Kal. Novembris, Ludoyco Rege regnante, cùm venerabilis Pater in Chriſto dictus Dominus Biterrenſis Epiſcopus præfatum nobilem virum Dominum Amalricum Vicecomitem Narbonenſem auctoritate ſibi ab apoſtolica ſede conceſſa, præſtito juramento de parendo mandatis ſuis, juxta formam Eccleſiæ abſolviſſet à ſententia excommunicátionis qua tenebatur aſtrictus pro eo quòd dictum Ar. Guilabertum Clericum uxoratum, publicum Narbonenſem ſcriptorem, ac Domini Narbonenſis Archiepiſcopi Notarium, capi & captum carcerali cuſtodiæ feciſſet tamdiu donec ibidem carnis debitum exolviſſet, demum idem Dominus Epiſcopus, deliberatione habita, & magnorum conſilio adhibito, mandata infraſcripta dedit & injunxit eidem Domino Amalrico pro pœnitentia ſalutari, ad profectum animæ ſuæ, & ut præſumptores & eccleſiaſtici ordinis contemptores perpetrare ſimilia pertimeſcant, tranſeátque hujuſmodi ſatisfactio ad poſteros in exemplum. In primis injunxit eidem Domino Amalrico, dictus

Digitized by Google

Dominus Epiſcopus quòd nunquam de cetero Clericum capiat vel capi faciat abſque ſui judicis eccleſiaſtici licentia, vel captum à ſuis faciat detineri. Conſequenter injunxit eidem quòd corpus ejuſdem Ar. Clerici defuncti ſuis expenſis quærat vel quæri faciat, ubicunque reconditum fuerit, & oſſa illius, quæ inventa fuerint, ad domum ubi dictus Ar. cum uxore ſua, dum viveret, morabatur faciat apportari, & inde honorificè cum celebritate debita, vocato Clero ſancti Juſti, oſſa illa in lecto, ac ſi funus recens vel cadaver eſſet, in cimiterio ſancti Felicis, cujus dictus Ar. parrochianus extiterat, tradantur more ſolito eccleſiaſticæ ſepulturæ, & hæc omnia procuret ſuis ſumptibus dictus Dominus Amalricus Vicecomes memoratus. Inſuper præcepit & injunxit eidem Domino Amalrico dictus Dominus Epiſcopus quòd Rectori dictæ Eccleſiæ ſancti Felicis tantum aſſignet perpetuò in redditibus quòd idem Rector & ſucceſſores ſui annuatim dicti Ar. anniverſarium in jamdicta ſancti Felicis Eccleſia faciant celebrari in ea die in qua cum dicto Rectore dictus Dominus Epiſcopus ordinabit; ita quòd tunc quicunque Rector fuerit Eccleſiæ ſancti Felicis, faciat à decem ſacerdotibus Miſſas ibidem celebrari pro anima dicti Ar. & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Quibus celebratis, & abſolutione defunctorum, ut moris eſt, facta in cimiterio, dictus Rector det ſacerdoti cuilibet ſex denarios Melgorienſes liberaliter pro remedio animæ dicti Ar. & pro expiatione dicti commiſſi ipſius Domini Amalrici. Ad evidens etiam teſtimonium, ut clareat dicti commiſſi ſatisfactio in exemplum, voluit & præcepit dictus Dominus Epiſcopus quòd præfatus Dominus Amalricus inſtituat unam lampadem in Eccleſia ſancti Juſti Narbonenſi archiepiſcopali, quæ de die & nocte

Digitized by Google

ardeat & fortiter luceat in medio ipſius Eccleſiæ, tantúmque aſſignet Sacriſtæ ſancti Juſti in redditibus quòd quicunque pro tempore Sacriſta fuerit, dictam lampadem de redditibus ſibi ab eodem aſſignatis ardere faciat & lucere ſine fraude. Præcepit nihilominus eidem Domino Amalrico quòd decem libras Turonenſes expendat in veſtimentis fratrum Minorum & Prædicatorum & aliorum pauperum ob reverentiam Jeſu Chriſti. Hæc univerſa & ſingula injunxit dictus Dominus Epiſcopus ipſi Domino Amalrico pro pœnitentia ſalutari, mandans ei & præcipiens in virtute præſtiti juramenti quòd prædicta omnia mandata totaliter compleat humiliter & devotè uſque ad inſtans feſtum Natalis Domini, ita quòd per hanc ſatisfactionem poſſit tanti commiſſi à Deo veniam conſequi, divinam gratiam & æterna gaudia promereri. Data fuerunt hæc mandata & præcepta dicto Domino Amalrico per dictum Dominum Epiſcopum apud Biterrim, in ſcholis Theologiæ fratrum Minorum, in præſentia & teſtimonio dicti Domini Ja. Dei gratia Abbatis ſancti Affrodiſij de Biterris, Guillelmi Duranti Canonici Magualonenſis, Guillelmi Atthonis Canonici Biterrenſis, R. Guiraudi Helemoſinarij ſancti Affrodiſij, Poncij de la Redorta Militis, R. de Lacu Militis, Ermengaudi de Podio Juriſperiti de Biterris, R. de Furno civis Biterrenſis, Ber. de Selliano, Gr. de Pepios de Aziliano, Beraudi de Salvio, & mei Magiſtri Michaëlis publici Biterrenſis Notarij, qui omnibus ſupradictis interfui, & de mandato dicti Domini Epiſcopi hæc ſcripſi, & ſignum meum appoſui.

Vide Catellum in Memoriis Hiſtoriæ Occitanicæ pag. 609.

XXVI.

Bulla Innocentij IV. de confeſſionibus parrochianorum per proprios ſacerdotes audiendis, & ſacramentis per ipſos adminiſtrandis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Lecta coram nobis gravis dilectorum filiorum Abbatis & Capituli ſecularis Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonenſis querimonia continebat quòd licèt in ipſa & aliis Eccleſiis ad eos immediatè ſpectantibus ad audiendas parrochianorum ipſorum confeſſiones deputaverint ſacerdotes, qui ægras mortalium mentes pia moderatione pro ætate, ſexu, & viribus ad ſalutem perducere divina curatione noverunt, nihilominus tamen ipſi parrochiani, irrequiſitis eiſdem ſacerdotibus, immo potiùs damnabiliter vilipenſis, ad quoſdam Religioſos, velut apud ipſos reſinam duntaxat ſalutis inveniant, ſe temerè transferentes, opertos eis peccatorum nudant morbos, iniquitatis revelant ſecretum, & virus vitiorum in confeſſione depromunt. Et quanquam iidem Religioſi, cùm non ſint ſui judices, ipſos non poſſint ſolvere vel ligare, imaginaria tamen quadam abſolutione ipſis illudere ac noſtræ peregrinationis poſtmodum conferre viaticum in ſuarum non verentur diſpendium animarum. Ex quo illud inconveniens evenit, quòd celerem ſibi parrochianus talis damnationem inducit, qui non dijudi-

Digitized by Google

cans corpus Chriſti, ipſum à labe ſic ſuſcipit criminum non mundatus, & ſacerdos illi, apud quem pro tali parrochiano ægroto animam ſuam defixit, non poteſt, vultum ipſius ignorans, de illo dignam reddere rationem, nec ei ſuæ curæ commiſſo ſalubria remedia parare, cùm ægritudinem ſuam ejúſque circumſtantias aliquatenus non agnoſcat. Porrò, tanquam parum ſit proprios taliter ſacerdotes deſpicere, niſi eorumEccleſiæ pariter contemnantur, iidem parrochiani, ſicut prædictorum Abbatis & Capituli habebat aſſertio, cùm in præfatis Eccleſiis tam in officiis divinis quàm ſacræ prædicationis eloquiis aure devotionis vocem ſui deberent ſuſcipere ſacerdotis, ipſis Eccleſiis contra ſacrorum canonum ſtatuta contemptis, ad eorundem Religioſorum divertunt Eccleſias, prædicta officia inibi pro ſuę voluntatis arbitrio audituri. Ptopter quod ipſis nihilominus Religioſis,qui tales deberent præſumptores abicere, eos cum gravi aliorum jactura allicientibus &, ut fertur, inducentibus ad præmiſſa, contingit prædictos Abbatem, Capitulum, & ſacerdotes Eccleſiarum ipſarum ſolitis parrochianorum ſuorum oblationibus aliiſque obventionibus multipliciter defraudari. Ceterùm adjecerunt iidem Abbas & Capitulum, quòd ſi parrochianorum ſuorum necnon Eccleſiarum earundem contingat in ægritudinis lectum quemquam decidere, ſtatim confluunt Religioſi prædicti, & plerunque infirmum invitatione præventa ſub pietatis ſpecie viſitantes, ipſius teſtamentum componunt & ordinant, magno tandem aſcribentes muneri, ſi executores mereantur ipſius fieri teſtamenti. Quid plura? Blandis ipſorum infirmus illectus ſermonibus, omiſſis avitis & paternis ſepulcris apud eos eligens ſepeliri, ampla ipſis, prædictis verò Eccleſiis nulla vel modica legata largitur, & ut ex hujuſmodi legatis

Abbas & Capitulum ac ſacerdotes prædicti non poſſint ab eis canonicam exigere portionem, interdum ipſa, ut creditur, non ſine fraudis commento ad fabricam & perpetuum divinum cultum ſuarum Eccleſiarum relinqui procurant. Verùm cùm per hæc & alias ab ipſis Religioſis memoratis Abbati & Capitulo & præfatis ſacerdotibus multiplices irrogatas injurias ipſi mutilationem in ſuis beneficiis non modicam patiantur, fuit nobis ex parte ipſorum humiliter ſupplicatum ut moleſtiis & injuriis terminum dignaremur imponere ſupradictis. Nos itaque, qui cunctos Chriſti fideles & præſertim regularis ordinis profeſſores eo providentiæ ſtudio gubernari cupimus ut in eis curioſus etiam ſcrutator nihil inveniat nota dignum, ipſorum Religioſorum famæ, parrochianorum ſaluti, & prædictorum Abbatis & Capituli & ſacerdotum prædictarum Eccleſiarum profectibus ſalubriter providere volentes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus præfatos parrochianos, ne contemptis prædictis Eccleſiis pro divinis audiendis officiis & recipiendis temporibus congruis eccleſiaſticis ſacramentis ad alienas accedant Eccleſias, nec non & ipſos Religioſos, cujuſcunque ſint ordinis, ne in aliorum præjudicium parrochianos præfatos ad hujuſmodi officia ſeu ſacramenta recipiant, nec confeſſiones audiant eorundem, niſi petita priùs & obtenta licentia à ſacerdote proprio juxta ſtatuta Concilij generalis, nec etiam, niſi apud eos ex devotione animi elegerint tumulari, ipſos ad ſepulturam admittant, ita tamen quòd tunc eædem Eccleſię portione canonica non fraudentur, auctoritate noſtra per te vel per alium attentiùs moneas, & inducas ipſos ad id, & ut de cetero ab hujuſmodi prædictorum Abbatis & Capituli & eorundem Eccleſiarum ſacerdotum moleſtiis & injuriis

omnino abſtineant, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota prævia ratione compellens. Non obſtante aliqua indulgentia Religioſis ipſis vel aliis ſub quacunque verborum forma ab apoſtolica ſede conceſſa, per quam non expreſſam præſentibus de verbo ad verbum præmiſſa impediri valeant vel differri. Datum Aſiſij VI. Idus Maij, pontificatus noſtri anno undecimo.

Extat in eodem archivo ſimilis Bulla ad eundem Archiepiſcopum eadem die miſſa in gratiam Prioris ſanctæ Mariæ de Burgo Narbonenſi, ordinis ſancti Benedicti. Vide Thomam Cantipratanum in libro ſecundo Apum cap. XXII. *& ſeqq.*

XXVII.

Epiſtola Alexandri IV. Papæ ad Guidonem Fulcodium Epiſcopum Anicienſem, qua eum orat ut Narbonenſis Archiepiſcopi negotia ſuo favore foveat apud Regem.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Epiſcopo Anicienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inclita memoria progenitorum cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Regis Franciæ per orbem terrarum celebris habetur in multis, ſed in eo præcipuè, quòd ipſi virtutum deſudantes operibus, miniſtros Dei pio favore proſequi & Eccleſias ac religioſa loca regni ſui ſtuduerunt devotiſſimè venerari, multis illa fœcundando divi-

tiis, & fovendo præſidiis opportunis. Sanè de jamdicto Rege, cujus fama clariſſima ubique terrarum per Dei gratiam mirabiliter eſt diffuſa, evidentibus ſignis agnoſcitur quòd ipſe progenitoribus eiſdem in piis votis & bonis operibus multùm aſſimilis invenitur. Hac ſiquidem de cauſa nos litteras noſtras ei direximus continentes ut Seneſcalcum Carcaſſonenſem & Balivos ſuos tradita ſibi poteſtate coerceat quòd ipſi venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum & Eccleſiam Narbonenſem, ac Prælatos Eccleſiarum ſuę civitatis & diocesis, necnon quoſdam ex ſuffraganeis ejuſdem Eccleſiæ, in ſuis juribus & libertatibus non offendant. Habetur etiam in eiſdem litteris quòd idem Rex pro divina & noſtra reverentia jamdictum Archiepiſcopum deſiſtat cogere ut in curia ſua de quibuſdam caſtris & poſſeſſionibus ſpectantibus ad præfatam Eccleſiam debeat reſpondere. Quia verò delectabile tibi eſſe credimus ut illa quæ Deo grata & accepta nobis eſſe percipis, promptis affectibus exequaris, fraternitatem tuam attentè rogandam duximus & monendam, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatinus præfatum Regem ſecundùm datam tibi à Deo prudentiam efficaciter moneas & inducas quòd ipſe preces noſtras pro eodem Archiepiſcopo ſibi directas benignè audiat & perficiat diligenter, ita quòd nos illa quæ opportuno tempore ſibi votiva ſenſerimus, paterna benivolentia compleamus, & tibi nihilominus ſimus propter hoc in condigna gratiarum affluentia debitores. Quod autem ſuper hoc inveneris & feceris, nobis fideliter reſcribere non omittas. Datum Anagniæ II. Kal. Octobris, pontificatus noſtri anno quinto.

De eadem re ſcriptum eſt Archiepiſcopo Rothomagenſi IV. *Non. Octobr. ejuſdem anni. Extat*

authenticum in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Quo loco adnotandum eſt, Bullam primò ſcriptam fuiſſe ad Archiepiſcopum Bituricenſem, ſed iſtud mutatum eſſe. Nam in authentico ſuper verbo Bituricenſi *ſcriptum eſt* Rothomagenſi. *Et in fronte Bullæ hæc ſcripta ſunt.* Non ſcribatur Bituricenſi Archiepiſcopo, ſed Archiepiſcopo Rothomagenſi, qui eſt præcipuus inter Conſiliarios Domini Regis, & cui, ut dicitur, multùm credit. *In eundem modum ſcriptum eſt Conſiliariis Regis Franciæ. Datum* IV. *Non. Octobris.*

XXVIII.

Decretum electionis Guidonis Fulcodij Archiepiſcopi Narbonenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

IN nomine Domini & individuæ Trinitatis. Anno MCCL. nono, VI. Idus Octobris. Conſtat quidem hoc publico & authentico inſtrumento, quòd cùm vacante Narbonenſi Eccleſia Capitulum Narbonenſe in nos Berengarium Sacriſtam, Pontium de Broa Archidiaconum Reddenſem, Magiſtrum B. Succentorem, G. Petri & Benenatum de Lavannia Canonicos Narbonenſes, electos electores per G. Archidiaconum & S. Præcentorem Narbonenſes, & datos, ex poteſtate ipſis ab eodem Capitulo tradita providendi ipſi Eccleſiæ de Paſtore, unanimiter tranſtulepoteſtatem, promittentes quòd ipſum quem ex nobis vel aliis per electionem canonicam ſeu poſtulationem nos quinque vel major pars ex nobis duxerimus eligendum vel etiam poſtulandum reciperent in

Archiepiſcopum & Paſtorem, nos ſiquidem quinque electores ſuperiùs nominati, habito inter nos ſuper proviſione hujuſmodi diligenti tractatu, Deum ſolum habentes præ oculis, & communem totius provinciæ utilitatem tam ſpiritualiter quàm temporaliter providè attendentes, ad proviſionem Eccleſiæ ſupradidictæ ſecundùm datam nobis à Deo providentiam proceſſimus in hunc modum. Ego Pontius de Broa Reddenſis Archidiaconus in Eccleſia Narbonenſi conſentio in Dominum Guidonem Epiſcopum Anicienſem, in Narbonenſem Archiepiſcopum poſtulandum. Et ego Berengarius de Narbona Sacriſta conſentio in Dominum Guidonem Anicienſem Epiſcopum ſupradictum. Et ego Magiſter B. Bellini Succentor conſentio in eundem Dominum Guidonem Anicienſem Epiſcopum. Et ego Guillermus Petri conſentio in prædictum Dominum Guidonem Epiſcopum Anicienſem. Et ego Benenatus de Lavannia in nomine Domini conſentio in Dominum Guidodonem Anicienſem Epiſcopum ſæpedictum. Cùmque divina faciente gratia in idem conveniant vota noſtra, Ego Berengarius Sacriſta prædictus pro me & pro omnibus coëlectoribus meis antedictis de mãdato ipſorum coëlectorum expreſsè mihi facto vice mea & vice eorundem coëlectorum meorum necnon & Capituli Narbonenſis prædictum Dominum Guidonem Anicienſem Epiſcopum in Archiepiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ Narbonenſis poſtulo eligendum ac eligo poſtulandum. Actum in Capella ſancti Pauli, in qua conveniunt Canonici in Capitulo, præſentibus electoribus ſupradictis & me S. Rainaudi Notario Domini Archiepiſcopi Narbonenſis, qui interfui omnibus ſupradictis, & hoc præſens decretum ſcripſi, & in publicam formam redegi rogatus. Et ne prædicta valeant in dubium revocari,

Digitized by Google

Capitulum ſupradictum hoc Decretum ſuo communi ſigillo munivit. Et ad majorem cautelam tam ſupradicti Electores quam ceteri de Capitulo qui voluerunt & potuerunt ac debuerunt intereſſe, præſenti Decreto ſua ſigilla fecerunt apponi.

XXIX.

Acta homagij quod anno MCCLX. Amalricus Vicecomes Narbonenſis præſtitit Guidoni Fulcodio Archiepiſcopo Narbonenſi.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

VNIVERSIS tam præſentibus quàm futuris ſit manifeſtum & clarum quòd nobilis vir Amalricus Dei gratia Vicecomes Narbonæ, pro ſe & heredibus & ſucceſſoribus ſuis tam præſentibus quàm futuris, cum hac publica ſcriptura ſcit, profitetur, & in veritate recognoſcit Domino Guidoni Dei gratia Epiſcopo ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ electo & ſucceſſoribus ſuis ſe & anteceſſores ſuos ſemper habuiſſe & tenuiſſe ab ipſo Domino Guidone & à prædeceſſoribus ſuis & ipſe adhuc ab ipſo tenet in feudum quicquid quantumcumque hodie habet & poſſidet vel habere poteſt aut debet aliquo modo vel aliquo jure vel ratione, vel aliqui alij habent hodie, tenent, ſeu poſſident, ſeu unquam etiam anteceſſores ſui habuerunt, tenuerunt, & poſſederunt in toto burgo Narbonæ & in ſuis terminiis, appendiciis, & adjacenciis, longè & propè, & totam etiam medietatem civitatis Narbonæ, ſicut limitata & terminata eſt, cum ſuis terminiis, appendiciis, &

adjacentiis, longè & propè; pro ut in compoſitione olim facta inter Dominum Aimericum genitorem ſuum & Dominum Arnaudum bo. me. anteceſſorem ipſius Domini Guidonis pleniùs continetur; videlicet ſicut diſcurrit hæc medietas civitatis à porta aquaria, quæ nunc eſt ferrea, ſubtus Palatium ſuum, per viam rectam, uſque ad quadrivium Crucis, & ab ipſo quadrivio uſque ad furnum ſancti Juſti, & deinde per mercatum vetus ad portam regiam. Scit etiam, profitetur, & in veritate recognoſcit eidem dicto Domino ſuo Guidoni & Eccleſiæ Narbonenſi quòd ſui proprij juris ſunt & in ſuo proprio alodio & jure dominij habent & tenent, & habere & tenere debent in prædicta parte civitatis, quam ab ipſo tenet verſus Circium, ſicut dictum eſt, ſcilicet Milites & firmancias Militum & familiarium eorum & etiam Clericorum & omnium habitantium in domibus eorundem, & fevales, & albergas Militum, & turres, cum manſis & muris & eorum pertinenciis, quæ quidem turres ſunt à medio portali de porta regia in ea præ nominata parte civitatis verſus Circium uſque ad turrem Maureſcam, quæ tota cum ſuis tenenciis eſt de jure archiepiſcopali, & totum Capitolium, & manſum Arnaudi Amalrici, & manſum qui fuit Prioris de Monte-Laurencio, & manſum Poncij de Maluis, & manſum qui fuit Petri de Aviacio, & domos etiam Clericorum. Et pro iis omnibus & ſingulis ſupradictis, quæ dictus Dominus Amalricus tenet à dicto Domino electo & Eccleſia Narbonenſi, gratis & non circumventus in aliquo aut ſuggeſtus, ſed ſua ſpontanea voluntate, cum hac eadem publica ſcriptura nunc & ſemper firmiter valitura pro ſe & omnibus heredibus & ſucceſſoribus ſuis præſentibus atque futuris ſuper ſancta Dei Evangelia manualiter tacta eidem

Domino

Digitized by Google

Domino Guidoni Epiſcopo ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ electo & ſucceſſoribus ſuis juravit & Eccleſiæ Narbonenſi fidelitatem & vitam & membra, ita quòd ipſum Dominum Guidonem Epiſcopum ſanctę Narbonenſis Eccleſiæ electum & Eccleſiam Narbonenſem & res bonáque ipſorum pro poſſe ſuo ubique contra quaſlibet perſonas defendet, cuſtodiet, ac conſervabit ab omni damno & læſione, & fidelis in omnibus & per omnia eis ſemper erit, tanquam homo vel vaſſallus eſſe debet domino ſuo. Et ſic junctis manibus ſitis ac miſſis inter manus dicti Domini electi, homagium ei fecit & recognovit in præſenti, promittens eidem ſua bona fide & ſub virtute præſtiti juramenti quòd ipſe vel ſucceſſores aut heredes ſui per ullam interpoſitam perſonam vel ſubrogatam contra hæc prædicta vel eorum aliquid nunquam venient vel veniri facient aliquo jure vel ratione, nec fecit vel faciet aliquid quò minùs eidem Domino electo vel ſucceſſoribus ſuis valeant & Eccleſiæ Narbonenſi. Sciendum tamen quòd cùm prædictus nobilis homagium facturus prædictum diceret quod ſalvo jure ſuo & aliorum juramentum & fidelitatem præſtaret, ſæpedictus Dominus G. Epiſcopus ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ electus taliter recipere homagium recuſavit. Et tunc prædictus nobilis ſimpliciter fecit homagium & fidelitatis præſtitit juramentum. Acta fuerunt hæc apud Narbonam in Eccleſia beatorum Martyrum Júſti & Paſtoris, coram altare ſancti Juſti, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, regnante Rege Lodoyco, VIII. Idus Madij, in præſentia & teſtimonio Guillermi Bardinæ Archidiaconi majoris Narbonenſis, Bernardi Archidiaconi Corbarienſis, Poncij de Broa Archidiaconi Redenſis, Petri de Salſis Archidiaconi de Fenolleto, Srephani Amelij Præ-

Digitized by Google

centoris, Berengarij de Narbona Sacriſtæ, Guillermi Petri, Raimundi Gaiſſati, Philippi Sacriſtæ Agathenſis, Gandulphi & Benenati Canonicorum Narbonenſium, Petri Archidiaconi Agathenſis, Jacobi Eſquerij Canonici Agathenſis, Guillermi Magiſtri Helemoſinarij, Johannis Romegeria Ebdomedarij ſancti Juſti, Raimundi de Durbanno, Bernardi de S. Stephano, Guiraudi de Pipionibus, Gaucerandi de Fontejoncoſo, Guillermi de Borbono, & Guidonis de Senacio Militum, Guillermi Augerij, Raimundi de Crozis, & Johannis Guarini Clericorum Petri Groſſi, Sicardi Fabri, Guillermi Fabri, Raimundi Petri, Raimundi Boneti, Raimundi Agarni, Petri de Lacu, Magiſtri Petri de Villalonga, Domini Raimundi Alfredi Canonici Anicienſis, Domini Alphanni Militis, Petri Raimundi de Montepeſſulano, Petri de Fraxino, Berenguarij Mainardi, Guiraudi Ademari, Bedocij de Ceiano, Petri Boverij Vicarij curiæ Domini Amalrici, & Bernardi Tranſvilla Judicis ejuſdem curiæ, Petri Raimundi Bedocij Vicarij curiæ Domini Archiepiſcopi, & Raimundi Barbelli Officialis ejuſdem curiæ, Stephani Rainaudi Notarij Domini Archiepiſcopi, & plurium aliorum, & mei Petri Grandis publici Biterris Notarij, qui hæc ſcripſi, & ſignum meum appoſui.

Noverint univerſi & ſinguli præſentem cartam inſpecturi quòd cùm nobilis vir Amalricus Dei gratia Vicecomes Narbonenſis proteſtaretur, cùm vellet homagium facere & fidelitatis juramentum præſtare venerabili Patri Domino Guidoni Dei gratia Epiſcopo ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ electo, ſalvo jure ſuo & aliorum, jus ſuum proteſtans & ſibi reſervans in iis quæ acta fuerunt in compoſitionibus initis inter Dominum Aimericum genitorem ſuum & bo.

me. Dominos Arnaudum & Petrum Archiepiſcopos Narbonenſes, dictus venerabilis Pater Dominus Guido Epiſcopus ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ electus proteſtationem hujuſmodi non recipiens nec acceptans, proteſtatus fuit quòd pleno jure ſuo & Narbonenſis Eccleſię purè ac ſimpliciter homagium recipiebat & debitæ fidelitatis juramentum. Acta fuerunt hæc anno quo ſuprà & die in Eccleſia beatorum martyrum Juſti & Paſtoris, in præſentia & teſtimonio prædictorum teſtium, & mei Petri Grandis publici Biterris Notarij, qui hæc ſcripſi, & ſignum meum appoſui.

XXX.

Vrbani Papæ IV. epiſtola ad Guidonem Archiepiſcopum Narbonenſem, ne diutiùs pertinax ſit in recuſando Cardinalatus honore.

Ex duplici codice MS. uno regio, & altero noſtro.

PROFUNDIS meditationibus laborioſiſque vigiliis urgens Eccleſiæ generalis non d ſſi nulanda neceſſitas nos & fratres noſtros reddit anxios in acquirendis viris ſecundùm cor noſtrum idoneis ad Cardinalatus præminentiam aſſumendis. Opus enim eſt, cùm de talibus agitur, curam aſſiduam, ſollicitam operam, & vigile ſtudium adhiberi, ut inſigniendi tantæ titulo dignitatis, habeantur devotionis immenſitate præfulgidi, conſilij maturitate conſpicui, diſcretionis honeſtate decori, magnanimitate ſublimes, & virtutibus præcellentes. In cardine quidem præminentis apoſtolatus divina provi-

dentia tales voluit conſedere miniſtros, eóſque tanti prærogativa ſublimavit honoris, ut tanquam membra in unum corpus convenientia Summo Pontifici velut proprio capiti deſervirent, & exiſtentes ejuſdem Eccleſiæ columnæ præcipuæ, ipſius onera ſupportarent. Inter alios autem quos omnipotens ad gerendum tantum officium utiles noſtrum & eorundem fratrum conſilium honorari decrevit, ad perſonam tuam ſpecialiter mentis noſtræ convertimus aciem, & penſatis omnibus quæ penſari ergà tam ardui qualitatem negotij debuerunt, te in Epiſcopum Sabinenſem duximus eligendum. Tu verò prætendens quòd Eccleſiæ ac provinciæ Narbonenſi neceſſarius habebaris, quòdque in illis partibus ergà curam animarum gratum Deo ſacrificium immolare, ac volens in ea vocatione in qua vocatus fueras à Domino remanere, tuis etiam diebus cupiens indulgere quieti, ab onere Cardinalatus eximi poſtulaſti. Profectò fatemur quòd exiſtens ubilibet per opera utilia & exempla laudabilia fructuoſus, ædificas utiliter ad ſalutem, & ex data prudentia tibi divinitus ſcis & potes fructus laudabiles in domo Domini germinare. Talia namque nos potiſſimùm induxerũt ut te in partem ſollicitudinis apoſtolicæ vocaremus; ut quantò majorem in hac parte laborem aſſumens, tanto tibi apud Deum potiora pręmia compares. Intendentes igitur commoda publica præferre privatis, & nolentes quòd prætextu Narbonenſis Eccleſiæ, ſedis apoſtolicæ, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt & magiſtra, derogetur honori, ſupplicationibus tuis non duximus annuendum. Ceterùm ne ulteriùs ſimilis excuſationis materiam proſequaris, quinimmo beneplacitis apoſtolicis tua vota conformes, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus quatenus omnibus prætermiſſis infra

. . . . feſtum ad præſentiam noſtram feſtinus accedas, impoſitum tibi onus ad laudem divini nominis ejuſdem generalis Eccleſiæ ſuſcepturus.

Vide epiſtolam Vrbani IV. ad Ludovicum IX. Francorum Regem, quæ edita eſt à Raynaldo ad annum 1262. §. 45.

XXXI.

Vrbani Papæ IV. epiſtolæ ad Guidonem Epiſcopum Sabinenſem, ſedis apoſtolicę Legatum in Angliam deſtinatum.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

VRBANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guidoni Epiſcopo Sabinenſi, apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm te ad partes Angliæ, tibi commiſſo inibi ac in Vvallia & Hibernia plenæ legationis officio, pro ingenti & arduo negotio duxerimus deſtinandum, quia in deſideriis noſtris geritur ut ſubmotis impedimentis quibuſlibet hujuſmodi negotium felicem conſequatur effectum, convocandi ad tuam præſentiam Principes ac Eccleſiarum Prælatos & alios quoſcunque fideles quorumlibet regnorum & provinciarum, quandocunque promotioni dicti negotij videris expedire, ac injungendi quæ utilia ipſi negotio fore videris, ac invocandi eorum auxilium contra quaſcunque perſonas eccleſiaſticas ac ſeculares tuæ legationis & alias adhærentes eiſdem quæ tibi non paruerint vel te impedire

præſumpſerint in negotio ſupradicto, compellendi quoque monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota Principes, Prælatos, & fideles eoſdem ad impendendum tibi hujuſmodi auxilium, non obſtantibus aliquibus indulgentiis ſedis apoſtolicæ de quibus quarúmque totis tenoribus oporteat in noſtris litteris plenam & expreſſam mentionem fieri, & per quam effectus conceſſionis hujuſmodi impediri valeat vel differri, fraternitati tuę plenam concedimus auctoritate præſentium poteſtatem. Datum apud Urbem-veterem x. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno tertio.

XXXII.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guidoni Epiſcopo Sabinenſi, apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm te ad regnum Angliæ, commiſſo tibi in illo, in Vvallia, & Hibernia legationis officio, ſpecialiter deſtinemus, nos volentes ut ſpiritualium largitione munerum incolas illarum partium reddas Deo & ſedi apoſtolicæ plus devotos, fraternitati tuæ diſpenſandi per te, vel per alium, aut alios, cum Eccleſiarũ Prælatis & perſonis eccleſiaſticis tuæ legationis ſuper irregularitate quam contraxerũt vel contraxerint legatione durante, ferendo in alios, contra conſtitutionem felicis recordationis Innocentij Papæ prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editam, excommunicationis ſententiam ſine ſcriptis, & non abſtinendo à divinis juxta tenorem conſtitutionis ipſius, liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem vi. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno tertio.

Digitized by Google

XXXIII.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guidoni Epiſcopo Sabinenſi, apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex injuncto nobis apoſtolatus officio, quod meritò nos conſtituit omnibus debitores, circa emergentia undique negotia neceſſariò invigilamus, & ubi præſentiam noſtram exhibere non poſſumus, ibi per illos quos nonnunquam de latere noſtro ſumimus, curamus exſolvere debitum apoſtolicæ ſervitutis. Intellecto igitur quòd hoſtis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ ſeminator, gravem diſſentionem in regno Angliæ ſuſcitarat, ex qua ipſius regni fidelibus gravia corporum & animarum diſpendia imminere noſcuntur, nos felicem ejuſdem regni ſtatum plenis deſideriis affectantes, te, quem Dominus erudivit ſapientia & virtutibus inſignivit, ad partes illas pro ſedanda diſſentione hujuſmodi, tanquam pacis angelum, commiſſo tibi plenæ legationis officio, deſtinamus. Propterea cupientes ut hujuſmodi negotium felicem conſequatur effectum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ſi rebellionem venerabilium fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum & aliorum Prælatorum Eccleſiarum, ac Nobilium virorum, Comitum, Baronum, & aliorum regni ejuſdem requirere videris, contra illos qui tibi vel cariſſimo in Chriſto filio noſtro Regi Angliæ illuſtri rebelles fuerint, per te vel alios regulares & ſeculares, quos ad hoc idoneos eſſe cognoveris, prædices verbum crucis, & eam volentibus recipere largiaris; conceſſa illis qui in propriis laboribus & expenſis in ſubſidium dicti Regis & in favorem prædicti negotij, & eis qui in propriis

Digitized by Google

perſonis, ſed in alienis expenſis, ac illis qui in expenſis ſuis mittent idoneos bellatores contra rebelles hujuſmodi, illa ſuorum venia delictorum, de quibus veraciter corde contriti & ore confeſſi fuerint, quæ terræ ſanctæ ſuccurrentibus in generali Concilio eſt conceſſa. Ceterùm commutandi omnia vota, & ſi urgenti neceſſitati negotij videris expedire, etiam Jeroſolymitanum, in hujuſmodi ſubſidium, liberam tibi concedimus auctoritate præſentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno tertio.

XXXIV.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guidoni Epiſcopo Sabinenſi, apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pro ſedanda diſcordia quam pacis æmulus & zizaniæ proſecutor inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrũ Regem & cariſſimã in Chriſto filiam noſtram Reginam Angliæ illuſtres ac natos ipſorum ex parte una, & nonnullos Barones, Nobiles, ac alios regni Angliæ, ex altera, ſeminavit, & pro quibuſdam aliis arduis & urgentibus negotiis commiſſo tibi tam in eodem regno quàm in Vvallię ac Hiberniæ partibus plenæ legationis officio, de fratrum noſtrorum conſilio te duximus deſtinandum, quamplurima tibi nihilominus per ſpeciales literas concedendo. Volentes igitur ut præmiſſi officij executio tibi ſit libera, & ſubmotis difficultatibus ac impedimentis quibuſlibet expedita, tenore præſentium declaramus quòd noſtræ intentionis & voluntatis exiſtit quòd per prædicta quæ tibi ſpecialiter ſunt conceſſa, iis quæ tibi ratione legationis competunt, in nullo penitùs derogetur; ſed volumus quòd hoc non obſtante, illa plenariè ac liberè nihilominus exequaris. Datum apud

Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus noſtri anno tertio.

XXXV.

VRbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guidoni Epiſcopo Sabinenſi, apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm te ad partes Angliæ, tibi commiſſo inibi ac in Vvallia & Hibernia plenæ legationis officio, pro quibuſdam arduis & urgentibus negotiis deſtinemus; nos volentes ut ſpiritualium largitione munerum incolas illarum & aliarum partium, ad quas te devenire contigerit, reddas Deo & ſedi apoſtolicæ plus devotos, fraternitati tuæ præſentium auctoritate concedimus ut in magnis colloquiis & congregationibus quæ occaſione prædictorum negotiorum pro quibus te ad partes illas mittimus, tam infra legationis tuæ fines quàm extra, fieri contigerit, & in feſtis ſolemnibus, in Miſſarum ſolemniis, ac in tranſlationibus ſanctorum, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad colloquia, congregationes, ſolemnia, tranſlationes hujuſmodi acceſſerint, unum annum & quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer valeas relaxare. Datum apud Urbem-veterem Idibus Decembris, pontificatus noſtri anno tertio.

Vide epiſtolam ejuſdem Vrbani ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & ceteros Eccleſiarum Prelatos per regnum Angliæ conſtitutos, quæ ab Odorico Raynaldo edita eſt ad ann. 1263. §. 85.

Digitized by Google

XXXVI.

Bulla Clementis IV. adverſùs monachos quoſdam Pariſienſes, qui interdictum Epiſcopi Pariſienſis non obſervaverant.

Ex Chartulario Epiſcopi Pariſienſis.

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Decano, Theſaurario, & Officiali Meldenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noſter Pariſienſis Epiſcopus petitione monſtravit quòd cùm ipſe nuper pro quibuſdam injuriis ſibi & Eccleſiæ Pariſienſi à Præpoſito & Cuſtode civitatis Pariſienſis illatis civitatem ipſam ſuppoſuiſſet exigente juſtitia eccleſiaſtico interdicto, Abbas & Conventus monaſterij ſanctæ Genovefę Pariſienſis, ordinis ſancti Auguſtini, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ſancti Martini de Campis, ſancti Dionyſij de carcere, ac ſancti Juliani pauperis monaſteriorum Priores & monachi Cluniacenſis ordinis, necnon Magiſter & frater Hoſpitalis Hieroſolymitanenſis Pariſienſis, interdictum hujuſmodi temerè contemnentes, eo durante apertis januis, pulſatis campanis, alta voce divina officia damnabiliter celebrarunt, recipiendo interdictos præfatæ civitatis ad eccleſiaſtica ſacramenta, ipſorumque corpora defunctorum faciendo in cimiteriis ipſarum Eccleſiarum ſepeliri, quantumcumque ſuper hoc privilegium ſeu indulgentiam ſedis apoſtolicæ non duxerint oſtendenda. Quare nominatus Epiſcopus nobis humiliter ſupplicavit ut memoratos Abbatem & Conventum, Priores & monachos,

Magiſtrum & fratres, propter hoc puniri pœna canonica faceremus. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit auctoritate apoſtolica decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quòd ſi non omnes iis exequendis potueritis interreſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Viterbij Idibus Junij, pontificatus noſtri anno ſecundo.

XXXVII.

Littera ſuper ſubjectione & obedientia Prioris & fratrum de Monte Carmeli, & ſuper emenda de interdicto Epiſcopi ab ipſis non ſervato.

Ex Chartulario Epiſcopi Pariſienſis.

VNIUERSIS præſentes litteras inſpecturis, frater Philippus Prior fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli Pariſius commorantium, ſalutem & gaudium in Domino ſempiternum. Cùm Reverendus Pater noſter in Chriſto Reginaldus Dei gratia Pariſienſis Epiſcopus, cui ſumus in ſpiritualibus & temporalibus ſubjecti & eſſe promittimus in futurum ſalva ordinis noſtri diſciplina, propter quædam gravamina notoria & manifeſtas offenſas ſibi & Eccleſiæ ſuæ in perſonis, ſecundùm quòd aſſerit, à Rege & à Servientibus ſuis, ſententiam

interdicti generaliter in civitate & dioceſi Pariſienſi exigente juſtitia promulgaſſet, nóſque ab initio ſervantes hujuſmodi interdictum, illud poſtmodum violaverimus, januis apertis, campanis pulſatis, alta voce officià celebrando divina, durante ſententia interdicti, ſignificamus univerſis quòd nos prædictus Prior, habito conſilio cum noſtro Conventu ſuper hujuſmodi exceſſu, de voluntate & aſſenſu noſtri Conventus hujuſmodi ad plenum emendavimus dicto Patri, & nos ſuppoſuimus quantum ad hoc ſuæ ordinationi penitùs & etiam voluntati, de plenitudine benignitatis ſuæ & ſolitæ miſericordiæ confidentes. Promittentes etiam pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ſub debito religionis nos firmiter & humiliter completuros quicquid dictus Pater nobis duxerit injungendum. Salva noſtri ordinis diſciplina. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum de unanimi aſſenſu fratrum noſtrorum præſentibus duximus apponendum.

XXXVIII.

Epiſtola Epiſcoporum, Abbatum, Capitulorum, & aliorum Prælatorum provinciæ Narbonenſis ad Cardinales Viterbij congregatos, qua eos orant ut Petrum de Montebruno electum Archiepiſcopum Narbonenſem quamprimùm ſinant accedere ad Eccleſiam ſuam.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

REVERENDIS in Chriſto Patribus & Dominis divina providentia ſacroſanctæ Romanæ

Eccleſiæ Cardinalibus, eorum miniſtri humiles & devoti, P. Biterrenſis, B. Tholoſanus, B. Magalonenſis, P. Agathenſis, R. Lodovenſis, R. Nemauſenſis, B. Uticenſis, & B. Elnenſis miſeratione divina Epiſcopi, ac B. permiſſione divina Carcaſſonenſis electus, Abbates, Capitula, & Prælati provinciæ Narbonenſis, quorum ſigilla inferiùs ſunt appenſa, ſe ipſos eorum obſequio deputatos, cum debitæ reverentiæ plenitudine & honoris. Quanto Narbonenſis Eccleſia & provincia continuis obedientiæ incrementis veſtris beneplacitis & mandatis fervore devotionis ſuccenſa reddit & reddidit hactenus ſe devotam, tanto fiducialiùs in ſuis quæ incumbunt neceſſitatum & utilitatum cotidianis inſtanciis ad veſtræ magnitudinis præſidium ſe convertit, tenens firmiſſimè & nullatenus hæſitans per eminentem circumſpectionis veſtræ providentiam opportunum ſibi in præmiſſis auxilium provenire. Hinc igitur, Patres beatiſſimi, dominationis veſtræ celſitudini duximus intimandum quòd Eccleſia Narbonenſi nuper paſtoris ſolatio deſtituta, viri honorabiles & diſcreti ejuſdem Canonici, Spiritus ſancti lumine, ut credimus, circumfuſi, in Reverendum virum Dominum P. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarium & Camerarium, quem extollunt de virtute in virtutem ſuæ merita probitatis, gratúmque Deo faciunt & idoneum ſervitorem, cujus excellentia nobilitatis, ſcientiæ, atque morum incognita non eſt vobis, ſuos oculos perſpicaciter dirigentes, eundem in Archiepiſcopum Narbonenſis Eccleſiæ concorditer elegerunt. Ex quo eidem Eccleſiæ totique provinciæ immenſum gaudium eſt exortum, dum ipſam in jamdicti perſona electi ex alto oriens viſitavit. Sanè quàm graviſſimis quæſtio-

num articulis per Bailivos Excellentiſſimi Domini Regis Franciæ ſæpedicta Narbonenſis provincia hoc potiſſimùm tempore concutitur & vexatur, quorum quidam in humeris noſtris noſtrorúmque prædeceſſorum diuturnam traxerunt rubiginem, ſuper quibus eundem Dominum Regem adire diſpoſuimus quidam noſtrum, quem niſi per ſedis apoſtolicæ providentiam dictíque electi ſollicitudinem indefeſſam ſedari de facili non ſperamus, ad ubertatem compaſſionis veſtræ fiducialiter recurrentes, quanta poſſumus devotionis inſtantia vobis humiliter ſupplicamus quatinus circa præfati expeditionem electi proſperam & feſtinam dantes operam, ſi placuerit, opportunam, eundem feliciter expeditum ad Narbonenſem Eccleſiam, quæ ipſius adventum ardenti expectat deſiderio, quanto commodiùs poteritis dignemini deſtinare; ut ejus præſentia ſuffulti ſubditi, pace per ipſum ſuper ſuis vexationibus impetrata, in Dei laudibus aſſiduè delectentur, & vos bonorum omnium quæ per ipſos fieri dignabitur clementia Redemptoris, participes efficiamini & conſortes. Conſervet vos Dei filius per tempora longiora.

XXXIX.

Epiſtola Nicolai III. Romani Pontificis ad Petrum de Montebruno Archiepiſcopum Narbonenſem.

Ex veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

NICOLAUS electus Epiſcopus &c. Archiepiſcopo Narbonenſi. Per nuntium & litteras quas

nuper tua nobis fraternitas deſtinavit, ſolitæ ad nos tuæ devotionis & affectionis grata recepimus argumenta, immo eò gratiora nimirum quò ſcribentis animus, prout earum litterarum ſeries reſeravit, non tam de temporalis quàm de ſpiritualis conſideratione profectus, quem de noſtra promotione ſub ſpe clementiæ divinæ ſupponis, filiali affectu matri congaudens Eccleſiæ, lætitiæ jubilo amplioris exultat. Decet enim ipſius paſtores Eccleſiæ momentaneis perpetua, fluidis ſolida, & manſura præferre caducis. Hinc ab olim in te vigere concepimus conſiderationis intuitum, hinc fieri per experientiam manifeſtum paterna tibi benivolentia congaudemus. Per iſta igitur & circa commiſſi tibi paſtoralis executionem officij ſedulus bene cœptis inſiſtens, illúdque prudenter & diligenter ad tuam creditíque tibi ſalutem gregis exercens, de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Sion videas, & meriti cumulum gregem ipſo largiente ad hujus viſionem adducas, pro viribus gradiaris; ſciturus quòd te gerimus in viſceribus caritatis, & Eccleſiam ac provinciam Narbonenſem, non ex ſuſcepti officij debito, ſed & tui ſpecialiter obtentu, habere intendimus in ſuis opportunitatibus commendatas.

Digitized by Google

X L.

Litteræ Guillelmi de Lauduno Archiepiſcopi Toloſani, quibus poteſtatem facit Preſbyteris Collegij Narbonenſis apud Toloſam fundati audiendi confeſſiones ſcholaſticorum ejuſdem Collegij, eiſque adminiſtrandi ſacramenta eccleſiaſtica.

Ex archivo Collegij S. Martialis Toloſæ.

FRATER Guillelmus miſeratione divina Archiepiſcopus Toloſanus univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Dudum Reverendus in Chriſto Pater Dominus Gaſbertus Dei gratia olim Arelatenſis nunc Narbonenſis Archiepiſcopus, pia conſideratione motus, domum quandam diverſas continens manſiones, cum ſuis viridariis, quam Toloſæ in carreria de Balatis acquiri & emi fecerat ad uſum & ſuſtentationem duodecim pauperum ſcholarium ibidem inſtituendorum, conſtituit ac etiam deputavit, quòdque in domo eadem Capellam unam perpetuam ad laudem & honorem divini nominis, ac præcelſæ Dei genitricis Mariæ ſemper virginis, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Trophimi dictæ Arelatenſis Eccleſiæ patroni, de noſtri licentia conſtruxit & fundavit, ſtatuens & ordinans quòd duo ex dictis ſcholaribus ſint Preſbyteri pauperes & dociles, qui Miſſas ſingulis diebus continuè alternis vicibus pro ſalute vivorum & requie defunctorum celebrent in Capella prædicta, ut ipſi Preſbyteri & ſcholares prædicti

dicti Miſſa non careant ullo die. Verùm cùm ipſe Dominus Archiepiſcopus nobis cum inſtantia ſupplicaverit quatinus Arnaldo de Vaxeria & Gaſberto de Sapriano Preſbyteris in dicta domo . . . . jam inſtitutis & ſucceſſoribus eorum ibidem pro tempore inſtituendis confeſſiones audiendi necnon licentiam miniſtrandi dictis ſcholaribus eccleſiaſtica ſacramenta concedere dignaremur, Nos igitur attendentes tam pium opus per ſæpedictum Dominum Archiepiſcopum Deo fore gratum & acceptum, ſupplicationi hujuſmodi dicti Domini Archiepiſcopi favorabiliter annuentes, præfatis Arnaldo & Gaſberto Preſbyteris in dictis domo & Capella jam inſtitutis & eorum cuilibet & ſucceſſoribus ſuis Preſbyteris ibidem pro tempore inſtituendis prædictas confeſſiones audiendi, & eadem ſacramenta miniſtrandi, dictíſque ſcholaribus & eorum ſervitoribus ea ab ipſis Preſbyteris recipiendi auctoritate ordinaria perpetuis temporibus concedimus poteſtatem. In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datum in caſtro noſtro de Balmario die III. menſis Junij, anno Domini milleſimo CCCXLV.

Vide Catellum in Memoriis Hiſtoriæ Occitanicæ pag. 226.

Digitized by Google

XLI.

Litteræ Karoli V. Francorum Regis, quibus poteſtatem facit Gaucelino de Vairolis Seneſchallo Cadurcenſi emendi poſſeſſiones & latifundia in pago Cadurcenſi, non obſtantibus conſtitutionibus regiis.

Ex archivo regio Pariſienſi.

KAROLUS &c. Notum &c. quòd nos humilem requeſtam pro parte dilecti & fidelis Gaucelini de Vairoliis Militis domini de Albanea nobis porrectam recepimus continentem quòd cùm Seneſcalliam Caturcenſem, in qua extitit oriundus, quandiu viveret in humanis, auctoritate regia obtineret, & in eadem Seneſcallia, dum Seneſcallus exiſtebat, emerit & acquiſierit loca de Rouſſilhione, de Valle Rupheria, & ſancti Petri de Foliis in dicta Seneſcallia conſiſtentia, necnon quoſdam alios redditus, terras, & poſſeſſiones in loco de Cayſlucio ſeu ejus diſtrictu prædictæ Seneſcalliæ ſituatos, timens ipſe Miles ne pro tempore futuro poſſit ſibi impingi vel opponi quòd hujuſmodi acquiſitiones ſeu emptiones contra ordinationes vel conſtitutiones regias vel ſtilum & conſuetudinem Seneſcalliæ ſupradictæ aut aliter acquiſierit, propter quæ idem Miles vel heredes & ſucceſſores ſui aut ab ipſo cauſam habentes in iiſdem acquiſitionibus ſeu emptionibus poſſent turbari in futurum ſeu aliqualiter moleſtari, ſupplicans ſuper hoc per nos ſibi noſtram gratiam elargiri; nos conſiderantes grata & lauda-

bilia ſervitia quæ idem Miles & prædeceſſores ſui nobis & prædeceſſoribus noſtris Regibus Franciæ fideliter & honorificè impenderunt, ex plenitudine noſtræ regiæ poteſtatis, certa ſcientia, & gratia ſpeciali, contractus ſupradictos hujuſmodi acquiſitionum ſeu emptionum & quoſcunque alios licitos & per eundem legitimè factos ratificamus, laudamus, approbamus, & tenore præſentium confirmamus; eidem auctoritate prædicta concedentes quòd ipſe, heredes & ſucceſſores ſui, & ab ipſo cauſam habentes & habituri in futurum, loca, ac redditus, terras, & poſſeſſiones prædictas ſic per eum acquiſitas valeant & debeant tanquam ſuum proprium patrimonium & hereditagium habere, tenere, & perpetuò poſſidere liberè & impunè; ſtatutis, ordinationibus & conſtitutionibus regiis, uſu, ſtilo, & conſuetudinibus Seneſcalliæ & patriæ prædictarum & aliis in contrarium editis nonobſtantibus quibuſcunque. Quod ut firmum &c. Salvo &c. Datum apud nemus Vincennarum anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, & regni noſtri octavo, menſe Maij.

XLII.

Aliæ litteræ ejuſdem Regis pro eodem Gaucelino de Vairolis.

Ex eodem archivo regio Pariſienſi.

KAROLUS &c. Notum facimus univerſis præſentibus & futuris quòd nos humilem requeſtam pro parte dilecti & fidelis Gaucelini de Vairoliis Domicelli nati dilecti & fidelis Gaucelini de

Clericorum menſa præcipuè ſubtrahatur, & duobus ferculis carnium vel piſcium ad plus, præter venationes & exenia gratis oblata, contenti, juxta verbum Ieſu Chriſti, omnes Epiſcopi & Clerici attendant ne corda eorum crapula vel comeſſationibus aggraventur. Si verò Clerici has Conſtitutiones noluerint obſervare, hoc tempore maximè quo Ieroſolymitana terra Sarracenorum dominio ſubjacet ancillata, & Hiſpania ſolito acriùs infeſtatur ab ipſis, Epiſcopus loci eos canonica cenſura compeſcat.

XVIII. Statuit etiam prædictus Legatus, ut matrimonia non niſi ſecundùm ſcita Canonum contrahantur.

XIX. Poſuit etiam in excommunicatione omnes illos, immo confirmavit ſententiam jam latam in ipſos de Capeſtagno, vel extra, qui Dominum R. Lodovenſem Epiſcopum ceperunt, & uſque ad redemptionem malè tractarunt; terram eorum nihilominus ſubiciens interdicto, donec ſatisfactionem exhibeant competentem.

XX. In fine quoque omnium addidit, ut quia in pluribus locis provinciæ Narbonenſis hæretici ſunt, in conſilio Archiepiſcopi & Epiſcoporum ſit qualiter pro eorum quæ ſuperiùs ſtatuta ſunt tranſgreſſione, interdicta debeant promulgari; ne

Digitized by Google

bus non impedientibus ſeu non reſiſtentibus exercitio dictæ regię generalis juriſdictionis pro dictis maleſactoribus perſequendis, quòd præfatus Dominus Rex vel officiales ſui non poſſint nec præſumant ſub prætextu dicti proceſſus damnificare vel vaſtare caſtra & bona dictorum Prælatorum vel perſonarum eccleſiaſticarum; quinimmo Dominus Rex contrafacientes puniet prout jura & etiam Conſtitutiones ſuper dicto proceſſu editæ poſtulant & requirunt. [*Caput iſtud extat in ſecundo volumine Conſtitutionum Cataloniæ lib.* IX. *Tit.* XIV. *cap.* I.]

II. Super proceſſu verò pacis & treguæ, de quo ſeu cujus extenſione dictus Dominus Archiepiſcopus & Prælati conqueruntur, concordatum eſt per prædictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem, quòd licèt ſecundùm formam Conſtitutionum expreſsè Clerici & perſonæ eccleſiaſticæ teneantur ad obſervandam formam pacis & treguæ, maximè in Conſtitutione Domini Alfonſi primi, quæ incipit *Divinarum*, ſecundùm quam non ſervantes ſunt ejecti ab ipſa Conſtitutione à pace & tregua, quæ Conſtitutio fuit edita cum conſenſu Archiepiſcopi Tarrachonæ apoſtolicæ ſedis Legati & ſuffraganeorum ſuorum, prout ex ejus lectura patet, concordatum eſt quòd declaretur per Dominum Regem quòd non eſt neque fuit intentio Domini Regis quòd ex dictis proceſſibus Preſbyteri vel Clerici ſoluti poſſent trahi ad judicium Vicarij ſeu alterius judicis ſecularis, ſed ſolùm moneri, non tamen judicialiter, ad obſervantiam formæ pacis. Et ſi moniti veniant, & pignora ponant in poſſe Vicarij tanquam ſequeſtri utriuſque partis ſeu mediæ perſonæ, cognitio querelæ factæ contra Clericum nec civiliter nec criminaliter poterit neque poteſt per Vicarium vel alium officialem regium expediri,

Digitized by Google

ſed ad ſuũ judicem remitti ſecundùm canonicas ſanctiones. De pignoribus verò reſtituendis vel diſtrahendis fiat prout per judicem eccleſiaſticum fuerit declaratum. Si verò Clericus monitus non haberet pignora tenentia, & juraret in poſſe judicis eccleſiaſtici vel Vicàrij de licentia ſui Ordinarij quòd non poſſet tornare pignora tenentia, & caſu ipſo Clerico ſe ponente capto in poſſe judicis ſui, & jurante de ſtando juri & judicatum ſolvi cum ſuis clauſulis in poſſe ſui judicis, à tornando pignora ſit liberatus. Concordato inſuper per prædictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem quòd ſi dictus Clericus vel alia perſona eccleſiaſtica non vult ſervare formam pacis, quòd Vicarius vel judex temporalis non ob hoc poſſit eum in perſona vel in bonis punire vel alias offendere quoquo modo; ſed ſolùm ſuccedit pro contumacia Conſtitutionis, videlicet quæ propter hoc quia monitus formam Conſtitutionis non ſervat, habet ipſum extra pacem; ſic ſcilicet quòd damna, ſi forſan ei darentur, non poſſet petere emendari ſecundùm formam & privilegium pacis. Iura tamen ſibi competentia de jure canonico vel civili vel aliàs ex eccleſiaſtica libertate, illa ſibi remanent illibata, & ſuper illis, dictis eccleſiaſticis, licèt exiſtentibus extra formam pacis, juſtitiam facere tenebitur & faciet, dicta ejectione in aliquo non obſtante. [*Hoc caput extat in eodem volumine Conſtitutionum Cataloniæ lib.* x. *Tit.* IV. *cap.* II.]

III. Super eo verò quòd conquerunrur quòd ficta ſuſpicione Prælati & perſonæ eccleſiaſticæ ejiciuntur ſeu banniuntur de regno, concordatum eſt quòd illud, ſi unquam factum eſt, malè factum eſt, cùm evidenter ſit contra eccleſiaſticam libertatem; & eſt declaratum, quòd Dominus Rex declaret

ſtilo, & conſuetudinibus Seneſcalliæ & patriæ prædictarum, & aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. Quod ut firmum &c. Salvo &c. Datum apud nemus Vincennarum anno Domini milleſimo CCCLXXI. & regni noſtri octavo, menſe Maij.

XLIII.

Concordia Barcinone inita inter Reginam Aragonum Eleonoram & Bertrandum de Coſnaco Cardinalem Convenarum anno Chriſti MCCCLXXII.

Ex archivo regio Barcinonenſi.

CONCORDIA facta intercedente Domina Elionora Regina Aragonum & Cardinali Convenarum ſuper quatuor gravaminibus prætenſis per Prælatos Cathaloniæ. Quę quidem Concordia fuit facta in civitate Barchinonæ decima die Iunij anno à nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, & inde fuit factum publicum inſtrumentum per Guillermum Oliverij Secretarium Dominæ Reginę decima die Iunij anno prædicto MCCCLXXII. Sequitur Bulla Papæ Gregorij undecimi.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Bertrando ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, apoſtolicæ ſedis Nuncio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Chariſſimæ in Chriſto filiæ Elionoræ Reginæ Aragonum illuſtri ſcribimus, prout conſtat ſcedula præſentibus intercluſa. Et ideo circumſpectionem tuam attentè roga-

mus, tibi nihilominus per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus in præmiſſis, ſuper quibus ſcribimus, paratus & operator exiſtens, pro concordia ipſa fienda, ſervata tamen ſemper libertate eccleſiaſtica, opem des & operam efficaces. Datum Avinioni quarto Kalendas Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

IN DEI NOMINE. AMEN. Super prætenſis quatuor gravaminibus quę Reverendus Pater Dominus Archiepiſcopus Tarrachonę & nonnulli alij Prælati & Clerus provinciæ Tarrachonę petierunt revocari per Dominum Regem, poſt multos amfractus ventum eſt per Dominam Reginam Aragonum & Dominum Cardinalem Convenarum ad Concordiam infraſcriptam.

I. Et in primis ſuper proceſſu ſoni emiſſi, de cujus effectu & extenſione conqueruntur Prælati quòd per ipſum derogatur eccleſiaſticæ libertati, concordatum eſt & deliberatum per prædictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem quòd Dominus Rex declaret quòd per dictum proceſſum, qui pro generali jurisdictione ſua, quam pro malefactoribus perſequendis flagrante crimine habet & ſemper habuit in omnibus caſtris & villis ſub ſui principatu conſtitutis, cujuſcunque ſoli exiſtant, aliquam juriſdictionem non exerceat dictus Dominus Rex in quoſcunque Clericos, licèt malefactores; immo ſi malefactor in virtute proceſſus prędicti comprehenſus, Clericus reperiatur, quòd remittendus ſit ſuo eccleſiaſtico judici juxta canonicas ſanctiones, quas pręfatus Dominus Rex dicto caſu vult inviolabiliter obſervari & remanere illęſas. Concordato inſuper per dictos Dominam Reginam & Dominum Cardinalem, quòd Pręlatis vel alijs perſonis eccleſiaſticis vel eorum officiali-

Digitized by Google

habuit Dominus Petrus de Benevento ſanctæ Romanæ ſedis Cardinalis & Legatus, unà cum pluribus Archiepiſcopis & Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis & Principibus, anno ab incarnatione Domini MCCXIV. die Mercurij poſt Epiphaniam, VI. Idus Ianuarij.

I. Quoniam propter incompoſitum habitum quorundam Clericorum regularium & ſecularium jam adeo laïci ſcandalizantur, quorum frequenter nobis ſunt oblatæ querelę, quòd non ſolùm viros eccleſiaſticos hinc contemnunt, verùm & ipſos & Eccleſias aggravant & moleſtant, non credentes hujuſmodi Clericis magis deferendum quàm laïcis, qui non ſolùm à laïcis in habitu & alia converſatione non diſcrepant, verùm & in his & in aliis ſe magis exhibent diſſolutos; Nos volentes prædictorum utilitatibus tam ſpiritualiter quàm corporaliter providere, in ſynodo præſenti ſtatuimus, quin potiùs ſequentes antiqua ſtatuta canonica diſtrictè inhibemus, ut quilibet Archiepiſcopus vel Epiſcopus talaribus veſtimentis & camiſia linea ſuper alios pannos extra domum ſuam, ſi pedes vadat, ſemper utatur; & idem obſervet in domo, cùm Curiam publicè cum extraneis tenet. Chlamydem quoque talarem habeat ſuper ſcapulas conſutam more Romano.

II. Nullus Canonicus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius Clericus de beneficio eccleſiaſtico vivens, frænis vel calcaribus deauratis utatur; non frequentet Curias vel hoſpitia vel colloquia mulierum, quod domneare vulgò appellatur. Ex hoc enim ſolet multa diſſolutionis & laſciviæ materia exoriri.

III. Nullus Clericus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius Clericus de beneficio eccleſiaſtico vivens, indumentis vel caligis rubei vel viridis coloris, vel manicis conſutitiis, vel capa utatur manicata. Archidiaconi verò, Decani, Cantores, & alij qui in Eccleſiis cathedralibus vel conventualibus obtinent perſonatus, ſuperiorem veſtem, ſive lanea ſit, ſive linea, clauſam habeant & talarem. Quod obſervari volumus à Clericis curam animarum habentibus.

IV. Statuimus inſuper ut Clericus cathedralis vel conventualis Eccleſiæ, vel alius qui de beneficio eccleſiaſtico vivit, talem tonſuram ferat, quòd gradum non habeat, ſed dirigatur in gyrum, ita quòd capilli qui inter ſuperiorem & inferiorem tonſuram remanſerint, propter ſuam rotunditatem poſſint dici corona.

V. Item nullus Clericus taliter pignora pro mutuo recipiat, ut fructus pignorum

Digitized by Google

quòd in poſterum nunquam fiat. [*Iſtud caput extat in eodem volumine Conſtitutionum Cataloniæ lib.* I. *Tit.* II. *cap.* IV.]

IV. Super eo verò quòd conqueruntur de temporalitatibus occupandis &c. concordatum eſt quòd Dominus Rex declaret quòd Prælatis vel aliis perſonis eccleſiaſticis facientibus proceſſus eccleſiaſticos in caſibus pertinentibus ad eos de conſuetudine vel de jure, non poſſit de juſtitia vel injuſtitia ſe intromittere proceſſuum prædictorum, nec eos ad eorundem revocationem per occupationem temporalitatum vel alia remedia compellere quovis modo. Ubi verò evidenter vel notoriè juriſdictio regia per Prælatos impeditur, qui per proceſſus ſuos juriſdictionem impediunt vel occupant temporalem; tunc non debent mirari Prælati, ſi per exercitium ſuæ ſuperioritatis, quam univerſaliter habet in univerſis temporalibus regni ſui, ad defenſionem ſui juris notorij adhibet remedia dudum à ſuis anteceſſoribus aſſueta. Ubi verò ſuper hoc, an pertineat notoriè de conſuetudine vel de jure ad Eccleſiam vel ad Regem juriſdictio ſuper qua fuerit proceſſus; tunc concordatum eſt quòd communes perſonæ eligantur, videlicet una pro parte Regis, alia pro parte Eccleſiæ: quæ ambæ dictum dubium decidere teneantur, & ſub juramento, infra tres menſes, bona fide, dolo & fraude ceſſantibus. Proviſo quòd ſi dictæ duæ perſonæ infra dictos tres menſes dictum dubium non potuerint vel noluerint terminare, tertium eligere teneantur, qui cum ambobus vel eorum altero infra menſem dictum dubium decidat, & ejus deciſioni pareatur ſub pœna quingentorum morabatinorum. Interim verò proceſſus qui facti fuerint, abſque cujuſcunque partis præjudicio ſuſpendantur. Et ſi facti non fuerint, non fiant quouſque dictum dubium

Digitized by Google

fuerit terminatum. [*Caput iſtud extat in eodem volumine Conſtitutionum Cataloniæ lib.* III. *tit.* II. *cap.* I. *& rurſum jubetur obſervari in libro* VI. *cap.* VI. *&* XI.]

XLIV.

Conſtitutio Franciſci Patriarchæ Hieroſolymitani & Epiſcopi Barcinonenſis de Capella veſtimentorum danda per quemlibet Epiſcopum ſedis Barcinonenſis, edita anno MCCCCXXIII.

Ex veteri codice noſtro MS.

CLEMENS & miſericors Dominus in eos ſuæ pietatis & clementiæ dona multiplicat quos non ingratos acceptorum donorum, ut novem ex decem leproſis fuere, ſed beneficiorum habitorum jam memores, per exhibitionem tam ſpiritualium ſervitiorum quàm etiam bonorum temporalium gratos eſſe cognoſcit. Cùm igitur diverſis provincialibus conſtitutionibus ſtatutum exiſtat ut quilibet Epiſcopus provinciæ Terraconenſis infra triennium ex quo ad dictum ſit ſtatum aſſumptus, cathedrali Eccleſiæ, cui præfuerit, unam capellam veſtimentorum pontificalium de pannis ſericis vel aureis valoris ad minus CCC. florenorum auri de Aragonia facere vel ipſos CCC. florenos auri numeratos tradere teneatur, niſi medio tempore jocale æquivalens, de quo ipſius Eccleſiæ Capitulum contentetur, eidem Eccleſiæ dederit & tradiderit cum effectu; Nos Franciſcus Patriarcha Jeroſolymitanenſis, Epiſcopus & Adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ & ſedis Bar-

tinonenſis, & Capitulum ejuſdem ſedis, volentes ut dictum ſalubre ſtatutum in hac noſtra Eccleſia, quæ propter concurſum frequentem perſonarum regularium & magnatum ac extraneorum talibus ornamentis præ ceteris indiget, efficaciter obſervetur, hac conſtitutione per nos & ſucceſſores noſtros jamdudum conſultè facta, ordinata, & jurata, prout conſtat quodam publico inſtrumento inde per diſcretum Gabrielem Canyelles Notarium publicum Barchinonenſem ſub datæ viceſimæ octavæ diei menſis Julij anno Domini milleſimo c c c c. decimo tertio recepto, & per nos dictum Franciſcum ac per alium Barchinonenſes Epiſcopos etiam practicata, obſervata, & completa, per nos & per dictos ſucceſſores ſimiliter deliberatè ſtatuimus & perpetuò ordinamus quòd effectus prædictarum conſtitutionum hîc præinſertus in hac noſtra Eccleſia Barchinonenſi perpetuis futuris temporibus obſervetur, & pro ejus executione quicunque tam de hoc noſtro Capitulo quàm de extra ipſum in Epiſcopum Barchinonenſem aſſumptus, in ſua receptione teneatur jurare per ſe ipſum, ſi præſens exiſtat, vel per procuratorem ſufficientem, ſpecialiter hanc conſtitutionem ſervare, détque fidejuſſores ipſius noſtræ Eccleſiæ beneficiatos pro ea implenda hoc modo quod ad minus dictos c c c. florenos infra dictum triennium, centum videlicet quolibet anno, realiter tradet & aſſignabit Caritaterio ipſius Eccleſiæ pro Capella prædicta, niſi eam, ut præfertur, fecerit & tradiderit, vel jocale jamdictum tradiderit in dicto valore, recuperare valeat florenos ipſos vel partem ipſorum, ſicut perantea eos hac de cauſa dederit numeratos. Quòd ſi antè quàm Capellam ipſam, vel jocale, aut c c c. florenos tradiderit, ut præfertur, eundem Epiſcopum decedere vel ab ea-

dem Eccleſia contingat quomodolibet amoveri dummodo medietatem fructuum & jurium unius anni receperit vel recipere debeat ab eadem, ad ſolutionem dictorum c c c. florenorum completè faciendam vel Capellam dandam ſeu jocale prædictum tradere teneatur, & proinde omnia bona ſua & maximè dictæ Eccleſiæ jura ſibi vel executioni ſuæ debita remaneant & ſint præ ceteris creditoribus eidem caritati obligata. Si verò lapſo dicto termino, Epiſcopus ipſe in epiſcopatu remanens non adimpleverit ſupradicta, pœnas interdicti & excommunicationis ac privationis jurium quæ pro tribus præbendis & aliis infra dictam Eccleſiam ſibi competent in ultima in dictis conſtitutionibus facta per bonæ memoriæ Dominum Enecum Archiepiſcopum cum conſenſu totius provincialis Concilij Terraconenſis quinta die Aprilis anno Domini M C C C X C I. contentas omnino incurrat. Quas pœnas nos dictum Capitulum ſub pœna perjurij, & Præpoſiti præſentes & futuri ipſius Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis in dicta conſtitutione latæ, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUETI.

M D C L X V I I I.

Digitized by Google

Digitized by Google